






J. AUG. HENR. TITTMANNI
THEOLOGI LIPSIENSIS

PUSCULA

VARII ARGUMENTI

MAXIMAM PARTEM

DOGMATICI, APOLOGETICI ET HISTORICI.



PRAEFATUS EST

AUGUSTUS HAHN
THEOL. D. ET PROF. P. O. IN ACAD. LIPS.

LIPSIAE 1833.
SUMTIBUS J. AMBROSII BARTH.

peretur. Accidit igitur, ut non posset, quod apud animum constituerat (cf. p. X. l. l.), reliqua opuscula edere, ea quoque, quae non pertinerent ad interpretationem librorum sacrorum. Neque tamen defuerunt, qui eandem, quam ipse praeceptori olim suo probavit, pietatem in Tittmannum nostrum eo comprobare vellent, ut, quod absolvere ei non contigerat, perficere studerent.

Et prior quidem omnibus GUILIELMUS BECHER, Vir Cl. nobisque prae multis carus, qui singulari studio et fide amanuensis provinciam apud virum beatum administravit, non solum orationem funebrem a GROSSMANNO, Collega meo S. V., habitam cum brevi vitae Tittmanni narratione typis exscribendam curavit*), sed paulo post etiam alteram opusculorum argumenti grammatici et exegetici syllogen edidit**).

Reliquum erat, ut ii quoque libelli colligerentur, quibus b. auctor argumentum ex genere *dogmatico*, *ethico*, *philosophico* et *historico* tractavit, eos dico, quibus per quadraginta fere annos vel causam religionis et ecclesiae nostrae agere, vel singula dogmata et praecepta explicare et confirmare, vel historiam sacram accuratius exponere et illustrare studuit, vel denique placita philosophorum enarravit et cum sententiis legibusque divina auctoritate sancitis composuit et quae sunt huius vel similis generis alia. Constat enim, Tittmannum, qui in nulla orbis literarum regione prorsus peregrinus erat, etiam in *juris canonici* rationibus et legibus rectius et ad genuinam doctrinae evangelicae indolem huiusque aetatis desideria accommodatius definiendis et describendis versatum fuisse. Quorum libellorum quum novam editionem ab intelligentibus harum rerum existimatoribus expeti comperisset GUIL.

*) *Rede am Grabe des Herrn Prälaten* Dr. JOH. AUG. HEINR. TITTMANN, *am 2. Jan. 1832 gehalten von Herrn Superint. und Prof.* Dr. *CHR. G. L. GROSSMANN, herausgeg. und mit einer biographischen Skizze des sel. Herrn* Dr. *Tittmann begleitet von* M. W. *TH. M. BECHER. Leipzig in Commiss. b. Fest. 1832. (32 SS.) 8.*

**) J. A. HENR. TITTMANNI — de Synonymis in N. T. Lib. II. — Post mortem auctoris edidit, alia eiusdem opuscula exegetici argumenti adiecit GUILIELMUS BECHER, AA. M. Lipsiae, sumtibus AUG. LEHNHOLDI 1832. (74 pp.) 8.

Ambrosius Barth, vir honestissimus et peritissimus, qui et ipse Tittmannum summo loco habuit, hanc, quam nunc offerimus, collectionem fieri eamque suae in virum, quocum ipsi amicitiae multorum annorum necessitudo fuerat, pietatis documentum publicum exstare voluit. Et omnes quidem, quorum aliquod esse vel nasci posset desiderium, libellos recudi iussit meque ut paucis praefarer rogavit. Quod me lubentissime facturum esse promisi cum propter libri edendi praestantiam et bibliopolae celeberrimi animum, quippe qui non suis rebus (quibus talis libri vel praestantissimi editione non magnopere consuli posse bene sciunt, qui rei librariae rationes praesentes compertas habent), sed amicis manibusque auctoris gratificando non nisi reipublicae literariae prospexisset, tum etiam propterea quod ita opportunitatem mihi oblatam viderem animum gratum in Virum beatum significandi, qui me multis modis sibi obstrinxit inde a decimo huius seculi anno, quo apud eum, tum temporis Rectorem magnificum, nomen professus sum, quod in album academiae referretur. Sed officium opusculorum ita recognoscendorum, ut si qua reperta fuissent, quae minus viderentur esse probata, tollerentur vel mutarentur, neque iniunxit bibliopola humanissimus, quum multis me iam laboribus distractum et impeditum esse sciret, neque ipse subire ausus fuissem, qui mihi religioni duxissem aliquid mutare, quod ne ipsum quidem auctorem mutaturum fuisse, ex iis, quae de Synonymis lib. I. p. X. sq. scripsit, recte colligitur. Est igitur horum libellorum editio non variata idque unice egerunt viri, quibus Barthius hanc curam demandavit, ut quam rectissime typis describerentur.

At vero nescio an exstituri sint, qui desiderent quaedam in hoc opusculorum corpore. Deest *epistola gratulatoria* ad J. Fr. Schleusnerum, quam a. 1787. de Virgilio Homerum imitante scripsit, et Memoria Henrici Theophili Tzschirneri, qua, quum eius vice tanquam Ord. Theol. Prodecanus Sacra Paschalia a. 1828. indicere deberet, imaginem viri desideratissimi verissime descriptam proposuit. Hanc tamen repeti noluit Barthius, quum multa sciret exempla esse divulgata et adhuc ve-

nalia, illam vero epistolam scimus etiam beatum auctorem denuo non fuisse editurum, cui quippe, quantumvis quondam tirocinii non excusationem solum sed et laudem meritissimam habuerit (scripsit enim adolescentulus quatuordecim annos natus), in hac opusculorum academicorum sylloge locus vix esse possit.

Sed fuerunt, qui ea etiam hoc opusculorum fasciculo contineri vellent iudicia, quae in ephemeridibus literariis et Lipsiensibus (ab anno huius sec. X.) et Jenensibus vir beatus tulit de pluribus libris, sive bona sive mala indole insignibus, vel etiam de gravissimis quaestionibus et controversiis, quae nostris temporibus in scholis theologorum et in republica christiana motae actaeque sunt. At vero licet omnes, qui harum rerum periti sunt, Tittmanni, ubi censoris personam sustineret, acumen non laudaverint modo, sed saepissime quoque admirati sint, potuerunt tamen illa praetermitti, quum qui talia desiderarunt, quae ipse auctor gravissima duxit, in libro propediem edendo lecturi sint, in quo consummando ultimas vires consumsit. Etenim quas ipse olim theologiae antitheticae, quae dicitur, leges scripsit*), ad eas *summam theologiae polemicae* componere conatus quum in eo esset ut opus perficeret, morte interceptus est. —

Benevole igitur, Lectores docti et aequi, haec opuscula accipiatis, maximam partem praestantissima, quae Vobis offerimus, qualia accepimus, velut bona nobis credita; neque dubitamus, quin ex iis largos fructus nobiscum capturi sitis. Scribebam Lipsiae ipsis Cal. April. a. Dom. MDCCCXXXIII.

*) *Ueber die Grundsätze einer Polemik im Sinne der evangelischen Kirche von* Dr. *J. A. H.* TITTMANN — *in Tzschirners Magazin für chr. Prediger 3. Bd. 1825.*

INDEX COMMENTATIONUM.

Pag.

I. De consensu philosophorum veterum in summo bono definiendo
(quam comment. d. 15. m. Maj. a. 1793. pro obtinendis optimis magistri Lipsiensis iuribus defendit) . . . . 1 — 26.

II. Num religio revelata omnibus omnium temporum hominibus accommodata esse possit
(qua ad audiendam orationem [*de finibus philosophiae in religione regundis*] d. 22. Jun. a. 1796. in acad. Lips. *Professionis Philosophicae Extraordinariae* adeundae causa recitandam invitavit) . . . . . 27 — 43.

III. De discrimine disciplinae Christi et Apostolorum
Comment. I. (d. 26. m. Sept. a. 1805. pro summis in theologia honoribus rite obt. defensa) . . . . 43 — 77.
Comment. II. (d. 28. m. Nov. ei. a. pro loco in facult. theol. obt. defensa) 78 — 104.

Pag.

Comment. III. (qua ad orat. d. 2. m. Dec. ei. a. *Professionis Theol. ord.* adeundae causa recitandam invitavit) . 104—115.

IV. De notione salutis humanae
(qua nat. Dom. J. Christi a. 1810. pie celebr. indixit) . . . . 116—127.

V. De metu mortis inter Christianos
(qua sacra in memoriam resurrectionis J. Christi a. 1811. — pie celebranda indixit) . . 128—144.

VI. De miseria peccati
(qua nat. Dom. J. Chr. a. 1813. pie celebr. indixit) . . . . 145—158.

VII. De natura revelationis divinae ex vita Domini J. Chr. recte cognoscenda
(qua sacra in mem. resurr. J. Chr. a. 1814. pie celebr. indixit) . . . . . . 158—165.

VIII. De rebus afflictis ecclesiae evangelicae in Germania
(qua fest. reformationis a. 1816. indixit) . 165—177.

IX. De Jesu Christo rerum e consilio patris peragendarum vere sibi conscio
(qua nat. Dom. J. Chr. a. 1816. pie celebr. indixit) . . . . 177—190.

X. De fide historiae Domini ex fide librorum N. T. recte aestumanda
(qua sacra in mem. resurrectionis J. Chr. a. 1817. pie celebr. indixit) . . . . . . 191—207.

XI. De hodierna theologiae disciplina ad rationem Lutheri examinanda
(qua festum reformationis a. 1819. indixit) 207—217.

XII. De argumentis revelationis divinae in vita Domini quaerendis
(qua nat. J. Chr. a. 1819. pie celebr. indixit) 217—228.

XIII. De argumentis revelationis divinae in exitu vitae Domini quaerendis
(qua sacra in mem. resurr. J. Chr. a. 1820. celebr. indixit) . . . . 229—239.

Pag.

XIV. De spe conservandi salutem ecclesiae evangelicae
(qua festum reformationis a. 1823. indixit) 239—249.

XV. Quibus legibus paria ecclesiarum jura describenda sint, mixtorum matrimoniorum exemplo demonstratur
(qua sacra pentecostalia a. 1824. celebranda indixit) . . . . 249—266.

XVI. Observationes de potestate ecclesiastica ad art. abus. August. Conf. VII.
P. I. (qua memoriam illustrissimae comitis Johannae Henricae Ludovicae de Bestucheff-Rumin e gente Carlovicia d. 5. Aug. a. 1824. oratione recolendam indixit) . . . . 266—279.
P. II. (qua memoriam beneficii Sylversteiniani d. 23. Sept. a. 1824. oratione recol. indixit) . . . . 279—290.

XVII. De unitate ecclesiae evangelicae
(qua festum reform. a. 1826. —— indixit) 290—303.

XVIII. De animis iuvenum in gymnasiis ad pietatem christianam formandis
(qua Theoph. Sam. Forbigerum, scholae Nicol. rectorem, post L a baccalaureatu impetrato annos Theologiae Doctorem rite creatum esse d. 21. m. Febr. a. 1827. indicavit) . . 304—311.

XIX. De jure episcopali in ecclesia evangelica
(qua memoriam beneficiorum Sylverst. d. 3. m. Oct. a. 1827. recolendam indixit) . . 311—321.

XX. De mutationibus literarum per proximos quinquaginta annos factis—epistola ad Chr. Dan. Beckium, qua munus doctoris academici quinquagenarium gratulatus est d. 8. m. Maii a. 1829. . . . . 322—344.

XXI. De summis principiis Augustanae Confessionis

Pag.

(commentatio, qua summos in theol. honores in viros dd. inter ipsa sacra secularia Augustanae Conf. d. 25. m. Jun. a. 1830. conferendos indixit) . . . . . . 345—364.

XXII. Quaestiones de articulo XVI. foederis Germanici*)
(ad sacra solemnia in memoriam ecclesiae instauratae d. 31. m. Octobr. ei. a. — indicenda) 365—378.

*) Haec commentatio eodem anno in patrium sermonem translata prodiit: D. *Tittmann's Einladungs-Programm zur Feier des Reformationsfestes 1830 in der hies. Paulinerkirche. Aus dem Lateinischen übersetzt von E. Ortlepp. — Ueber den Sinn des 16. Artikels der deutschen Bundesacte. Leipzig. bei Reclam. gr. 8.*

DE CONSENSU PHILOSOPHORUM VETERUM IN SUMMO BONO DEFINIENDO

Universa historia etsi magnam habet ut utilitatis, ita vero etiam suavitatis commendationem, est enim sapientissimorum virorum judicio, haberique debet veritatis interpres, virtutis, prudentiae tranquillitatisque magistra et omnis doctrinae quasi metropolis; neque tamen ulla facile eius pars utilior videtur esse atque jucundior, magisque allicere animum humanum ac delinire, quam quae de philosophorum antiquorum placitis exponit. Ex quo quidem quamvis non facile aliquis colligere audeat, quod effecisse sibi videtur Piso apud Ciceronem aliquo loco *), cognitionis tantum esse invitamentum, cui resistere nemo possit; inuere enim videtur historiae studium, quod eo loco infimae fortunae hominibus tribuitur, non sapientiae, inde capiendae, consilium laudabile, quam potius nova quaerendi cupiditatem vanam, quare novitatis magis quam historiae studium appellari malim; tamen illum omnium dissensum placido animo animadvertere, et, cum utrimque disputetur, a neutra parte stare, sed in rem ipsam inquirere, illiusque dissensus causas indagare et veluti cum Poeta quaerere:

τίς τ' ἄρα σφῶε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;

(nam cupiditatibus et erroribus divinam auctoritatem veteres tribuisse constat) summam voluptatem afferre maximumque assidui laboris et diuturni studii praemium, facile quisque potest intelligere. Ego quidem, ex quo accuratius historiam philosophiae colere, semper enim mirifice mihi placuit omnis historiae studium, atque philosophorum placita ex ipsis fontibus cognoscere coepi, multum diuque cogitavi etiam de eo, quid sit, quod tantopere excitaverit philosophorum veterum de summo bono dissensum, tantasque moverit contentiones, tantaque certamina,

*) Fin. L. V. c. 19.

quae tantum abest, ut cessaverint, ut potius in immensum aucta ad nostra usque tempora producta fuerint. Atque illud quidem mirum videri poterit nemini, de summo atque cuique expetendo fine, quo omnia generis humani bona justis terminis circumscribi possent, quaesitum esse saepe a viris intelligentissimis inde ab eo tempore, quo de coelo deduxisse philosophiam Socrates perhibetur, cum tractare inciperent res, ad vitam humanam propius pertinentes, et qui inutilibus adhuc quaestionibus operam dedissent, quippe in ipsam vitam vim non habentibus, ad explicanda varia hominum officia et varia jura, quae inde sequuntur, accederent. Verum tanta animorum contentione disputare de hac re, multi fortasse existimaverint, opus non fuisse, propterea, quoniam ad suum commodum quaerendum sua quisque sponte abripiatur, seque ipse vehementissime amet, et, quid utile sibi videatur, appetat, malum vero atque noxium fugiat. Quae quidem opinio etsi veritatis quandam speciem habet, est tamen haud dubie falsissima et periculosissima. Etenim qui ita statuunt, sensum quendum internum omnium animis inesse volunt, eumque optimum morum magistrum commendandum arbitrantur. Sed quantopere errent, quamque periculosum sit, rem tanti momenti permittere sensui, multis hoc loco exponere, non est necesse. Ut enim cetera taceam, quae contra illam sententiam disputarunt viri quidam eruditissimi, unum, quod huc pertinere videtur, afferam. Docuit nimirum omnium temporum experientia, et etiamnum licet animadvertere, quantopere partim de eo, quid sit bonum in genere, partim quid summum bonum sit haberique debeat, dissenserint homines doctissimi. Alius enim aliter de eo sentit, et suo ingenio totum metiri solet. Vacillare itaque debet omnis de fine (περὶ τέλους Graeci vocabant) disputatio, nisi ex justis verisque causis repetita, certi quid definire, certosque terminos ponere possit. Tum vero etiam verborum obscuritas, aucta fervore disputandi, tantam rebus ipsis caliginem obfudit, quae nostris temporibus dispelli vix potuit; nec supervacaneum videri cuiquam potest, rem tam gravem discutere saepius et retractare. Denique dissensus in summo bono definiendo cum tantus esse videatur ac tam varius, jucundissimum existimavi hanc rem paullo accuratius perpendere. Etenim ut est res maximi momenti, ita etiam praebet largissimam de mente humana, eiusque variis studiis, variisque erroribus cogitandi, copiam. Igitur

operae pretium existimavi esse, per hanc occasionem, quae de hac re mecum cogitaveram, in lucem adspectumque virorum doctissimorum proferre. Ego vero quamvis non is sum, qui hanc disputationem plane novam putem, neque enim in explicanda re saepissime tractata praetermitti possunt penitus, quae ad eam illustrandam iam disputata sunt a viris doctis; tamen, cum nostris temporibus, inprimisque in fine seculi, cui ingenium quoddam philosophicum tribui solet, per novissima Philosophiae criticae instituta, et innumerabilia cum de omni philosophia, tum inprimis de ea parte, quae ad mores spectat, acutissimorum virorum merita, una et vera ratio demonstrata esse videatur, recte et sapienter componendi vehementissima illa philosophorum certamina et ipsorum odium velut post mortem placandi*); multo minus reprehensiones eorum, qui me obtritam rem saepissimeque iam tractatam suscepisse fortasse existimaverint, quam difficultates huius quaestionis multas easque longe gravissimas pertimesco. Etenim institutum nostrum, praeter obscuritatem historiae philosophicae antiquissimae difficultatem habet hanc, quod videantur quidem sententiae philosophorum de hac re a se discrepare, re tamen accuratius perspecta amicissime conspirent, atque ita facile inducatur aliquis, ut diversitatem esse putet, ubi nulla est. Quare, cum in hac re magna cautione opus sit, atque a temporibus antiquissimis initium fieri debeat, non tam scriptores recentiores, quos temporum longinquitas, saepe etiam partium studium et disputandi aviditas in errorem facile inducere potuit, consulendos putavi, sed fontes ipsos, quamvis, si rerum gravitatem spectaveris, paucissimos, adire volui, et puram malui integramque aquam haurire, quam corruptam particulis regionum, quas praeterfluxit, cui adhaeserunt nonnulla, quae novam ei fere formam induerunt. Sic ipsorum philosophorum antiquissimorum scripta, quae supersunt adhuc, inprimis adhibenda esse putavi, non autem recentiorum, qui eandem rem tractaverunt, licet non multum absint ab antiquo illo aevo, et testes fide digni quodammodo haberi possint. Itaque non puto fore, qui reprehendant, quod, verbi causa,

*) Pertinere huc praecipue videntur, quae doctissime et ingeniosissime disputavit Ill. Reinhold in *Epistolis*, quas *super Philosophia Kantiana* scripsit, Tom. II. ep. 7. 11. in primis 12. *über die Möglichkeit des künftigen Einverständnisses der Selbstdenker über die Principien der Moralphilosophie:* praesertim a pag. 468.

Ciceronem neglexisse visus fuerim, cuius auctoritatem nonnulli fortasse magnopere commendaverint, ego vero neque disputandi modo et φιλοσοφήμασι, neque integritati verique studio adeo multum tribuendum esse putaverim.

Ut autem ad rem ipsam accedamus propius, ante omnia certos terminos constituamus, totumque campum describamus, ut, unde incipiat labor, quo finiatur, certo constet. Praemonendum igitur paucis arbitror, quorum philosophorum opiniones recensere velim. Possunt enim iidem recentiores appellari, si ab antiquioribus adhuc temporibus initium numerandi feceris, quos, cum recentissimis comparatos, antiquos appellare posses. Incipiendum vero duco ab iis, qui primum singularem operam huic philosophiae parti impenderunt, quam moralem dicunt, (ita enim appellarunt veteres quoque, aut ἠθικήν, unde totius fere philosophiae dividendae initium Laertius duxit*) nec tantum sententias singulas, hinc inde dispersas, et ad rem nostram veluti e longinquo spectantes tradiderunt, sed a primis certisque causis exorsi, doctrinae moralis capita in corpus quoddam redigere atque accurate explicare aggressi sunt. Et antiquissimis quidem temporibus philosophos de his rebus non quaesivisse, constat. Tractabant enim res, vitam non tangentes, disputabantque de iis, quae alieniora essent, et contemplationi tantum inservirent, vitam ac mores hominum nemo aut paucissimi curabant. Illa igitur tempora ad nos non pertinere puto. Quae a Thalete quidem initium habuit, secta Ionica, non negari potest habuisse nonnulla praecepta ad mores pertinentia, sed singula sunt et varie dispersa, nonnulla etiam mystica atque obscura, et, si verum fateri velis, prudenter magis instituendae vitae rationem docuisse videtur illa schola quam praecepta morum. Tractabant enim maximam partem res physicas, ac disputabant de rerum natura, de coelo, sideribus eorumque motibus variis, forma ac natura, praesertim autem de Deo, eiusque natura**). Omnia autem partim obscura sunt, et obscuris verbis involuta, partim lepidissima. Obscuriora adhuc sunt, quae de Pythagora nar-

*) Prooem. segm. 18. et secuti eum sunt plures seriori aevo, quo, a parvis initiis profecta philosophia, magnopere iam erat culta et vario eruditissimorum virorum studio exornata.

**) Servavit nonnulla Laertius in Thalete, L. I. s. 35 ss. et Stobaeus, pluribus locis. cf. Buddeus de philosophia morali Thaletis.

rantur*). Sunt mixta falsa veris, sicut fieri solet in illa temporum antiquitate, cum allegorica saepe dicendi loquendique ratio, rerum fictarum fabularumque plurimarum initium ac origo fuerit, quae eo facilius credi solebant, quo propensius omnibus quae miraculi quandam speciem habent, vulgus adhaerere et patientes aures praebere consuescit. Quantum dispicere licet per rerum temporumque caliginem, ad rerum elementa, sidera, Deique naturam maxime pertinuit, quod ex illius viri doctrina nostris temporibus exstat. Omnem igitur disquisitionum, de moribus institutarum, originem a Socrate ducendam arbitror, in quo quidem omnes mecum facile consentiunt, qui hanc rem attigerunt**).

*) Ne aetas quidem certa est, qua vixit; quae vero a Socratis temporibus, quibus clarior tota res facta est, tam remota fuit, ut prae ingenti miraculorum multitudine, quae de eius vita ac doctrina narrantur, verum dispicere sit difficillimum. Quid quod Pythagoram ad sacra Judaeorum adeo adspirasse et doctrinam eorum omnem didicisse narratum est, et super ea re multum disputatum, quod habet Bruckerus, Hist. Cr. Ph. T. I. p. 2. l. 1. c. 10. Accedere autem ad verum videtur, eum calluisse magna herbarum medicarum scientia, eaque maximam, atque adeo divinam auctoritatem, cum apud Italos, inter quos vixit, tum apud exteros quoque, quorum terras itineribus suis longis viderat, sibi comparasse. Maxime enim tunc temporis haec medica scientia valuit, et valere debuit inter populos rudes adhuc, et qui facile induci se paterentur, ut, in quo singularem quandam scientiam, magna ipsisque ignota effecta proferentem esse intelligerent, ei maximam auctoritatem tribuerent, eumque maximis, et divinis adeo honoribus afficerent. Multa vero Pythagoram a Judaeis atque Aegyptiis accepisse, eo minus negare velim, quo magis omnes sciunt, quanta fuerit apud illos populos virium naturae, ad interiora adeo penetrans cognitio, paucissimis tantum nota, qui illam sibi et posteris servarent, exteris autem non nisi difficillime patefacerent. Notum vero est omnibus, quantum ego quidem puto, Pythagoram usum esse semper methodo symbolica et quod τοῖς ἐξωτέροις reticuerit, paucissimis tantum, ad institutionem interiorem admissis, tradidisse. Coercuit autem omnes exercitationibus piis, et diuturno illo silentio ita continuit, ut ipsi quam maxime dediti essent, atque, cum reliqui non nisi divinam eius vim et mysticum allegoricumque dicendi genus admirarentur, nec voluisse, nec potuisse historica monumenta vera relinquere viderentur. Quae vero Platonem, Aristotelem aliosque Socraticos a Pythagoricis accepisse tradit Porphyrius, incerta non minus sunt, quam reliqua omnia, et Porphyrius ipse vit. Pyth. n. 53, neminem scire posse profitetur, num sint Pythagorae, quae eius nomine proferantur, cum multa venditentur a discipulis eius sub nomine magistri, cuius mentem saepe ipsos assecutos non esse sit verosimile; quare μὴ ἀντικρὺς, inquit πυθαγορικοὺς εἶναι τοὺς ἐκφέροντας ταῦτα. Plura habet III. Tiedemann, in libro: *Griechenlands erste Philosophen*, p. 269.

**) Cuius rei auctor est Laertius L. II. s. 12. habet enim hoc de Socrate: γνόντα δὲ τὴν φυσικὴν θεωρίαν οὐδὲν εἶναι πρὸς ἡμᾶς, τὰ ἠθικὰ φιλοσοφεῖν ἄρξαι. κἀκεῖνα δὲ φάσκειν ζητεῖν, ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται. Idem in prooemio, ubi breves to-

Etenim quid fuit, quando Socratem philosophiam de coelo duxisse Cicero dixit, nisi quod primum philosophiae moralis magistrum haberi voluerit. Omnis enim philosophia, ut antea dictum est, in coelo versari videbatur, qui in terris est hominem, nemo curabat. Quare adscendisse videntur philosophi, qui ante Socratem inclaruere, ut de sideribus eorumque motibus disceptarent, cum de homine quem reliquerant, eiusque vita nil constaret. Eiusmodi itaque rebus occupati rarissime e locis sublimioribus redibant in terram, vel cum rediissent, physicis nonnullis disceptationibus lepidissimis saepissime et absurdis, breve, per quod in locis sublunaribus morabantur, tempus impendebant, celeriterque ad astra rursus evolabant. Quorum inania studia, quibus philosophiam constare credebatur vulgo, de coelo revocavit Socrates ad vitam humanam; accuratam enim hominis cognitionem studium esse docuit, quod maxime accommodatum esset hominibus; et, quae adhuc rerum obscurarum contemplatrix tantum fuerat, philosophia, nunc magistram morum esse coegit, dum virtutis indagatricem eam faceret et expultricem vitiorum. Vidit divinus ille vir, multum deesse adhuc, ut accessisse studium philosophiae ad maximum decus, quo splendere possit, diceretur; igitur devocatam de coelo in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit, et de vita et moribus, rebusque bonis, et malis quaerere coegit. Nec potuit res tam nova non invenire multos, qui ad eam intenderent animum. Docebat enim Socrates populares in locis publicis, eorumque mores emendans, Sophistarum malitiosum gregem castigabat verbis planis, et, quo unice refelli poterat eorum loquacitas, interrogatiunculis, dum ipse nil poneret, sed omnia ex auditoribus quaerendo eliceret. Quod quantam invidiam ei contraxit apud plures, tantam audientium discipulorumque multitudinem ei paravit. Nonnulli eorum, quos familiarissimos habuit, praecipue inclaruere, et, quae a magistro audiverant suo quisque ingenio accommodantes, plurimarum scholarum auctores exstiterunt. Omnis itaque moralis philosophiae sicut Socrates auctor fuit, ita et omnis in ea dissensus originem ab eo habuit. Attingemus igitur omnes philo-

tius historiae philosophicae lineas duxit, s. 14. τὸν Σωκράτην, ait, τὴν ἠθικὴν εἰσηγαγεῖν, et s. 18. καὶ μέχρι μὲν Ἀρχελάου τὸ φυσικὸν εἶδος ἦν, ἀπὸ δὲ τοῦ Σωκράτους ὡς προείρηται (s. 14.) τὸ ἠθικόν. cf. Xenophont. Memor. I. 1. 11 — 16. Ciceron. Tusc. Qu. L. V. c. 4. Acad. Qu. L. I. 4.

sophorum sententias de summo bono post Socratis tempora exortas. Academiam, constat, a Platone exorsam, clarissimam fuisse, quamvis varie mutata quinque varias induerit formas. Quartam, quam habuit, Cicero defendebat, qui de omni fere philosophia scripsit. Post Ciceronis vero tempora nihil novi in philosophia traditum videmus. Quae fuerunt eius aetate scholae philosophorum, perierunt tardius citiusve; Peripatetica diutissime floruit, quamvis maxime corrupta fuerit. Postea eclectica quaedam, cuius altiora initia quaerenda sunt, schola, multos sectatores habuit, qui e multis colligerent, nonnulla repudiarent, alia ipsi retinerent. Rectissime igitur a Socrate initium trahens disputatio in Cicerone desinet.

Longa via est eaque caliginosa ac periculosa, nec, quo tendat iter, scire sufficit, nisi ipsa via praescripta sit. Quilibet enim facturus iter totam viam mente quasi occupat, notat singula loca, per quae eundum; ubi pernoctandum, hospitium curat, et quid quovis loco sit notatu dignum, diligenter inquirit; iter si longius fuerit, universum dividit, singulasque partes diligenter designat. Quae ignota pars est, de ea curiosus quaerit, ut ambages vitet, nec a recta via inscitia sua deducatur. Felicem praedicaveris, si viam notam tritamque habuerit, qua incedens, quo tendit perveniat. Longum mihi suscipiendum est iter, via incerta ac dubia; tenditur ad veritatem, sed per obscuritates sylvarum, trivia multa et ingentes paludes iter est, quae retinent properantem, inprovidum a recta via deducunt, et impedimentis involvunt, unde se expedire vix poterit. Variae sunt, quae per regiones nobis peragrandae, ducunt viae, verae aliae, aliae falsae. Verae illae quidem per ambages ad metam ducunt, nec a maximis incommodis liberae sunt. Quae si quis animadverterit, et novam viam sibi praescribere conatus fuerit, nescio an non laudandus magis sit, quam vituperandus. Iam cum perlustrandae sint tam variae, ut videntur, philosophorum de summo bono sententiae, quem ordinem in ea re servarem, circumspiciens, plane recedendum a via consueta arbitrabar. Etenim, qui scripserunt disputaruntque de omni philosophiae historia, quot auctores sibi reperisse visi sunt, quos singulari quodam ingenii acumine, aut disputandi dexteritate nova proposuisse putabant, universam rem dividentes, tot scholas fecere, ita, ut, numero illarum in immensum aucto, difficillimum videretur, tot

partes easdemque saepissime minimas in corpus quoddam redigere, et communi quodam vinculo continere, atque, quatenus discrepent singulae sententiae, quatenus conveniant, quae seiungendae partes sint, quae coniungi possint, uno coniectu oculorum contueri, et iusto modo diiudicare. Notissimam illam universam scholarum philosophicarum divisionem num iure existimem falsam, certe inutilem esse, aliorum iudicio relinquam*). Universa autem philosophiae historia ad nos non pertinet, quare de illa divisione non dicam copiosius; sufficiat monere hoc, non secundum auctores simpliciter esse dividendum ordinemque componendum, quoniam multi diversa docuisse visi sunt, cum res eaedem essent, et, si diversas semel scholas feceris, non facile tollitur discrimen illud levissimum quidem, si rem spectes, gravissimum vero propter maxima, quae inde oriuntur, incommoda. Habet enim, ut reliqua taceam, plurimas errandi causas, ac rebus tam varie divisis, cum nullum adsit saepe verum *κριτήριον*, quo distingui possint, vix fieri potest, ut tantum scholarum numerum memoria tenere et accurate discernere possis. Quare non ad magistros respiciendum arbitror, sed ad eorum sententias, nec si adversari sibi videantur, statim separandi, et auctores peculiaris scholae constituendi sunt, sed videndum, num, quae docuerint, vere consentiant, an discrepent, et pro diversitate principiorum sententiarumque diversas scholas distinguere

*) Duplici modo dividi solet, ita, ut a Pythagora et Thalete causa dividendi sumatur; a Pythagora Italicos, a Thalete Jonicos ortos esse praecipiunt. Sed nititur divisio non nisi patriae diversitate, non vero sententiarum ipsarum varietate, habetque inter alia et hoc incommodi, quod Jonica schola in partes fere innumerabiles discindi debuit, et, quot Socrates discipulos clariores habuit, tot singulae scholae divisae sunt, licet non multum discrepuerint ipsorum sententiae, ut in Peripateticis et Academia vetere animadverti potest. Melius fuisse videtur singulas sententias comparare, atque ita varias scholas constituere. Ac nescio an divisio illa in philosophiae historia locum habere possit, cum in ea tradenda res omnis in enarrandis placitis versetur, illiusque varia fata exponantur variique progressus. Quare vehementer mirandum videtur, qui potuerit Bruckerus librum suum tam splendido modo inscribere, cum copiosissimus fuerit in singulorum philosophorum fatis enarrandis vitaque describenda, ut ne servos quidem ipsorum, liberos et uxores, nec victum varium vestitumque praetermiserit, quae quidem curioso possunt voluptatem quandam praebere in vitis talium virorum perlegendis, sed nullius momenti videntur esse in ipsa, cuius criticam historiam scribere pollicitus est, philosophia. Optima de instituenda philosophiae historia praecepisse videtur Reinhold, Vir. III. in Fülleborni libro, quem nuperrime edidit: *Beiträge zur Geschichte der Philosophie*, P. I. p. 1. ss.

necesse est. Recedam igitur a more recepto, quod mihi quidem videtur valde necessarium esse, quoniam sententiae illae, quamvis dissimiles esse videantur, multum similitudinis habent, et, ut verum dicam, vere consentiunt. Liceat itaque, omisso omni scholarum discrimine, res ipsas indagare, et, quatenus consentiant tam variae sententiae, quatenus dissentiant, accuratius quaerere, ut commune quoddam vinculum habeamus, quo omnes possint coniungi et contineri, diversae vero separari ac seiungi. Ac facile quemvis intellecturum putaverim, omnes quoad summam rei consensisse, ut nunc videbimus accuratius. Scilicet in maxima sententiarum de summo bono diversitate duplex consensus est.

Primum consensisse puto omnes in eo, quid sit summum bonum. Id enim, omnes existimarunt, esse, quod maxime cuique expetendum optandumque sit, quo referantur omnia tamquam ad finem suum et circumscribantur*). In quam rem primum afferamus auctoritatem Aristotelis. Etenim statim sub initium librorum moralium, qui Nicomachei dicuntur, postquam docuit, in omnibus hominum actionibus spectari finem quendam, quem, tanquam bonum quoddam, semper propositum ante oculos quisque teneat, plures autem fines esse atque ad singulas actiones referri debere, subiecit, omnes tamen necessario convenire in uno eodemque, et, in quo conveniant, summum et ultimum finem, extremum et summum bonorum esse. Sumebant quidem philosophi omnes, bonum quoddam expeti ab omnibus, omnesque eorum actiones finem quendam spectare, et necessario respicere. Plures quidem esse singularum actionum fines, universam vero vitam eundem petere debere. Hunc autem finem bonum aliquod esse, malum enim neminem expetere aut optare posse. Bona quidem plura esse dicebant, aliis alia, majora aut minora, alia itaque magis appeti, alia minus, summum bonum autem esse, quod expeti debeat ab omnibus. Putabant omnes, et recte quidem, neminem singulis morum praeceptis obtemperaturum, nisi adsit, quo referre ea possit. *Proponamus*, inquit Seneca quodam loco **) *oportet finem summi boni ad quem nitamur, ad*

*) L. I. c. 1. *εἰ τὶ τέλος ἐστὶ πρακτῶν, ὃ δὶ αὐτὸ βουλόμεθα, τὰ ἄλλα δὲ διὰ τοῦτο, καὶ μὴ πάντα δὶ ἕτερον αἱρούμεθα (πρόεισι γὰρ οὕτωγ᾽ εἰς ἄπειρον, ὥς᾽ εἶναι κενὴν καὶ ματαίαν τὴν ὄρεξιν), δῆλον ὥς τοῦτ᾽ ἂν εἴη τ᾽ ἀγαθὸν, καὶ τὸ ἄριστον.*

**) ep. 85. cf. ep. 71. et multae aliae, praecipue ep. 74. et 118.

quem omne factum nostrum dictumque respiciat; veluti navigantibus ad aliquod sidus dirigendus est cursus; vita sine proposito vaga est. Igitur omnes uno consensu videntur existimasse, summum bonum esse, quod ad nihil referatur, ad quod autem referantur omnia. Idem et Platonem atque Ciceronem multosque alios statuisse, ejus rei multa apud eos reperire vestigia licebit, quae singula proferre, nec loci huius est, nec, cum sint in promtu, necessarium videtur*). Nullum igitur inter finem bonorum et summum extremumque bonum discrimen est, et varia nomina sunt, quae idem significant, quod ipsum videre licet e Cicerone, qui summum bonum finem bonorum dixit et nomina idem significantia usurpavit promiscue. Ei finis dicitur, quod in quaque re est summum. Graecis quidem nunc *τὸ ἄριστον τῶν πρακτῶν ἀγαθὸν, τὸ ἀκρότατον τῶν πρακτῶν ἀγαθὸν*, ut Aristoteli, nunc *τὸ τέλος τῶν πρακτῶν* dicitur, et multis aliis modis. Unde in Graecae vocis similitudinem Latinis nomen venit finis bonorum, de quo supra dixi**). Contrarium quod esse videretur ei fini bonorum, et esset *καθ' ὅλον* oppositum, summum et ultimum malum, finem malorum dicebant. Et hoc quidem, quod ab omnibus accipi solebat, summo bono, explicari posse putabant omnes humanae naturae appetitus, cupiditates omnes omnesque, qui coniuncti esse solent, animae humanae motus. Habemus itaque formam quandam summi boni, sed inanem eam ac vacuam, quae quid contineat nondum est definitum.

Jam vero nova orta est quaestio, quis sit ille finis, vel quodnam sit summum bonum. Omnes autem uno ore et hic consensisse, cum contendam, non facile puto concessuros esse omnes, cum tantus hic dissensus, quem ipse antea concesserim, reperiri videatur. Attamen, si verum dicendum est, et hic con-

*) Quae enim Plato pluribus locis, praesertim autem in Philebo (v. c. p. 322. Vol. IV. ed. Bip.) disputavit *περὶ αὐταρκείας τ' ἀγαθοῦ καὶ τῆς τοῦ ἱκανοῦ καὶ τελείου δυνάμεως*, ex iis intelligitur, summum bonum sive finem eum putavisse, quo omnia referri possint generis humani bona, qui sufficiat, nec ad aliam rem quocumque modo sit referendus.

**) Cicero enim de Fin. L. III. c. 7. cum de summo bono esset disputatio, hoc in explicationem vocis addidit: *sentis enim, credo, me jam diu, quod τέλος Graecus dicat, id dicere tum extremum, tum ultimum tum summum; licebit etiam finem pro extremo aut ultimo dicere;* quod quidem omni, quae sequitur, disputatione comprobatur.

sentiunt. Effici enim facili negotio posse puto, consensisse omnes in eo, ut finem dixerint felicitatem beatitudinemque omnibus numeris absolutam. Altius autem repetenda videtur oratio. Finem omnium bonorum dicebant, id quod supra docui, eum esse, ad quem omnia referri possint, quem consequi omnes studere debeant et maximopere appetere, quo omnes hominum actiones definiantur quasi et circumscribantur. Hanc autem esse felicitatem, vel beatitudinem, sive beatam vitam existimasse videntur omnes.

A Socrate, sicut universae disputationis, ita et hic fiet initium. Cuius quidem scripta nulla exstant, nec credibile est, eum literis unquam aliquid mandasse. Quae e divini viri ore fluxere melle dulciora et sapientissima, servavit Xenophon ex parte, et sincere, ut videtur et ab omnibus creditur. Xenophontis autem hac de re disputatio variis licet dispersa lateat dialogis, facillime tamen intelligi potest, quamnam finem Socrates statuerit *). Semper praecepit Socrates, quem rectissime *ἡδόλογον* Sextus Empiricus dicit, quomodo quis posset *ἡδέως ζῆν*, ut ex omnibus apparet, quae ad nos pervenerunt. Erat hoc sapienti viro ubique propositum, ut tradendis virtutis officiis et adhortationibus ad vitam recte agendam et sapienter, ad felicitatem acquirendam monstraret viam, ut suaviter et beate vivere possent, si recte et sapienter vivere didicerint. De Socraticis reliquis, qui iure quodam *κατ' ἐξοχὴν* ita vocari solent, nihil dicam **).

Platonem autem, omnis Academiae auctorem, quamquam vix credere aliquis voluerit, qui declamationes eius longas et disputationes elegantes de virtute divinaque idea legerit, tamen non possumus non, quin existimemus, felicitatem solam expeti-

*) Sic in omni, quae cum Aristippo instituta legitur disputatio Memor. II. c. 1. hoc tenet et semper urget, secundum illius sententiam suaviter vivi et beate non posse: legantur v. c. §. 7 — 12. et §. 19. et elegantissima, ut sunt Xenophontea, de Hercule narratio cujus conclusio est, non voluptate, sed sapientia acquiri posse beatam vitam. Sermo est *περὶ ὁδοῦ πρὸς εὐδαιμονίαν*, et tota res finitur hoc modo: *τοιαῦτα σοι ἔξεστι διαπονησαμένῳ τὴν μακαριστοτάτην εὐδαιμονίαν κεκτῆσθαι.*

**) De Xenophonte iam dictum est. Aeschinis quae exstant, docent, vere Socraticum eum fuisse; praesertim, quem de virtute conscripsit, dialogus. De Cebete, qua humanam vitam depinxit, tabula testatur, ut taceam alios.

isse vel beatitudinem (eadem enim vis utrique vocabulo subiecta est.) Quod satis luculenter docent, quae disputantur ab eo, in Philebo et multis aliis dialogis. Licet enim varie se torqueat bonus vir interrogatiunculis variis, iisque magnam adspergat sententiae suae obscuritatem; quam reprehensionem qui in omnem Platonem reiecerit, eum nescio an iniuriam fecisse huic viro dicere possim; hoc tamen apparet, eum felicitatem quandam sibi proposuisse, de qua semper locutus est, quam ubique commendavit, nec vero voluptate sola nec sapientia constare dixit. Quamnam dixerit, difficillimum est certo definire, cum, ut jam dictum est, perobscurus sit, et in verbis sese occultet. Id vero certissime constat, spectasse omnem eius doctrinam beatum vitae genus, sive in similitudine quadam dei, vel pleno virium corporis animique usu, ad perfectionem dei accedente et gaudio inde oriundo, sive in illa voluptatum sapientiaeque prudenti coniunctione eum quaesivisse finem bonorum et unice omnibus appetendum dixeris *)

*) Haec verissima esse, reperiet, qui diligenter perlegerit cum Philebum, tum reliquos Platonis, quatenus hanc, quam tractamus, rem attingunt, libros, nec operae pepercerit, ut per splendidissimam illius eloquentiam penetrare audeat, quam ad garrulitatem accedere multis locis putant nonnulli. Quod quidem iure fieri non facile dixerim; hoc vero ipse expertus sum, et questi sunt vehementer et alii, magnam et multam obscuritatem cum disputandi ratione Platonica esse coniunctam, quam, num consulto quaesiverit subtimidus, ut occultare se sententia sua posset, vix ausim definire. Singula loca copiose afferre, quod latere eius sententia semper solet, vix possumus. Unum e Philebo locum commemorasse operae pretium fuerit, quod rem affirmat et in promtu est: (Vol. IV. p. 311. ed. Bip.) Ita enim ille: *οὐκοῦν*, ait, *εἰ τἀληθέστατα τμήματα ἑκατέρας ἴδοιμεν πρῶτον ξυμμίξαντες, ἆρα ἱκανὰ ταῦτα ξυγκεκραμένα τὸν ἀγαπητότατον βίον ἀπεργασάμενα παρέχειν ἡμῖν;* — et paullo ante, p. 309. (ut breviter dicamus, quaenam fuerit eius sententia, tam multis involuta interrogatiunculis, ut possimus dicere cum Protarcho: *ὀυδὲν δεῖ ταῦτάγε πολλάκις ἐπερωτᾷν.*) *εἴ τις — μνήμην, καὶ ἐπιστήμην — ἢ ἡδονὴν ὡς σφοδροτάτην δέξαιτ᾽ ἂν, — καὶ λαβὼν ὁτιοῦν, οὐ δοξάζοι χαίρειν, — οὐκοῦν τό γε τέλεον, καὶ πᾶσιν αἱρετὸν, καὶ τὸ παντάπασιν ἀγαθὸν, οὐδέτερον ἂν τούτων εἴη.* Totus enim in eo est Plato in Philebo, ut demonstret, ad beate vivendum neque illas res, quae vulgo bonae dicantur, neque voluptatem sufficere; nec sapientiae, seorsim spectatae, felicitatem inesse posse: coniunctione quadam opus esse ad praestandam vitam *βέβαιον* et *εὐδαίμονα*, pag. 214. *τολμῶμεν ἂν πῃ ἐλεγχόμενοι μηνύσωσι, πότερον ἡδονὴν τ᾽ ἀγαθὸν δεῖ λέγειν ἢ φρόνησιν, ἤ τι τρίτον ἄλλο εἶναι.* (*τ᾽ ἀγαθόν* enim summum apud Platonem et alios bonum fignificat, bonum in universum *ἀγαθὸν* dicitur.) Disputatur nimirum contra Philebum, qui (ut dicit Socrates p. 308.) *τὴν ἡδονὴν σκοπὸν ὀρθὸν πᾶσι ζώοις γεγονέναι*, contenderat, et urgetur semper hoc, *τὸ μόνον καὶ ἔρημον εἰλικρινὲς εἶναί τι γένος, οὔτε πάνυ τι δυνατὸν οὔτ᾽ ὠφέλιμον.*

Ac Peripateticae quidem scholae auctor, Aristoteles ipse summum bonum felicitatem esse putavit. Ut enim taceam, eum nobiscum consentire, et felicitatem omnes finem bonorum dixisse, disertis verbis affirmare*), ipse quoque ingenue profitetur**), si quid sit, quod perfectissimum ac summum bonum haberi debeat, id esse profecto, cuius causa appetenda sint omnia, quod vero propter se ipsum, non vero ob aliam causam appetatur; eiusmodi autem felicitatem sibi maxime esse videri et omnia bona recte continere, quod non ob aliam rem, sed propter se ipsa appetatur. Quibus addidit paullo infra, quae putaverint alii *τὸ τέλειον ἀγαθὸν*, iis felicitatem inesse putavisse***). Composuit enim e variis, quae illi discernerent, suam felicitatem. Nec enim voluptatem solam sufficere docebat, nec virtutem, bonis externis destitutam, nec vitam in contemplatione collocatam. Coniunxit igitur plura, et beatam vitam e sempiterno studio

Quae in illa mixtione adesse voluerit Socrates, cui suam personam dedisse videtur Plato, enumerantur in sequentibus p. 320. Iis nimirum coniunctim *αὐτάρκειαν τἀγαθοῦ* effici putabat Plato, cum singula *τὴν τέλειαν δύναμιν* praestare non possent. Nonnulla ad rem nostram spectantia adsunt in Protagora, (Vol. III. pag. 183. seq.) et multis aliis locis. Quam Platonis sententiam expressit egregie Iamblichus ad Sopatrum de virtute: *εὐδαίμων ἐστὶν ὁ θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν ὅμοιος, τέλεος, ἁπλοῦς, καθαρὸς, ἐξηρτυμένος ἀπὸ τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς.*

*) Locus est Ethic. Nicom. I. c. 2. *λέγωμεν δὲ ἀναλαβόντες, ἐπειδὴ πᾶσα γνῶσις καὶ προαίρεσις ἀγαθοῦ τινὸς ὀρέγεται τί ἔστιν οὗ λέγομεν τὴν πολιτικὴν ἐφίεσθαι, καὶ τί τὸ πάντων ἀκρότατον τῶν πρακτῶν ἀγαθόν; ὀνόματι μὲν οὖν σχεδὸν ὑπὸ τῶν πλείστων ὁμολογεῖται· τὴν γὰρ εὐδαιμονίαν καὶ οἱ πολλοὶ καὶ οἱ χαρίεντες λέγουσιν. τό τε εὖ ζῆν καὶ τὸ εὖ πράττειν ταὐτὸν ὑπολαμβάνουσι τῷ εὐδαιμονεῖν.* Quod omnes fere, *σχεδὸν πάντας* dixerit, in eo consentire, non obesse nobis videtur. Quae enim dissentire videntur sententiae, eas, si rem accuratius inquiras, consentire, postea apparebit.

**) l. c. 5. *ἐπειδὴ πλείω φαίνεται τὰ τέλη, τούτων δ' αἱρούμεθα τινὰ δι' ἕτερα — δῆλον ὡς οὐκ ἔστι πάντα τέλεια, τὸ δ' ἄριστον τέλειόν τι φαίνεται, ὥσ' εἰ μέν ἐστὶ ἕν τι τὸ μόνον τέλειον, τοῦτ' ἂν εἴη τὸ ζητούμενον, — τελειότερον δὲ λέγομεν τὸ καθ' αὑτὸ διωκτὸν τοῦ δι' ἕτερον, καὶ τὸ μηδέποτε δι' ἄλλο αἱρετὸν τῶν καὶ καθ' αὑτὰ, καὶ διὰ τοῦθ' αἱρετῶν, καὶ ἁπλῶς δὴ τέλειον τὸ καθ' αὑτὸ αἱρετὸν αἰεὶ καὶ μηδέποτε δι' ἄλλο· τοιοῦτον δὲ ἡ εὐδαιμονία μάλιστ' εἶναι δοκεῖ. ταύτην γὰρ αἱρούμεθα αἰεὶ δι' αὑτὴν καὶ οὐδέποτε δι' ἄλλο.* cf. L. X. c. 6.

***) c. 9. *φαίνεται δὲ καὶ τὰ ἐπιζητούμενα περὶ εὐδαιμονίαν ἅπαντα ὑπάρχειν τῷ λεχθέντι. τοῖς μὲν γὰρ ἀρετὴ* (Zenoni), *τοῖς δὲ φρόνησις* (Socraticis), *ἄλλοις δὲ σοφία τὶς εἶναι δοκεῖ· τοῖς δὲ ταῦτα, ἢ τούτων τὶ μεθ' ἡδονῆς ἢ οὐκ ἄνευ ἡδονῆς*, (Platonem fortassis innuit) *ἕτεροι δὲ καὶ τὴν ἐκτὸς εὐετηρίαν συμπεριλαμβάνουσι* (Aristippus cum discipulis); quibuscum quatenus ipse consentiat, quatenus dissentiat, iam in sequentibus exponit.

suavem agitationem, sed illam tranquillitatem animi, quae e virtute orta, stabilis sit et sine dolore; voluptates corporeas procul abesse a summo bono, sed corporis quandam conditionem placentem, (*τὸ μὴ λυπεῖν κατὰ σῶμα*) adesse debere, *καταστηματικὴν*, quam *ὑγίειαν τοῦ σώματος* appellabat, cum illam animi voluptatem *ἀταραξίαν ψυχῆς* nominaret. En egregium, quem constituerat finem Epicurus, qui eodem quidem laborabat vitio, quo reliqui omnes, quorum tantopere suum quisque auctor commendabat. Neque enim aliud voluit, quam quod potest ac debet sapiens hoc rerum ordine tantum considerando sibi proponere, quod sibi proposuerant Stoici, ex adverso oppositi Epicuro, quod affectabant Cynici, carnifices voluptatum, quod suavissimis coloribus depingere solebat Socrates, quod non recte intellectum persecuti sunt fanatici. Quid enim de Aristotele dicam, cuius tantam esse cum sententia Epicuri similitudinem, ut eadem haberi possit, facile quisque intelliget? Quid? nonne vita sua Epicurus probavit magnopere, se per voluptatem, quam dicebat, virtutis effectum (*ἐνέργειαν*) intelligere. Quid de Academicis dicam, qui illam dei similitudinem summum bonum hominum dixerunt. Quales, quaeso, Epicurus deos suos descripsit? *) Nonne eadem voluptate illos frui dixit, quae appetenda hominibus esset, quamvis assequi eam non plane liceret. Mittam omnes eos, qui invidia quasi excoecati Epicurum oppugnarunt et ex perversa vivendi ratione eorum, qui, ut habere viderentur,

*) In Epicuri sententia enucleanda unice fere utendum arbitror Laertio L. X. et illis, quae annexae sunt *κυρίαις δόξαις*, quae sincere explicant eius sententiam, pessime intellectam: Laudat ibi vehementer *ἡσυχίαν ἀμέλητον καὶ ἀταραξίαν*, et optime docet: *οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως*, (quae et Stoicorum sententia et Socratis fuit) *συμπεφύκασι γὰρ*, addidit, (quod Aristoteles quoque putabat) *αἱ ἀρεταὶ τῷ ἡδέως ζῆν, καὶ τὸ ζῆν ἡδέως τούτων ἐστὶν ἀχώριστον*. Voluptates corporis, *τὰς ἐν κινήσει*, vehementer contemsit, ut docet Laertius L. X. c. 27. *οὐ τὰς ἀσώτων ἡδονὰς, καὶ τὰς ἐν ἀπολαύσει κειμένας, ἀλλὰ τὸ μήτε ἀλγεῖν κατὰ σῶμα μήτε τὸ ταράττεσθαι κατὰ ψυχήν*. cf. S. 28. 38. Quae apud Ciceronem disputantur Fin. I. c. 17. docent quoque, quamnam intellexerit voluptatem, cum inter *ἡδονὴν καὶ τὸ μὴ λυπεῖν*, nullum discrimen interesse dixerit. Egregiam hanc sententiam habuisse Epicurum, senserunt complures, eumque multis modis defenderunt, licet multi ex instituto id non fecerint. Ex inimicis eius est Plutarchus, qui in libro *quod Phil. c: Princ.* *ὅδε Ἐπίκουρος*, ait, *τὸ ἀγαθὸν ἐν τῷ βαθυτάτῳ τῆς ἡσυχίας τιθέμενος*. Seneca Ep. 66. de vit. beata c. 12. 13. Cic. Tusc. III. Tertull. de spect. c. 28. Clarissimus autem est, quem in defensionem Epicuri scripsit P. Gassendus *de vita et moribus Epicuri liber*, et *Commentar. in L. X.* Laertii Tom. III. cf. Cic. ad Fam. XV. 16.

quo vitam suam petulantem excusare possent, Epicuri discipuli haberi voluerunt, tantam innocenti viro contraxerunt invidiam, quantam nemini fere philosophorum contractam apud omnes videmus. Cavendum autem esse arbitror, ne cum Aristippo commisceatur Epicurus noster, vel Epicuri schola cum Hedonica, quae vocari solet*). Nec dubitaturum quemquam puto, quin felicitatem quandam in animo habuerit, quam in voluptate corporis quadam, ἡδονῇ ἐν ἀπολαύσει κειμένῃ posuerit. Quae Socrates contra eum disputavit, et recte, ut nobis quidem videtur, luculentissime declarant, Aristippum idem voluptate expetendum voluisse, quod sola virtute acquiri posse docebat Socrates et sapientia. Quid de Megaricis dicam, quos non multum a Platone discessisse dicit Cicero?**) Quid Eliacos tandem attingam, quos a Socrate, cuius Phaedo auditor fuerat, quantum nos quidem scimus, non recessisse constat; paucissima enim sunt quae habemus, plura temporum iniuriis erepta.***)

Restat unus e Socratis discipulis, cuius virtutem obtusa laena involutam et graviter incedentem ultimo loco commemorare volui. Etenim, si, hunc quoque virum tam strenua virtute ad felicitatem adspirasse, effecero, nemo facile erit, qui neget, quod supra statuimus, omnes philosophos in summo bono definiendo consensisse. Quid enim quaerere videtur Antisthenis speciosa virtus, quae non vincere tantum naturam sed excedere adeo sibi proposuerat? Quid quaerit animus eius constans, renuens omnia, quae reliquis videntur, vitae humanae bona, abstinens ab omnibus, quae, ne suavem dicam, commodam certe vitam faciunt et tolerabilem? Quid virtus illius prae se fert, austero et moroso incedens vultu, quae aequo constantique animo tolerare solet et egregia fortitudine omnia, quae infelicissimos redderent alios, quae a rebus maxime licitis abstinet, quae indignas contumelias et ignominias non fugit, et omne, quod

*) Vid. Laertii Aristipp. c. 8. L. X. 28. Commiscuit Cicero Fin. L. II. c. 11.

**) Tusc. Qu. L. II. cf. Acad. Qq. L. IV. c. 42. Laertius L. II. in Euclid. s. 106. ss. Obscura quidem esse videtur eius sententia ex parte, cuius vero similitudo cum Academia negari non potest.

***) Scholam propriam instituit Phaedo, non singularem αἵρεσιν; quae, in patriam a Menedemo translata Eretriam, Eretriaca vocata est.

humanae imbecillitati decorum videtur, non curat, et quasi pedibus calcat, ut ipsa sola sibi sufficiens, omnia humana bona omnemque humanam naturam, quae felicitatem adspirare solet et beatitudinem, superet, et summorum bonorum compos ex alto veluti miserabunda adspiciat terrena quaerentes? Ut iactantiam taceam et vanum gloriae studium, quod per scissuram illam pallii adspicere se Socrates dixit, videamus, quaeso, num humani quid inveniri possit in divina virtute viri strenui, quod ad felicitatem quodammodo adspirare videatur. Non nego timidiuscule me accedere ad invictam hucusque huius scholae, illiusque clarioris, quae ex ea originem habet, summae virtutis famam, quae nil habeat illius studii, quod propriam utilitatem curet, quae nil spectet nisi se ipsam, et sanctitatem prope *divinam* attingere videatur. At audendum aliquid arbitror, ut nuda *quasi* veritas apparere nobis et acclamare possit, felicitatem illa virtute Cynicos quaesivisse et beatitudinem, ad quam accedere nemo nisi per virtutem posset. Quam ingenue enim audimus eum apud Laertium profitentem, solam virtutem ad beatam vitam sufficere.*). Virtute ergo felicitas quaeritur, virtus vero, quod sufficit ad vitam beatam. En verbis significatam splendidis felicitatem, quam Aristoteles voluit, intellexit Epicurus, quae placuisse videtur Platoni. Clarior fere magistro Diogenes fuit, cui vita, quam sub dolio agebat, virtutis vero sibi conscia, sufficere ad maximam beatitudinem, et ad divinam adeo felicitatem accedere videbatur. Qui, quo minus indigeret aliis, eo sibi Diis similior videbatur esse, quos felicissimos putabat, qui urceum in terram proiiciens frangebat et, cum ultimam fortunae suae ruinam quietus prospiceret, vehementissime de felicitate sua et *αὐταρκίᾳ* gaudebat. Et Alexander quidem bene intellexit, quanta ista *αὐταρκίᾳ* illoque rerum externarum contemtu felicitas parari posset, quae Diogeni contigisse videbatur, ut felicem ac beatum praedicare non dedignaretur.

Cynicorum elegantior propago, ea vero longe clarior Stoici

*) L. VI. s. 11. *αὐτάρκη τὴν ἀρετὴν εἶναι πρὸς εὐδαιμονίαν, μηδενὸς προσδεομένην. τὴν δὲ ἀρετὴν τῶν ἔργων εἶναι μήτε λόγων πλείστων δεομένην, μήτε μαθημάτων. αὐτάρκη τε εἶναι τὸν σοφόν.* Evidentissima sunt, quae de Diogene leguntur l. c. s. 71. *δέον οὖν — ζῆν ἡδέως — καὶ γὰρ αὐτῆς τῆς ἡδονῆς ἡ καταφρόνησις ἡδυτάτη προμελετηθεῖσα. κ. τ. λ.*

sunt, de quibus iam ultimo loco est dicendum.*) Stoica quidem schola, quam Zeno Cittieus instituit, tanta floruit fama, ut vix credibile visum fuerit nonnullis, et in Stoa illa, cui soli fere virtutem et honestatem inesse putarunt veteres, felicitatem ambulasse. Non placet hic singulis inhaerere ac splendidis verbis, quibus, cum de summo bono loquuntur, uti solent Stoici, ne eorum splendor, et instructissima declamationum copia, non tam vincat animum nostrum persuasione docta, quam occupet, atque ex obliquo, insidiis impeditum, in sylvosa quasi valle, petat capiatque. Verbis enim Stoicorum non nimis fidendum est; ludunt iis pueriliter saepe, et interrogatiunculis capiunt auditorem et declamationibus; fallunt incautos subductis superciliis, et contracto oculo imprudentes, et dum sub ingenti verborum mole tutissimi latitant, sese a curioso oculo defendunt, ut quales haberi velint, crebro audias, quales vero sint, vix videas. Eos puduisse existimaveris eius, quae sub magnificis verbis latet, sententiae, ut torqueant sese varie et anxietatem prodant adspectum publicum timentium.**) Ut autem nuda proponatur eorum sententia, et, qua usi sunt, concludendi ratio, haec fere fuit: Finem bonorum esse a quo pendeant omnia, quod vero pendeat a nullo, finem autem sive ultimum expetendorum esse secundum naturam s. naturae convenienter vivere; naturae autem convenienter vivere esse honeste vivere, ergo summum bonum esse, honeste vivere; secundum naturam enim vivere esse, nihil appe-

*) Laertius enim in Menedemo de Cynicis l. c. s. 104. dicit: *ἀρέσκει δ' αὐτοῖς καὶ τέλος εἶναι, τὸ και' ἀρετὴν ζῆν, ὁμοίως τοῖς Στωϊκοῖς· ἐπὶ καὶ κοινωνία τὶς ταῖς δυσὶ ταύταις αἱρέσεσιν ἔστιν.* Zenonem Cratetis familiaritate usum esse, refert idem L. VII. s. 3. et. auditorem eius fuisse, s. 4. Cratetis illum quidem vitae genus non ex omni parte probasse, eodem loco narratur, at commentarios scripsisse dicitur, *κρατῆτος ἠθικά.* Non placuit elegantiori viro vita Cratetis et, quae ille docebat de abstinentia ab omnibus bonis. Quare exornavit doctrinam suam diligentius, quemadmodum et vitam ornatiorem habuit, ut recte tunica tantum distare Stoici a Cynicis viderentur. Aliis quoque scholis non nihil acceptum referunt, e quibus novam scholam conflavit Zeno; plurima vero, ut iam diximus, Cynicis.

**) Quae Stoicorum vitia vehementer urget Cicero *Fin. I. 3.* Obiicit enim iis *spinosum dicendi genus, et quod vellant de spinis, atque ossa nudent, quodque pungant, quasi aculeis, interrogatiunculis* etc. Ipse Seneca Ep. 48. *Scilicet nisi interrogationes vaferrimas struxero, non potero a fugiendis petenda secernere, pudet me, in re tam seria senes ludimus — O pueriles ineptias! in hoc supercilia subduximus? in hoc barbam demisimas? cf.* ep. 82. 118.

tere, nisi quod sit in potestate nostra; hoc autem esse honestum; sapientis igitur esse honestum appetere, quod sit unice bonum, omnia, quae *οὐκ ἐφ' ἡμῖν* sint, spernere. Sapientem enim et virtutis studiosum unice felicem praedicari posse, qui non sapiens sit, eum miserum esse et infelicem. Itaque, (quod quidem non addebant, nobis vero addere liceat) virtute felicitas quaerebatur. Hinc vero evidenter patet, finem remotiorem iis fuisse virtutem, summum vero felicitatem. Sed redeamus ad rem nostram. Argumenta nimirum, quibus oppugnare solent Stoici Epicurum, ita comparata sunt, ut, quid senserint et statuerint ipsi, luculenter appareat. Quid enim est, quod tantopere invehant in Epicurum eumque pessima suadere clament? Bestiarum beatitudinem eum tradere dicunt, quae homini vitam beatam *praestare* nequeat; miserum esse, qui voluptatibus deditus sit et servum, (at unam tantum Epicurus voluptatem habuit) solum sapientem liberum esse, qui nil quaerat, nisi quod suum sit et esse possit, cui composita sit virtute vita, lenis et tranquilla, qui non lacessatur fortuna externa, quam non curet. Quantopere extollunt illam sapientis vitam, qua nihil sit suavius, nil exoptabilius, tranquillitatem illam animi ratione firmatam, ubi semper hilaris sit animus, placidus et inconcussus, ita, ut nunquam moestus sis, nulla spes timorve animum tuum futuri expectatione sollicitum reddat, ut per dies noctesque idem et aequalis animi tenor erecti ac placentis sibi sit. *) Quam suavem depingunt illam beatitudinem sapientis, nil a fortuna timentis a qua nil exspectavit, qui se ipso contentus esse didicerit, omnia in se quaerat, fortuna nil debeat, quippe quae inconstans sit, nec veram beatitudinem praestare possit; qui, cum coelum adeo ruinam minatum fuerit, non contremiscat, sed in se recedat; quem nulla cupiditas animi irritet, nulla spes commoveat, qui nullam voluptatem quaerat nisi in se ipso, et virtute, quam colat; qui hoc unice studio delectetur, virtutem tantum appetat et honestum, idque propter se ipsum, (h. e. quod satis voluptatis afferre ipsi videatur). Hunc felicem dicunt, hunc unice beatum, regem, liberum, reliquos omnes servos, miseros et infelices. — Hinc. illae lacrymae, exclamare iuvat cum poeta! hinc tam acre et

*) Verba sunt e Senecae epistola quadam depromta, quae suavissimam imaginem refert felicitatis, quae a constanti et hilari sapientis vita seiuncta esse non possit.

strenuum virtutis studium, haec illa ἀπάθεια, ille omnium bonorum et rerum externarum contemtus!*) Quid suadent ergo tamquam summum bonum expetere? Virtutem, inquis, finem bonorum dicunt sive honestum, vel secundum naturam vivere; diversae enim formulae idem significare videntur. Ita profecto est. At quare quaeso, virtutem laudant, num, quod dignum esse putant ratione humana, virtutem colere? Voluptatem quandam e virtute quaerunt, quam, licet non diserte dicant, summum bonum esse putarunt. Illam enim, quae virtutem vel sapientiam comitari semper solet, quam mens recte factorum conscia percipit, quae maxima profecto est, voluptatem quandam animi et quietem sufficere posse putabant ei, qui vitam beatam quaereret, ideoque, qua quidem in re maximopere eos laudandos putaverim, unicam viam et quidem brevissimam ad absolutam omni modo et perfectam beatitudinem esse virtutem. Sicut igitur omnis eorum doctrina morum utilitatis studio tamquam principio innititur, id quod luculenter demonstravit Ill. Tiedemannus,**) ita et is, quem docebant, summus bonorum finis, si prosequi eum volueris, ad felicitatem recurrit. Non puto, fore, qui existiment, calumnias me conferre in Stoicorum virtutem. Omnes enim, qui Stoici et haberi volunt et habentur apud nos et habebantur apud veteres, de illa εὐδαιμονίᾳ loquuntur, quae unice honesti illius studio acquiri possit.***) Quis vero Senecae egregium librum non novit, quem de beata vita scripsit, quam eam omnino depinxit, cuius in superioribus lineae nonnullae sunt

*) Quae iam de Stoicorum sententia, et paullo copiosius fortassis, ut solent ipsi, disputavi, Stoicorum placita fuisse, non puto fore qui neget. Inculcantur ea quavis fere pagina, quod concedet, qui Senecae epistolas perlegerit, refertas eiusmodi formulis et speciosis verbis, quae supra posui. Ipsum vero, constat, minime vita sua et moribus comprobasse egregia sua, de temperantia rerumque omnium externarum contemtu, praecepta, quem luxuriei deditum multi narrant, nec iniuria, ut videtur, si vera sunt, quae ei obiici solent; sed haec nihil ad nos. Felicitatem autem eum quandam quaesivisse ex illa ἀπαθείᾳ, (quam superbiam nonnulli dixerint) cum ipse omnium bonorum copia abundaret, luce clarius est.

**) In libro inscripto: *System der Stoischen Philosophie*, Tom. III.

***) Cf. Paradoxon Stoicorum I. a Cicerone explicatum, quod ita finitur: *„profecto nil est aliud bene ac beate vivere, nisi honeste ac recte vivere."* secundum, quod sequitur, haec verba inscripta habet: ὅτι αὐτάρκης ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν, et fuerunt tamen illa saepissime in Catonis ore, ut Cicero ipse dicit, quem perfectum Stoicum fuisse contendit.

ductae. Quo tendat eloquentissimus vir, quem periculosa fere facundia praeditum dicere possis, quilibet videt, qui totum librum perlegerit. Ad virtutem adhortatur, quae sola sit vitae, recte et feliciter agendae, magistra, docetque, perversissimis aeque ac diversissimis modis alios felicitatem quaerere, unicam vero ad eam viam ducere, honesti studium et sapientiam. Quid omni studio quaerendum dicit in elegantissimis ac suavissimis, quas ad Lucilium scripsit, epistolis? Ad virtutem quaerendam eum admonet et sapientiam, si constantem, hilarem et beatam vitam agere velit. *) Quantopere placent ea, quae de constantia dicit et concordia, quae in omnibus hominum actionibus efficiatur sapientia et honesti studio, et quae sola beatam vitam praestare possit. Nonne totus in eo est Epictetus, *suavissimus ille morum magister*, ut a perturbationibus liberos praestet, quae beatam vitam impediant et miseros nos reddant? **) Quae de Chrysippo tradita reliquerunt Plutarchus et Cicero, idem, quod nos dicimus, Stoicorum consilium fuisse demonstrant. ***) Quid veteres de Stoicorum summo bono et in universum morum doctrina senserint, quantopere et hoc nomine eos laudaverint, quod felices homines reddere conentur, docet epigramma quoddam, quod habet Laertius, cuius ultimi versus hi leguntur:

τὰν ἀρετὰν ψυχᾶς ἀρετὸν μόνον, ἅδε γαρ ἄνδρων
μοῦνα και βιοτὰν ῥίσσατο καὶ πόλιας.

*) Per totum librum dispersa leguntur divina eius praecepta. c. 8. dicit, *natura enim duce utendum est, hanc ratio observat, hanc consulit. Idem est ergo beate vivere et secundum naturam.* — c. 8. *beata est ergo*, concludit, *vita, conveniens naturae suae.* praecipue c. 4. Optima autem sunt omnia, quae praecepit et omni auro cariora, et digna, quae quovis die legantur. cf. ep. 9. 71. 92. et multas alias, quas afferre non est necesse.

**) *μή ζήτει* inquit c. 18. *τὰ γινόμενα γίνεσθαι ὡς θέλεις, ἀλλὰ θέλε γίνεσθαι τὰ γινόμενα ὡς γίνεται, καὶ εὐροήσεις.* cf. e. 6. 56.

***) Liceat hic afferre locum, quem ex innumeris, quos scripsisse Chrysippus dicitur, libris, servavit Plutarchus *de repugnant. Stoicor.* (pag. 827. Tom. X. ed. Reisk.) *καὶ γὰρ εἰ μόνον μέλλοι ἀμερῆ χρόνον ἢ τὸν ἔσχατον ἕξειν φρόνησιν, οὔτ᾽ ἂν τὸν δάκτυλον καθήκει ἐκτεῖναι ἕνεκα τῆς οὕτω παρεσομένης φρονήσεως, καίπερ παρὰ τὸν πλείονα χρόνον οὐδὲν μᾶλλον εὐδαιμονούντων, οὐδὲ τῆς ἀϊδίου εὐδαιμονίας αἱρετωτέρας γενομένης παρὰ τὴν ἀμεριαίαν. εἰ μὲν οὖν τὴν φρόνησιν ἡγεῖτο ποιήτικον εἶναι τῆς εὐδαιμονίας ὥσπερ ὁ Ἐπίκουρος, κ. τ. λ.* (cf. sup. 312.) *ἐπεὶ δὲ ἡ φρόνησις*, addit Plutarchus de suis, *οὐχ᾽ ἕτερόν ἐστι τῆς εὐδαιμονίας κατ᾽ αὐτὸ, ἀλλ᾽ εὐδαιμονία. κ. τ. λ.* Habet idem alium locum Chrysippi (adv. Stoic. p. 378.) qui dixerit: *ἐν τῷ κατ᾽ ἀρετὴν βιοῦν μόνον ἐστὶ τὸ εὐδαιμόνως.*

σαρκὸς δ' ἀδυπάθημα φίλον τέλος ἄνδρασιν ἄλλοις
ἃ μία τῶν μνήμης ἤνυσε θυγατέρων.

Animum a doloribus liberum virtute sua reddidisse Stoici dicuntur, cum ceteri (Epicurum innuit sine dubio poeta) corporis voluptatem respexerint. Quid, quod Laertius Zenonem referat dixisse: *εἶναι δ' αὐτὸ τοῦτο τὴν τοῦ εὐδαίμονος ἀρετὴν καὶ εὔροιαν βίου* (quae idem significat quod *εὐδαιμονία*, commutant enim verba Stoici) et Cleanthem dicat contendisse: *τὴν δ' ἀρετὴν δὲ αὐτὴν εἶναι αἱρετὴν οὐ διά τινα φόβον ἢ διά τι τῶν ἔξωθεν, ἐν αὐτῇ τε εἶναι τὴν εὐδαιμονίαν·* *)

Sed satis de Zenone et Stoicis; effectum enim puto, quod volebam, nempe hoc, in summo bono definiendo omnes Philosophos Graecos Latinosque ad Ciceronis usque tempora consensisse, atque felicitatem, vel perfectam beatitudinem ultimum bonum existimasse. **)

At quaerat aliquis, cur tantopere dissentire videantur; nec concedat facile, voluptatem qui summum bonum dixerint, consensisse cum iis, qui in summo virtutis studio id posuerint. Sed ex iis, quae hucusque disputata sunt, poterint et tota lis facile componi et sententiae singulae ita conciliari, ut cum omnis dissensus causa, tum ipsius indoles statim perspici possit. Intelligitur nimirum, unum genus omnium philosophorum esse constituendum. Felicitatem quaerebant omnes s. *εὐδαιμονίαν*. Quod si professi essent ingenue, non haberemus, quod pugnantes tantopere ac dissentientes, ut videntur, conciliaremus. ***) Quod

*) L. VII. s. 88. 89.

**) Neminem facile reprehensurum arbitror, quod aliorum populorum mentionem ne verbo quidem fecerim. Quae enim narrantur de eorum philosophia, perobscura sunt, nec tanti pretii in re nostra videntur, ut iure meo eos praetermitti posse censuerim. Sic cum Aegyptiis sese res habet. Nec Iudaeos eorumque magistros morum commemorandos putavi. Obscura enim alia et mystica sunt, alia ad prudentiam vitae maxime pertinent et sanitatem corporis conservandam; nuspiam rem nostram ex instituto tractant, leviter tantum eam attingunt. Quae sparsa iacent in libris V. T. hac de re praecepta, egregia quasi semina, ea facillime cum sententia nostra conciliari posse puto et coniungi.

***) Quam iam uberius exposui de Philosophorum dissensu in summo bono definiendo sententiam, non tam excitavit in animo meo, quam auctoritate sua confirmavit Ill. Reinhold, qui in epistolis supra laudatis luculentur ostendit, vitio eodem laborasse omnes, ut utilitatis nimirum studio (*dem eigennützigen Triebe*) superstruxerint principia philosophiae moralis. P. II. ep. 7. 8. 11.

igitur dissentire tantopere videntur, hanc primam causam fuisse existimo, quod, quae iam obscure dicta essent, impugnarent verbis obscurioribus et magis ambiguis, quae nil haberent, quod ansam veritatis tenendae praebere posset. Rem obscurabant verbis, ut nova viderentur et inaudita quae proferrent, ut cumquid voluerint, perspiceretur difficillime, admiratione corriperentur auditores, eloquentia magistrorum victi, interrogatiunculis capti, et exclamationibus speciosis attoniti.*) Veram sententiam vel non dicebant, vel nova obscuritatum caligine involvebant; adversarium oppugnabant vehementer non persuadere conati sed prosternere. Accumulabant verba varia idem significantia, ut explicasse aliquid viderentur, licet pristina obscuritas remansisset. Inde factum est, ut animis magis magisque exacerbatis, alieniores quotidie fierent, et quod fieri solet, cum commotus est animus, rem ipsam, quae impugnaretur, non curarent, dummodo ab inimico esset prolata. Sic per multa secula est pugnatum, sic maxima certamina et vehementissima agitata de rebus, in quibus consentire omnes, totius generis humani interesse videtur. Tantum enim abfuit, ut propius ad se invicem accederent, dum ex parte quilibet concederet aliquid, ut potius recederent et e longinquo se invicem peterent. Saepe etiam accidebat, ut, si quis quid praecepisset suo quidem ingenio, quod displicere videretur, in id inveherent omnes coniunctis viribus, quod Epicuro accidisse constat. Inde contumeliis afficere infelicem, conviciis obruere. et veluti omnium contemtui obiicere conabantur. Vides igitur, pugnatum esse animis exacerbatissimis et ira incensis, cum facile coniungi potuissent, omnesque

*) Hoc nomine Platonem maxime vituperari posse putaverim, sed de hoc iam supra dictum est. Mutat verba saepissime, ut vix paucissimis locis, quid ipse senserit, appareat. Quod si virtutis studium in eo posuisse effici possit, ut contempletur aliquis virtutes dei et accedere ad ideam, quam dixit, cum maxime studeret, summum bonum autem deum ipsum esse, cuius similitudo et intuitio quaedam summam hominum felicitatem efficerent, in hac Platonis doctrina primum fanaticorum originem quaerendam putarem. Sed ne haec quidem sententia cum nostra pugnat. Socratem vero, ob docendi modum, quo usus est, nullo modo reprehendendum putaverim, quod factum videtur a Cicerone de Orat. III. cap. 16. Quodsi alia ratione usus fuisset, eum non facile puto effecturum tantopere fuisse contra Sophistarum iracundum gregem, quorum clamosis declamationibus et speciosis argumentis non nisi ea, qua usus est sapiens vir, disputandi ratione occurrere potuisset. Sed degeneravit ea res in sequentibus, quod in Platone animadverti posse existimo.

lites componi, si singuli, quid alter senserit, diligenter quaerere, et iudicare sine invidia, ac suam quisque sententiam perspicue explicare et accurate definire voluisset. Sed tam diversis incedebant viis, ut, quamvis se invicem lacesserent, non fieri posset, ut, longius hac quisque via incedentes, coniungerentur.

Altera enim, ac nescio an gravissima dissensus causa quaerenda est in denominando summo bono, cum alii, quod proprie sic dicendum fuisset, alii vero rationem modumque eius tenendi summum bonum dicerent. Duplici itaque modo omnes sententiae dividi possunt, quae, diversa latera tenentes, eodem tendunt. Duo nimirum diversa genera sunt, quae complecti videntur omnes de fine sententias. Primum eorum est, qui felicitatem ipsam summum bonum sunt professi. Ac primi quidem generis duae partes fuerunt. Alii enim felicitatis nomine intelligebant corpoream voluptatem quandam, ut Aristippus, a quo Cyrenaici originem habent, ob id ipsum Hedonici vocati. Alii vero animi voluptatem volebant, sive beatitudinem e virtutis studio rerumque externarum satis affluente copia provenientem, quae Epicuri sententia fuit, itemque Aristotelis, a quo Peripatetici appellati sunt. Alterius generis fuerunt, qui viam, qua tenditur ad felicitatem, tamquam summum bonum commendarunt. Ac horum quidem diversas partes constituere, non est necesse; tentabimus tamen. Distribui enim possunt in partes tres, quae, quamvis accurate et simpliciter spectatae non fuerint; videntur enim omnes idem sensisse; considerari tamen possunt vario modo. Prima sit eorum, qui virtutem et sapientiam summum bonum esse putabant, quoniam illa duce ad veram felicitatem accedi possit; atque huc pertinet Socrates eiusque discipuli ii, quos ab eius opinionibus non discessisse scimus; cuiusmodi fuerunt Eliaci et Megarici. Altera Platonis sit, qui Deum quidem summum bonum dixit, pro ingenio suo imaginibus repleto, et φαντασίᾳ splendidissima; similitudinem autem cum Deo maximopere expetendam hominibus tamquam summum bonum existimavit. Quamquam vero perobscure eloquentissimus vir hac de re disputavit, hoc tamen ad verum accedere videtur, felicitatem eum putasse effici prudenti mentis consilio, quo quis in eligendis rebus externis, omnibusque actionibus similitudine quadam ad Deum accedere videatur. Variae formae fuerunt Academiae, quae a Platone origi-

nem habet. Qui mediae auctor fuit, Arcesilas, ad Scepticos transiit. Novam Carneades condidit, qui propius ad veterem accessit, et omnium mentis corporisque virium usu pleno (τελέιᾳ δυνάμει) felicitatem acquiri docuisse videtur.*) Quae secuta est Academia quarta et quinta, magis minusve licet a vetere recesserit, plurima tamen retinuit; quod intelligi potest e Cicerone, qui multum de hac re disputavit, praecipue in libris, quos de fine bonorum et malorum scripsit, quos qui perlegerit, multa reperiet, quae ad illustrandum omnem dissensum facere possunt. Academia autem vetus ad Peripateticos proxime accessit, e quibus coniunctim conflasse sua Stoicos, Cicero tradidit.**) Tertia itaque sit Stoicorum, qui secundum naturam vivere, seu sequi prima naturae, summum bonum esse dixerunt, quod, *haec* solum qui sequatur, sapiens ideoque beatus esse possit. Descriptae ergo sunt omnes de summo bono sententiae. Quae enim duo genera posuimus, ea omnia complectuntur, quae de hac re sunt disputata. Sed vere conveniunt omnes, si ad finem usque eos prosequi, nec in verbis tantum haerere volueris. Quae suaserunt Socrates et Academici et, qui illos mutatis verbis secuti sunt, Stoici, ea Aristoteles habet et magna ex parte Epicurus. Conveniunt sententiae et si accurate considerantur, facile conciliari possunt. Virtutem ad vitam beatam necessariam esse videbant plurimi, alii voluptatem quandam addebant sapientia moderatam, alii eam vacuitati a dolore, alii primis naturae inesse putabant, pauci, rationis expertes, corporis voluptates defenderunt. Omnes vero in eo peccarunt, quod non solum felicitatis consequendae causa virtutem colendam esse docebant, verum etiam hanc felicitatem unice ad hanc vitam referebant. Sed homines sumus, ad felicitatem adspirantes; modo obliviscamur nullo modo, eam virtute quidem teneri posse, neque tamen utriusque coniunctionem arctissimam in hac mortali vita, sed in altera quaerendam esse atque expectandam.

*) Obscura est Carneadis sententia: at videtur accessisse, dum naturalibus rebus fruendum praeciperet, ad veterem Academiam: quam idem statuisse Cicero docet. Ac. Qq. II. 42. cf. Fin. II. 11.

**) Fin. V. c. 8. *restant Stoici, qui cum a Peripateticis et Academicis omnia transtulissent, nominibus aliis easdem res secuti sunt.*

NUM

RELIGIO REVELATA OMNIBUS OMNIUM TEMPORUM HOMINIBUS ACCOMMODATA ESSE POSSIT.

Cum ante hos non ita multos annos de neglecto philosophiae et literarum humaniorum studio conquererentur viri intelligentissimi, existimantes universam eruditionem et maxime religionis doctrinam eadem ruina interituras esse; non facile praevidere poterant, interiecto brevi temporis spatio ita plane mutatam esse rerum faciem, ut, propter contemtum reliquarum disciplinarum fere omnium, non excitanda, sed reprimenda et minuenda videri possint communia doctorum hominum studia philosophica. Etenim quamvis non probamus querelas eorum, qui omnem philosophiam, propter nonnullorum male philosophantium temeritatem capitali odio persequuntur, putamus tamen, ne philosophiae et rationis humanae fines praeter modum extendantur, etiam atque etiam cavendum et iustam reliquarum disciplinarum possessionem, cuius maximam partem philosophi nunc occupare cupiunt, omni studio defendendam esse. Alienum esset quidem ab hoc loco, longius enarrare, quam immoderate philosophia, semel admissa, se iactare soleat, eiusque temeritatem in singulis locis demonstrare. Unum tantum videbimus, et per se gravissimum et nostri seculi ingenio in primis accommodatum. Ut enim sua ipsius natura magnifica est et superba ratio humana, ita facillime labitur tunc, si ad divinum numen cognoscendum evolare, et giganteo quasi conatu coelum adscendere audet; de quo olim iam conquestus est aliquo loco I. A. *Ernesti*, Theologus summus huiusque literarum universitatis decus immortale, et nonnullos ita se ἀποδεικτικοὺς arbitrari dixit, ut nihil esset, cuius se certissimam rationem afferre posse desperarent, et hac demon-

strandi scientia subnixi et *ἀποδεικτικὸν φύσημα φυσῶντες* incederent.

Nam quicunque disciplinamChristianam integro animo professi sunt inde ab antiquissimis temporibus, existimarunt ad unum omnes, religionem christianam sic esse comparatam, ut non huic aut illi seculo, sed omnibus omnino seculis, non huius aut illius aevi hominibus, sed universo generi humano destinata esset atque accommodata, hocque fuisse auctoris sapientissimi in ea promulganda consilium. Sed nostris temporibus fuerunt suntque cum maxime, qui de ea longe aliter statuant, aut spe audaciores, aut nimis extollentes res humanas. Neque vero id tantum sibi volunt, quod ipsis facile concesserit intelligentissimus quisque, in religione christiana et cognoscenda et explicanda et *convertenda* ad usum vitae humanae in indies elaborandum esse felicius, fierique posse et futurum esse, ut a maiori parte hominum accuratius aliquando cognoscatur colaturque sanctius; sed longe aliter sentiunt. Putant enim, religionem nullam, ullo tempore traditam divinitus, ne christianam adeo, omnibus numeris absolutam, omnibusque omnium temporum et hominum ingeniis accommodatam, et usque ad finem rerum humanarum vim auctoritatemque divinam habituram esse, ac talem religionem ne cogitari quidem posse, imo vero rationi humanae maxime repugnare; sed religionem revelatam quamcumque imperfectam esse et temporariam, mutatisque rebus humanis, et ipsam mutandam et magis magisque perficiendam esse, eamque esse vim rationis humanae, eam rerum humanarum indolem, qua indies excolenda, perventuri sint homines eo, ut religione tali, qualis nunc est, ne opus quidem habeant.

Atque de hac opinione disseremus nunc nonnulla, demonstrabimusque, *tradi potuisse aliquo tempore atque in universum tradi posse divinitus religionem*, *universo generi humano aptam*, *idoneam et necessariam*, id est, *perfectissimam et omnibus numeris absolutam*, *atque eiusmodi religionem omnino cogitari posse*, *nec rationi humanae ullo modo repugnare*. Haec autem quaestio cum sit philosophica, philosophica quoque demonstratione c[illegible] habet, in primis quoniam ii, qui contrarias partes tenent, philosophice se tantum versari gloriantur, quamquam in nonnullis etiam historice, quod fieri tamen non debebat, disputaverint. Utemur autem argumentis tribus, quorum *primum* petemus *ex*

ipsa religionis natura, quam ita comparatam esse demonstrabimus, ut omnino perfectissima cogitari possit, *alterum e consilio revelationis*, *tertium denique ex naturae humanae indole*.

Ante omnia vero monenda quaedam videntur esse de *notione* religionis revelatae, omnibus numeris absolutae seu perfectae. Potest autem aliquid perfectum dici, ratione habita vel obiecti, vel subiecti, ut in scholis loquimur; et subiecti quoque varius modus esse potest; quod discrimen, etsi gravissimum, tamen neglectum esse vidimus in hac disputatione. Etenim unius eiusdemque rei alia ratio est, si spectaveris id, quod ei *obiectum* est, alia vero, si consideraveris id, in quo versatur (*subiectum*), alia denique, si ad modum, quo usurpari solet, respexeris. Atque una eademque res vel *per se*, vel *huic* aut *illi* perfecta, alii vero imperfecta esse potest, vel quia, mutatis rebus suis, minus utilem sibi esse videt, vel quoniam ea legitimo modo non utitur. Sic oeconomia Mosaica perfecta fuit temporibus et hominibus illis, quibus destinata erat, licet nostris temporibus imperfecta dicenda sit. Religio christiana et ipsa, quamvis perfectissima, tamen tractata ab humanis ingeniis, omnia facile, atque adeo divina depravantibus, tantum amittere potest, et vere amisit olim, dignitatis utilitatisque, ut videatur minus perfecta esse, nec usibus hominum satis accommodata. Verum in hac nostra causa sermo non est, nec esse potest de modo, quo usi fuerint homines olim vel nunc quoque utantur religione revelata, sed potius de consilio, cui inservire debeat, et quo tradita sit, aut tradi possit divinitus, quaerendumque, num fieri potuerit, ut e consilio divino patefieret religio eiusmodi, quae futuris seculis omnibus, omninoque universo generi humano apta esset et idonea, quamque adeo humana ratio et necessariam semper agnoscere, et omnibus numeris absolutam existimare cogeretur; de quo quidem rationem humanam iudicare posse ac debere facile concedimus. Est enim haec vis eaque indoles naturae humanae, ut suis ipsa legibus ad religionem ducatur, cum intelligat, summum numen, quod praesit rebus humanis easque regat sapientissime, necessario cogitandum esse et fide sanctissima colendum. Ut igitur omnis religio cum natura humana et legibus aeternis rationis necessario coniuncta est, ita quoque religio revelata, ex hac ipsa necessitudine judicari debet, quatenus humanae rationi in hac re iudicium concedi potest. Nam limites certi sunt

rationis, quos, quamdiu in hoc terrarum orbe et in hoc corpore mortali versabitur, transgredi poterit nunquam, quamvis in eo vehementer placere sibi videantur nonnulli, qui rationem illis veluti carceribus nullo modo contineri posse putant, atque quod sperant, id propterea quoque fieri posse existimant, non intelligentes, hoc esse philosophi non docentis, sed optantis, hoc est, ut ait Cicero aliquo loco, valde pusilli et minuti. Sed religionis perfectionem iudicandam esse ex ipsius consilio, hoc vero ex humanae naturae rationibus, nemo facile negaverit. Iam si qua religio revelata ita comparata est, ut uniuscuiusque hominis atque adeo totius generis humani desideriis ac necessitatibus omni ex parte penitus satisfaciat, et nisi mutatis rebus omnibus et ratione ipsa penitus mutata, abrogari unquam *nullo* modo possit aut superflua videri, eam omnibus temporibus, quamdiu homines supererunt, accommodatam omnibusque numeris absolutam dicere iure nostro possumus.

Primum igitur, uti putamus, *ipsa religionis universae natura* evidenter docet, religionem revelatam eiusmodi, quae sit omnibus numeris absoluta, hoc est, omnibus omnium temporum hominibus accommodata et necessaria, cogitari omnino posse atque adeo etiam cogitandam necessario esse. Est enim in hac disputatione religionis revelatae et naturalis una eademque ratio, atque ut haec, ita quoque et illa omnibus omnium hominum ingeniis accommodata est et esse debet, sic, ut, si illa perfecta et communis esse non possit, haec multo minus sic dicenda sit, et, si in rebus humanis causae reperiantur, propter quas illa communis et necessaria dici non possit, eas in hac quoque locum habeant necesse sit; contra vero, si haec perfecta et omnibns hominibus necessaria cogitari possit, eodem modo et illa sic cogitari possit ac debeat. Scilicet *causas religionis omnis* non arbitrarias esse ratione hominum aut temporarias, sed necessarias atque aeternas, facile quisque concesserit. Est enim ratio humana ita comparata, ut notionem numinis summi eiusque cultum non possit non admittere, nisi iners et sine consilio ac spe miserrime errare voluerit. Quamdiu ratio humana erit, ut nunc est, manebit autem semper humana, et ad felicitatem immortalitatemque adspirans; tamdiu notionem auctoris rerum omnium, sapientissimi sanctissimique legislatoris et arbitri summi nullo modo superfluam existimare poterit aut arbitrariam. Orium-

tur autem ex illa, Dei rerumque humanarum, arctissima coniunctione, *rationes*, (quas Graeci σχέσεις dicunt, nostri *Verhältnisse*) quae nullo modo possunt arbitrariae haberi aut temporariae. Nam sicut leges rationis ipsae, ut concedunt omnes, aeternae sunt et necessariae, ita quoque rationes illas, quae inter Deum et homines intercedunt et a legibus rationis necessario pendent, aeternas esse et necessarias oportet. Quis enim, quaeso, sibi persuadere voluerit, rationes illas non nisi ab hominum arbitrio pendere, atque mutari subinde posse, cum negare nemo possit, rebus humanis vel maxime mutatis, tamen mentis humanae vim et naturam eandem perpetuo futuram esse, eandemque humanitatis indolem? Aut num putaverit aliquis, si hanc *virilem*, de qua somniant nonnulli, aetatem aliquando, excesserimus, si *Diis* placuerit, rationis aliam vim aliamque indolem fore? vel seculis nonnullis transactis, nisi forsam decrepita et ridicula senectus sequatur, non leges solum rationis, sed ipsam rationem adeo mutatum iri, ut, quippe perfectissima, ne opus quidem habere legibus illis videatur? Cum vero omnis religio contineatur rationibus, quae deum et genus humanum intercedunt, aeternis et necessariis, intelligitur, turpissime errare, qui, negantes gravissimum illud obiectivae et subiectivae, ut vocamus, religionis discrimen, non solum miscent omnia, verum etiam nomen tantum religionis superesse volunt, ipsam religionem tollere omnino videntur. Etenim legibus illis sublatis, a quibus religio omnis pendet, ipsa quoque religio tollitur et humani ingenii arbitrio relinquitur. Neque profecto vident his ipsis rationibus, quas mutabiles esse putant, et pro varietate rerum humanarum varias, niti omnem vim mentis humanae, atque eodem iure leges rationis dici posse arbitrarias, non vero necessarias, sanctas et immutabiles, quas tamen aeternas esse volunt, jactantes rationis aeternam vim et αὐτάρκειαν. Concedant igitur, aut ipsas leges rationis esse arbitrarias, quod, nisi ipsam rationem tollere velint, nullo modo possunt, aut relationes, quae cum illis legibus necessario coniunctae sunt, et sine quibus hae ipsae ne consistere quidem possunt, eodem modo aeternas esse atque immutabiles. Sed viderint ipsi, quid concedendum sit; nos eorum errores malumus, quam inconstantiam, qua nihil minus decet philosophum. Sed nisi illud concesserint, falsissimum est, quod ei opponitur, religionem tantum subiectivam esse, et mutabilem

ac temporariam. Nam sicut vel maxime absurdum esset, singulis, ratione praeditis, leges scribere necessarias et omni tempore observandas, et tamen rationis in se spectatae communem quandam formam, seu ideam negare; ita quoque aut nulla omnino religio esset, aut ipsius quaedam forma et immutabile quasi exemplum cogitandum est, omnium mentibus inhaerens, imperans et, quamdiu genus humanum in his terris versabitur, omnibus ratione praeditis leges imponens aeternas et necessarias. Ut igitur est una eademque lex rationis sancta et inviolabilis; ita quoque est eadem religio, per se spectata, eademque erit quoque eius vis et natura aeterna; nam eadem semper erit mens humana, eadem ipsius et aeterna cum summo numine coniunctio, eadem legum necessitas, idem denique immortalitatis *desiderium*. Pulcherrimus in hanc rem est locus *Ciceronis*, (ap. Lactant. *L.* VI. c. 8.), quem adscribere non dubitavimus. Est enim hic: Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, nec tota abrogari potest; nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac; sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immortalis continebit; unusque est communis magister et imperator Deus ille, legis huius inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet et naturam hominis aspernabitur. Neque minus praeclara sunt verba *Sophoclis* aliquo loco, ubi dicit, praecepta divina a nullo mortalium mutari posse, neque hodie tantum aut cras, sed semper eandem auctoritatem apud omnes retinere:

τἀσφαλῆ θεῶν
νόμιμ᾽ οὐκ ἐστὶ θνητὸν ὄντ᾽ ὑπερδραμεῖν·
οὐ γάρ δη νῦν γε κἀχθὲς ἀλλ᾽ ἀεί ποτε
ζῇ ταῦτα. —

Sed illud quidem negare non audent, leges rationis aeternas esse, perpetuas et necessarias, religioni vero id concedere nolunt, profecto sine causa idonea. Neque enim mens humana alias unquam rationes excogitabit, quibus obstrictam se deo sentiet, neque immortalitatis spe supersedere poterit, nisi vel se ipsa turpiter decipere, vel credere voluerit, numen sanctissimum spem humanam irritam redditurum esse; quod vel suspicari nefas esset. Sed per illas rationes, quibus summa religionis continetur, cum deo, tamquam auctore, legislatore, imperatore supremo et dispensatore iustissimo homines omnes arctissime

coniuncti sunt, et manebunt in aeternum, quotquot erunt, ab ipso originem repetentes, leges ab ipso latas necessarias recipientes, rerum suarum exitum ipsi tradentes, ab ipso denique vitam aeternam et immortalitatem exspectantes.' Iam etsi de his rationibus admodum diverse iudicaverint omnium temporum homines, atque in posterum quoque iudicaturi sint, sic, ut religio subiective, (uti dicunt vulgo) spectata, non in tribus aut quatuor hominibus eadem esse videatur; nam et cuiusque ingenio exornari vel deformari sensibus et moribus populi variis modis accommodari solet; tamen una eademque est, ut est unus Deus, auctor omnium creaturarum intelligentium, unus et aeternus rerum nostrarum vindex et arbiter; neque eam licet ullo modo permittere arbitrio hominum, quasi possint, pro suo quisque ingenio et lubitu, mutare illam necessitudinem et suo se more coniunctos cum deo existimare, sed ut una est et aeterna lex naturae, recta ratio, ita aeterna est et immutabilis religionis ab omnibus sanctissime colendae necessitas. Neque externa religionis forma et modus, interpretandi illam legem, huc referri potest, quem quidem constat semper fuisse mutatum et diversissimum inter homines; unus enim est explanator et aeternus legis vindex, deus, quem si vel maxime non agnoscunt quodam tempore homines, dicendum quidem est, inter eos nullam esse aut falsissimam religionem, nihilo minus tamen religio ipsa superest immutabilis et perpetua, modo neglecta et repudiata ab hominibus miserrimis. Sed cum ea sit natura eaque vis religionis, ut omnibus temporibus eadem habenda sit, intelligitur facile, falsissimam esse eorum opinionem et temeritatem, qui quamlibet religionem dicunt mutabilem esse, quippe mancam et imperfectam, et ne cogitari quidem posse religionem perfectam et omnibus numeris absolutam. Quaerimus enim nihil nisi hoc, num *cogitari* possit religio, omnibus temporibus apta et necessaria. Vidimus autem hactenus, in notione et natura religionis nihil esse, quod repugnet religionis notioni perfectae eo sensu, quo diximus; imo vero ex ipsa religionis natura patere evidenter, eius perfectissimam ideam esse amplectendam.

Iam quod de religione in universum monuimus, id quoque in revelata locum habere necessario debet. Primum enim si verum est, quod modo vidimus, lege aeterna rationis contineri causas religionis perfectissimae, rationemque sua sponte tenere

posse notionem religionis omnibus temporibus accommodatae et necessariae, quamvis, ut lubentissime concedimus, omnia, ad ipsius necessitates spectantia, ratio neque sua vi assequi, nec exspectare, nisi fide sanctissima, potest, (loquimur enim tantum de idea et forma quasi religionis, cui quae insunt, et inesse debent, nondum definitum est); sequitur, fontem diversum cognoscendae religionis plane non mutare posse ipsius naturam. Sed si eiusmodi religio, per se spectata, locum habere potest, nec sibi repugnat, eandem quoque, in promtu est, tradi posse peculiari modo divinae sapientiae. Nisi forsan opinari voluerimus, humanis viribus effici posse, quod tradere aut noluisset aut ne potuisset quidem deus summus et perfectissimus. Deinde vero etiam, quoniam eadem utriusque causa est, eademque *cum* ratione et rebus humanis coniunctio, intelligitur, revelatae quoque religionis necessitatem et aeternam *ἱκανότητα* cogitari posse.

Sed veniamus ad *alterum* argumentum. Existimamus enim *ex revelationis divinae consilio* sententiam nostram defendi posse atque ostendi, religionem revelatam eiusmodi, quae omnibus omnium temporum hominibus apta sit, idonea et necessaria, cum ratione nullo modo pugnare. Etenim qui aliter sentiunt in hac re, non nisi de revelata religione disputant eiusque necessitatem negant, naturalem autem, de qua paulo gloriosius statuere solent, silentio praetereunt, quasi existiment, per hanc unice religionem perfectam teneri posse. Atque illud quidem concedunt omnes, cogitari posse institutionem divinam singularem in rebus ad religionem pertinentibus, negant autem, consilium divinum in tradenda quodam tempore religione, ad omnia tempora omnesque omnino homines pertinere posse, atque putant, revelationem quamlibet non nisi certi cuiusdam aevi hominibus instituendis destinatam esse et necessariam, futuris autem seculis nullo modo obtrudendam esse. Igitur demonstrandum est, consilium divinum in tradenda religione omnino cogitari posse universale, pertinens ad omnes omnium sequentium temporum homines. Neque tamen hoc loco ad usum et experientiam recurremus, aut historice disputabimus, quamvis et hic reperiantur argumenta satis gravia ad causam nostram defendendam; sed manebimus tantum in notione revelationis in universum atque ostendemus, sive ipsam religionem divinitus traditam spectaveris, sive consilium divinum in ea tradenda consideraveris, nihil esse, quare dubites, eius necessitatem et usum omnibus communem esse posse.

Ac primum quidem religionem ipsam sive naturalem sive revelatam utique cogitari posse idoneam omnibus et necessariam, ex superioribus patet. Et *idoneam* quidem dicere licet propterea, quoniam una eademque est natura humana, eadem lex rationis et nunc et posthac, quamdiu homines erunt. Atque sicut legem rationis dicimus idoneam esse ad omnes, ratione praeditos, semper constringendos aeternis vinculis, eodem iure ac multo magis religionem revelatam, quae illam ipsam legem stabilit, unice sancit et tuetur, semper aptam et idoneam existimare debemus. Eodem vero modo et necessitas religionis revelatae defendi potest. Etenim si qua religio revelata ita comparata sit, ut rationis necessitatibus aeternis unice satisfaciat, eamque in munere ipsius obeundo unice sustineat et tueatur, *necessaria* semper omnibus existimanda erit, et, quamdiu eadem ratio humana erit, sanctissime colenda. Eadem est enim omnibus hominibus eritque semper necessitas, colendi summum numen, quod res humanas regit, leges fert et tuetur, vitaeque immortalitatem largitur. Haec enim ad omnem religionem, in primis vero revelatam, necessario pertinent, et sunt eius capita praecipua, quae, deum esse, docent, legislatorem, felicitatisque et immortalitatis datorem ac vindicem. Si qua igitur revelata religio haec tria capita tradit, atque, quatenus deus et leges ferat tueaturque et felicitatem concedere velit spemque immortalitatis faciat, ostendit, ea profecto ita comparata est, ut ab hominibus omnibus, quotquot futuri sunt, eandem semper naturam habentes, amplectenda sit et sanctissime colenda.

Deinde vero quod ad *consilium* revelationis attinet, profecto sibi repugnare et de rebus humanis magnificentius sentire videntur, qui illud tantum temporarium esse posse existimant. Nam si concedunt, leges rationis aeternas esse et omnibus communes, (quod quidem libenter concedunt ita quidem, ut de ratione non humana solum, sed de alia, nescio qua, disputare videantur, quasi non omnis *ratio* sit humana); concedendum quoque est, divinam sapientiam posse tradere religionem eo consilio, ut, quamdiu durabit haec rerum natura, unice omnibus et necessario imperet. Tum porro si consilium revelationis comparabimus cum rebus humanis, intelligimus, nunquam fore tempus, quo superflua illa et inutilis esse possit. Concedent autem omnes, ut opinamur, eiusmodi comparationem non nisi sic institui posse, ut summum

finem et consilium, cui hoc genus mortalium destinatum est, cum revelationis consilio, quo a deo tradi possit, conferamus. Atque sic quidem luculenter apparet, consilium revelationis ad omnes homines posse pertinere. Nam etsi sperandum est et omnibus votis expetendum, ut genus humanum singulari cura divina ad maiorem indies perfectionis (sive dicam potius, humanitatis) et felicitatis gradum evehatur, summumque aliquando fastigium assequatur; facile tamen quisque intelligit, quam imbecillis sit et imperfecta humana natura, quam prona ad vitiositatem, ad virtutem vero tarda et iners, quam multa sint et quam gravia virtutis impedimenta, et quantopere haec omnia excitent desiderium, ut singularis cura divina semper tueatur religionem, unicam vitae magistram, virtutis adiutricem et expultricem vitiorum. Atque quamvis nova revelatione opus non sit; sequitur tamen nullo modo, religionem revelatam superfluam aliquando fore et inutilem. Temere igitur sine dubio iudicant, qui unice in eo laborandum esse censent, ut moveatur aliquando quisque vi rationis magis, quam legibus divinis; quod non sperandum est, nisi ab iis, qui aut humanam naturam non norunt, aut vana spe decipere alios tentant. Nam quicunque naturam humanam non legendo, aut somniando, sed ex vitae consuetudine et experientia cognitam habent, facile intelligent, ad hominum ingenia coercenda, corrigenda et emendanda semper opus fore auctoritate divina. Et qui de perfectione humani generis, nescio qua, somniantes, tempus aliquando exspectant, quo ratio humana neque forsan adeo suis ipsius legibus opus habeat, ii naturae suae obliviscuntur, neque perpendunt, perfectionem vel summam, et singulorum hominum quorumcunque, et generis humani in universum in perpetuum non nisi imperfectam esse et esse posse. Aut num eam tandem aliquando putamus fore in hoc orbe rationis indolem, ut, liberata ab omnibus vinculis humanitatis, *το φυσικον και σαρκικον* non amplius sentiat, sed merum sit *νοητον ει* et *καθαρον*? Nonne potius, vel maxime exculta, semper tamen, quamdiu cum corpore coniuncta et vinculis humanitatis constricta erit, manca futura est et imbecillis? Neque enim in his terris finem rerum omnium ponimus, nec in hoc angusto circulo contineri putamus totum cursum rationis, sed sempiternum hunc et infinitum fore speramus, in hoc vero

quasi gymnasio rationis, nullam nisi humanam perfectionem exspectare possumus.

Sed dicunt, in unaquaque institutione doctorem quemque discentium curae et sollertiae necessario relinquere debere multa, accuratius excutienda, emendanda, augenda, atque ita quoque institutionem divinam in rebus ad religionem pertinentibus non nisi instrumentum esse posse, cognitionem uberiorem sibi comparandi, ac nova et graviora inveniendi, et propterea imperfectam esse et non nisi huius vel illius aetatis hominibus sufficientem et utilem. Quod profecto idem esset, tanquam si quis diceret, tempore Euclidis linearum parallelarum cognitionem imperfectam fuisse atque adeo emendandam, quippe quod Euclides earum naturam non demonstrasset, sed posuisset, et recentioribus temporibus addita esset demonstratio, atque propterea falsum esse nec nostris temporibus accommodatum theorema illud: linea recta duas parallelas transeunte angulos externos, internos et alternos inter se aequales esse. Sed spinas quaerunt, quibus, ut aculeis, more Stoicorum incautos pungant, quemadmodum Seneca dixit aliquo loco. Sunt enim capita quaedam religionis et disciplinae morum, menti humanae post sexcenta secula aeque ac hodierno die necessaria atque immutabilia, quamvis melius cognosci et accuratius demonstrari possint. Ita quoque religionis revelatae capita, etsi hominum de iis cognitio mutari, emendari augerique potest atque adeo debet, tamen ipsa, in se spectata, immutabilia sunt, nec emendatione aut augmentis hominum opus habent. Ac profecto religio est instar fontis uberrimi et sine intermissione largissime profluentis, ex quo tot ac tam salubria sapientiae praecepta hauriri possunt, quibus recte cognoscendis et in usum convertendis vel longissima vita vix sufficiat. Attamen negari nullo modo potest, divinam sapientiam ac benignitatem in tradenda religione totius generis humani rationem habuisse, atque adeo hanc religionem in se spectatam perfectam esse posse.

Restat denique, ut videamus tertio, religionem revelatam *nullo modo repugnare naturae humanae*, hancque ita esse comparatam, ut omnino cogitari possit religio aliqua revelata, omnibus numeris absoluta, hoc est, omnibus omnium temporum hominibus apta, sufficiens et necessaria (nostri dicunt: *die äussere Möglichkeit*, *Denkbarkeit der Wirklichkeit einer objectiv*-

vollkommenen Offenbarung). Sunt enim, qui putent, eiusmodi religionem revelatam ne cogitari quidem posse, partim propter imbecillitatem facultatis humanae in rebus ad religionem pertinentibus (*Unvollkommenheit der moralischen Empfänglichkeit des Menschen*), partim vero propter naturae humanae finem summum et ultimum eundemque longe illustrissimum (*wegen des höchsten Zwecks der Menschheit*); nam illam quidem naturam humanam nullo tempore cogitari posse idoneam ad capiendam intelligendamve religionem revelatam summam et perfectissimam, hunc vero spem facere certissimam, fore, ut eo usque progrediatur humanum genus, ut religio revelata ipsi inutilis, saltem et ipsa magis magisque perficienda et cuiuscunque temporis hominibus accommodanda sit. In quo non uno modo errasse videntur, qui ita statuerent. Primum enim usi sunt argumentis historicis et ab experientia petitis, cum tamen tota haec causa sit mere philosophica, et quaeratur non nisi hoc, num fieri possit aliquid, necne; in quo auctoritas historica locum habere nullo modo potest. Deinde temere profecto iudicarunt de natura hominis, statuentes, rationi nullos fines esse ponendos, eam potius, legum suarum immemorem, nova semper esse inventuram; quo quidem ratio ingenii humani ludibrio exponeretur, atque efficeretur, si leges, quae naturam ipsius (φαινομένην) constituunt, mutari aliquando possint, ipsam vacillare atque in universum nullam penitus esse veritatis cognitionem. Denique in primis decepti sunt hoc, quod permutarunt religionem *obiectivam* et *subiectivam*, ut vocare solemus, sive, quod idem est, ad religionem ipsam retulerunt, quod non nisi imbecillitati humani ingenii in ea cognoscenda et explicanda tribuendum erat. Etenim argumenta omnia, quibus usi sunt, facile quisque videt petita esse non a religione ipsa, sed ab iis, qui eam explicarunt, non a capitibus religionis, sed a virorum doctorum interpretationibus et opinionibus; unde efficitur quidem, religionem non semper accurate traditam fuisse atque explicatam, sed nullo modo, eam ipsam imperfectam esse. In hac vero re imitati sunt exemplum viri alias longe acutissimi, qui, quae ante hos quinquaginta annos et amplius in schola non bene constituta iuvenis forsan tradi audiverat, ea usque ad hodiernum diem eodem modo tradi sibi persuasit et religioni vitio vertit. Sed est hoc

humano ingenio proprium, ut magnorum virorum vitia libentius et celerius, quam virtutes, imitari studeat.

Iam vero quando existimant, religionem revelatam eiusmodi repugnare naturae hominis primum propterea, quoniam genus humanum nunquam ita comparatum sit et esse possit, ut vi summa et facultate morali instructum videatur, (*nie die höchste moralische Empfänglichkeit besitze*) atque propter hanc causam religionem revelatam unamquamque imperfectam esse, hoc est, non nisi huius vel illius necessitatibus et facultatibus accommodatam et destinatam (*nur für den jedesmaligen Grad der moralischen Empfänglichkeit bestimmt und passend*) cogitari posse ac debere, intelligi profecto non potest, quomodo haec ratiocinatio cum ratione ipsa consentiat. Nam etsi unaquaeque institutio hominis ita comparata esse debet, ut sit eius facultatibus accommodata, sequitur tamen nullo modo, quoniam facultas rationis in rebus ad mores et religionem pertinentibus (*die Empfänglichkeit für Sittlichkeit und Religion*) augeri potest ac debet, religionem nullam adesse posse, quae accommodata sit ac destinata cognoscendi facultati summae, (*für den höchsten denkbaren Grad der moralischen Empfänglichkeit*), quam quidem assequi in hac vita potest genus humanum. Efficitur potius utique adesse posse revelationem, quae contineat principia et causas sentiendi et agendi ultimas, (*die höchsten Gesetze der Moralität*) a quibus omnis ac summa adeo et maxime exculta vis moralis pendere debet, hasque causas non magis perfectione opus habere, quam legem moralem ipsam, in aeternum valituram, etsi facultas eam intelligendi et servandi vel minima esse possit. Atque augetur quidem facultas hominum, recte sentiendi de officiis omnibus et agendi legibus divinis accommodate, sed ipsae leges non mutantur aut emendantur corriguntur que, imo eaedem semper sunt aeternae et necessariae, quibus nec addi quidquam nec detrahi ullo tempore potest (*die Moralität an sich, in abstracto betrachtet, ist einer Vervollkomnerung weder bedürftig, noch viel weniger fähig*). Igitur cogitari profecto potest revelatio eiusmodi, quae continet causas illas summas ac praecepta vitae *immutabilia* et necessaria, omnibusque hominibus, *eadem* ratione praeditis, apta et idonea, vimque et auctoritatem usque ad finem rerum humanarum habitura, etsi facultas, ea intelligendi inprimisque servandi, atque adeo etiam virtus et per-

fectio humana vel maxime augeatur. Sed idem dici potest de parte religionis theoretica. Nam unaquaeque revelatio, atque in universum religio quaecunque, continere debet capita nonnulla fidei, quae cum doctrina morum arctissime cohaerent, et aeque necessario ad naturam hominis moralem pertinent, nec minus immutabilia sunt, quam desideria, quibus tenetur humana ratio ac movetur, quorumque aliquando explendorum spem repetit non abs re in facto posita, cuiusmodi constat non adesse, sed a summa Dei benignitate et sapientia per fidem sanctissimam. Haec igitur doctrinae capita obiecta erunt fidei, quamdiu homines in his terris vivent; atque eodem modo semper ad omnes homines pertinebunt et apud omnes necessario vim habebunt. Ultra haec adscendere humanae rationi licebit nunquam, quippe quae iisdem semper cognitionis limitibus continebitur, eadem desideria sentiet et, quamvis vel maxime perfecta, non nisi accuratiorem horum desideriorum cognitionem, eorumque explendorum certiorem spem habebit. Ac nescimus profecto, quodnam et quale cognitionis incrementum hac in re sperare nos iubeant, qui rationem eo usque progressuram esse putant, ut longe alia, quam nunc, et omnia certo et evidenter intelligat. Nam in universum ratio humana compos est incrementi cognitionis perpetui et infiniti; ratione *formae* quidem, ut ita dicam, non autem ratione *materiae*, hoc est, consequentur quidem homines, quam diu in his terris erunt, rerum scitu necessariarum et ad religionem pertinentium cognitionem accuratiorem, neque vero maiorem et ampliorem; sed hae ipsae res, utpote in sensus non cadentes, in perpetuum obiecta erunt fidei, non cognitioni. Est igitur omnino probabile, Deum tradidisse hominibus capita fidei eiusmodi, quae ad necessitates humanae naturae perpetuas et necessarias spectant, et quae continent omnia, quaecumque homini cuique in his terris ad recte beateque vivendum scitu necessaria sunt, et quibus opus habebit post sexcentos annos aeque ac hodierno die. Atque ita revelatio aliqua continere omnino potest το *non plus ultra* cognitionis humanae in rebus ad religionem pertinentibus, (quae sollennis est illis loquendi formula), et capita doctrinae perpetua et immutabilia, quae neque opus habent perfectione maiori, neque eam admittunt, quaeque ratione hominum omnium usque ad finem rerum humanarum eandem habent utilitatem mo-

ralem, eandem sufficientiam, denique eandem necessitatem. Et quamvis religio quaecunque, atque inprimis revelata, habeat hanc vim et hoc consilium (quod supra iam concessimus), ut, quicunque eam admiserint, indies magis magisque perficiantur, atque ad fidem virtutemque impellantur; ipsa tamen sic comparata esse potest, ut perfectione maiori plane non indigeat, quoniam augmenta in religione quoad eius partem theoreticam et practicam non nisi in hominibus locum habent, (*bloss subiectiv*) nituntur-que iisdem immutabilibus causis et principiis revelationis, et in illa quidem parte, capitibus fidei, quae cum necessitatibus humanae naturae perpetuis cohaerent, in hac vero praeceptis morum, iisque aeternis. Igitur aut sibi ipsi repugnant, aut rem non accurate intelligunt, qui existimant, institutionem aliquam religionis perfectam et plenam cogitari non posse propterea, quoniam nullo unquam tempore genus humanum eam capere potuisset, sive perpetui aliquid et perfecti in revelatione esse ἀδυνατον, quoniam in humana natura sit vis et potentia, rationem et voluntatem indies magis magisque perficiendi. Nam sicut haec vis moralis, quae dicitur, (*die Moralität*) in se spectata una eademque semper est, et augeri nec potest nec debet, ita quoque religio revelata capita continere potest, quae maiori perfectione non indigent, quoniam continent, quae unusquisque in rebus, ad religionem pertinentibus, scire, facere et sperare potest ac debet, ac eiusmodi revelatio ratione naturae hominum moralis utique esse ac dici potest plena, perfecta, immutabilis et necessaria. Et sit, religionem eiusmodi ab initio non accurate intelligi ab iis, quibus traditur, nec, ut fas erat, coli, efficitur quidem, intelligendi agendique vim acuendam fuisse, non vero, revelationem ipsam imperfectam esse, atque adeo maiori perfectione indigere. Modo sit ita comparata, ut apud omnes homines vim auctoritatemque habeat, et veri videndi, mentis collustrandae salutari cognitione, animique emendandi, tranquillandi et ad fidem virtutemque conformandi, vias aperiat.

Deinde vero, quando eiusmodi revelationem negant, quoniam hoc modo consilium generis humani, progrediendi perpetuo ulterius atque aliquando ad summum perfectionis fastigium adscendendi, impediretur, profecto et se ipsos et vero etiam alios vana spe decipere videntur. Quamnam enim demum perfectionem naturae humanae intelligunt? quodnam eius fastigium summum esse

statuunt? Nam quicunque res humanas cognitas habent, etsi optime de iis cogitent ac sperent, concedent sine omni dubitatione, perfectionem summam, quae cogitari possit, ab hominibus nullo unquam tempore teneri posse. Etenim ratio *humana* iisdem finibus, ut nunc, circumscripta erit semper, iisdemque legibus tenebitur manebitque, quae nunc est, perpetuo, *humana* scilicet, imbecillis et imperfecta. Summa autem perfectio, quae *in humano genere* et in his terris exspectari potest, cernitur in eo, ut omnes ac singuli ad tenendum finem summum rationis, quantum demum fieri potest, apti reddantur atque idonei. Unde, nisi adsit finis summus, ad quem dirigatur omnis cursus, isque aeternus et immutabilis, progressus ipse locum habere non potest, nisi existimare volueris, progressum cogitari posse sine *consilio* et fine. Enimvero cum finis summus naturae humanae nullo modo teneri ac ne cogitari quidem et exspectari possit, nisi adsit summum numen, cum rebus humanis arctissime coniunctum, cum porro rationes, ex hac Dei rerumque humanarum coniunctione ortae, et cum fine ipso copulatae, aeternae sint ac necessariae, cum denique his rationibus contineatur religio omnis, sive naturalis, sive revelata; sequitur, religionem, quae has rationes exponit ac propterea perfecta est et immutabilis, ad progressum generis humani necessario pertinere, atque hunc non modo non impedire, sed adiuvare et promovere omni ratione, sic, ut sine illa nec hic locum habere ullo modo possit. Sed, si ratione hominum religionem consideramus, existimamus, sempiternum progressum in emendanda ipsius cognitione cultuque, optimo cuique exoptatissimum esse debere et commendatissimum. Ac profecto quicunque perfectionem humani generis sperant et optant, omninoque rebus humanis bene cupiunt, de iis mereri possunt non melius, quam si coniunctis viribus animisque omnem operam et studium omne collocent in eo, ut religionis doctrina saluberrima ab hominibus accuratius intelligatur, atque vim suam, in animis hominum edocendis, corrigendis, emendandis beandisque, indies melius exserere ac demonstrare possit; ipsa vero, in omni hostium multitudine, contra omnes omnium infestos impetus, divinis opibus suffulta, suisque ipsius viribus sustentata, inconcussa semper et illaesa usque ad finem rerum humanarum persistet, tandemque omnium hostium victrix triumphabit. Sic optamus, ita confidimus!

Iam, quae de religione revelata in universum disputavimus, ıcile transferri possent ad religionem christianam. Sed multo ıngior futura esset haec disputatio, quam sinerent huius libelli ngustiae; eam igitur ad aliam occasionem differre cogimur. Pauis enim haec praefari visum est hac prolusione, cui scribendae ıcum fecit SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS indulgena, demandata nobis nuper provincia, Philosophiae in hac literam Universitate extra ordinem docendae. P. P. in Acad. Lipensi Dom. IV. P. Trin. A. C. CIↃIↃCCLXXXXVI.

DE

DISCRIMINE
ISCIPLINAE CHRISTI ET APOSTOLORUM.

Commentatio Prima.

ugnarum, quae in scholis Theologorum dimicari solent, multudine defatigati, quicunque in divina librorum sacrorum institutione quiescere constituunt, etsi ab humanarum opinionum dissensu sarorum virorum consensione haud parum se recreatos sentiunt, facile men perturbari, certe molestis dubitationibus implicari possunt mifico quodam discrimine disciplinae Christi et Apostolorum. Utramıe enim comparantes, quum in rebus ipsis summum consensum repeamus, in verbis dicendique formulis universoque modo tradendi nimiam diversitatem animadvertimus. Quare fuerunt haud pauci, ui doctrinam ipsam Christi ab institutione Apostolorum diversam se dicerent, atque hos divini magistri sententiam varie mutasse rbitrarentur. Apostolos enim aut multa non satis recte intelleisse putarunt, variisque opinionibus impeditos, vel nolentes a agistri doctrina quibusdam locis recessisse, aut cedentes temıori, dum ad homines, quos docerent, disciplinam suam accomodarent, multa a Domino vel obscurius dicta, vel brevius dis-

putata, in aliam sententiam mutasse, denique multa ex ingenio addidisse. Atque hoc nomine Paulus inprimis accusari solet, adeo, ut parum abesse videatur, quin is homo versutus quidem et callidus, sed multis tamen iisque falsissimis opinionibus deditus habendus sit. Fuerunt quoque, qui, quae ipsis displicerent, doctrinae Christianae capita, licet ab Apostolis tradita fuerint, tamen non ex mente Christi prolata, ideoque ab ipsa religionis doctrina dudum secernenda fuisse existimarent. Habent vero hae opiniones haud levem veri speciem, et quum imperitos incertos reddunt, tum iis quoque, qui accuratius iudicare de rebus divinis consueverunt, haud parum negotii faciunt. Et vidimus olim sane multos, eosque linguarum et historiae peritissimos, probe exerceri ab his, qui adversus dogmata quaedam pugnantes, *illud,* quod diximus, discrimen obiicerent, atque capita doctrinae, in quibus aliquis dissensus magistri et discipulorum reperiretur, ea vero omnia protinus relinquere iuberent. Nam quum illi se resque suas sic defenderent, ut ad sacrarum auctoritatem literarum recurrentes, capita illa, invidia temporum vexata, ex ipsa divinorum scriptorum mente explicarent, saepe accidit, ut, quod adversarii satis scite urgerent, aut non bene intelligerent, aut temere negligerent, disciplinam Christi et Apostolorum diversam fuisse, et quum disciplinam, id est modum tradendi, a doctrina ipsa non accurate satis distinguerent, hanc unam ob causam multi minus feliciter rem suam gererent. Quod quum nostri quoque aevi exempla neque pauca neque obscura demonstraverint, operae pretium nos facturos existimavimus, si de disciplinae Christi et Apostolorum discrimine, quantum quidem pro libelli academici angustiis fieri posset, disputaverimus.

Erit autem tripartita huius loci tractatio. Primum enim, quoniam veremur, ne sint, quibus ne hoc quidem disciplinae discrimen concedendum esse videatur, putamus autem eos fore paucissimos, illius discriminis causas exponemus; deinde discrimen ipsum describemus, eum ordinem sequuturi, quem ipsius disciplinae ratio ostenderit; denique, quis sit eius observandi modus, explicabimus, ut ipsa doctrina divina recte constituatur, potissimum vero ut intelligatur, discrimen illud non doctrinae esse, sed disciplinae tantum, et quamvis diverso docendi modo Christus et Apostoli usi fuerint, eos tamen in ipsa doctrina optime consentire. Sed quoniam ambiguitatem aliquam disciplinae verbum ha-

bere possit, ne incertum sit, de quo disputemus, eam accuratius definiamus. Est igitur disciplina, quum de doctrina quadam dicitur, certa et constans ratio, quam in doctrina tradenda doctor sequitur. Et certam quidem dicimus propterea, quod pendet a certo consilio, quod magistro est propositum; constantem autem, quia non temere mutatur, sed idem semper consilium et leges easdem sequitur. Quare disciplina ab ipsa doctrina distinguenda est. Haec enim res, quae traduntur, complectitur, illa modum constituit, quo tradantur, ne quis de ipsorum capitum idei, quae in scholis dicuntur, diversitate quadam nos disputare existimet; loquimur enim de disciplina tantum, id est de modo et ratione doctrinam tradendi. Sed disciplina multas partes habet, quas singulas distinguere necesse est. Nam, qui arte et consilio tradere quidquam aliis cupiunt, hos de duabus potissimum rebus deliberare oportet, primum quo ordine tradant singula, deinde, quo delectu orationis. Itaque disciplina duabus rebus cernitur, primum ordine et dispositione, deinde oratione et eloquutione. Sed ad ordinem et dispositionem haec tria requiruntur; primum ut rectum fiat initium docendi; deinde ut partes institutionis singulae bene inter se cohaereant, et se invicem excipiant; denique ut universa doctrina intelligatur recte et inveniat fidem. Quam ob causam obscuriora diligentius, quae difficilius fidem inveniant, crebrius et copiosius exponenda sunt: nam certam artis regulam sequi non ubique necesse est neque utile apud omnes, impatientes vinculorum; placet in populari institutione liberior disciplina. Alterum in rebus recte proferendis cernitur, seu in ipsa oratione. Sed haec ipsa duas item partes habet, inventionem et eloquutionem. Inventio pendet partim a deliberata ratione in argumentis rerum eligendis, partim ab ratione singula tractandi ad hominum instituendorum ingenia prudenter accommodata. Varie enim pro variis audientium rationibus vel cogitari res eadem vel tradi potest; neque iisdem omnes argumentis moventur, sed alii aliis, in quorum delectu observando summa magistri prudentia conspicitur. Ergo inventio tota se ad homines et tempora componet, ne oratio temeraria et inopportuna irritum docentis consilium faciat. Inventionem eloquutio denique excipit, quae non unius generis esse solet. Aliter enim loquimur apud familiares, aliter apud alienos, aliter privatim, aliter publice; alia etiam oratio est, quum absentibus

scribimus, alia, quum praesentes viva voce docemus. Quare in libris sacris magna orationis diversitas reperitur, a bono interprete nullo modo negligenda, sed hoc loco, quem tractamus, diligentissime observanda. Verum haec de disciplina universa dixisse satis est; igitur ad rem ipsam perveniamus; et primum quidem, ut diximus, discriminis, de quo disputamus, causas exponemus.

Est autem causarum, e quibus ortum est discrimen disciplinae Christi et Apostolorum, non facilis observatio; sunt enim variae, diversae et haud parum impeditae; eas igitur in singulas classes et quasi species dividamus. Sed quum in unaquaque re tradenda certae causae adsint, ob quas alius aliam *disciplinam* sequatur, communes illas causas ad christianae doctrinae *disciplinam* transferamus. Pendet autem omnis disciplinae instituendae ratio primum a consilio, deinde ab hominibus, denique a temporibus. Nam quum diversum est consilium, eandem rem diversa ratione tradere necesse est; neque apud homines omnes eadem institutio locum habet, aut temporibus omnibus, sed utroque modo quam maxime mutatur disciplina. Quae quum in quacunque institutione mutandae disciplinae causae reperiantur, in Christiana quoque doctrina tradenda locum habuerunt. Itaque discrimen disciplinae Christi et Apostolorum his causis constare arbitramur, consiliis diversis, hominibus et temporibus; de quibus singulis deinceps dicemus.

Primum igitur in tradenda doctrina aliud Christo consilium fuisse, aliud Apostolis, res ipsa clare loquitur. Quamquam enim Apostoli cum domino in summo doctrinae tradendae consilio consenserunt, tamen in hoc divino consilio perficiendo diversam rationem sequuti sunt. Saepissime enim, quum idem pluribus propositum est, singulis ad illud efficiendum variis modis et consiliis opus est. Tametsi igitur, Apostolos in summa rei cum divino magistro consensisse, ab omnibus concedendum est, quum et res ipsa doceat et ipsi Apostoli saepissime declaraverint, se nihil non ex mente Domini facere, sed bonarum tantum partes agere operarum, qui fundamento, a magistro iacto, ex huius consilio, aedificium superstruant (1 Ep. ad Corinth. cap. III, v. 9.) tamen uti Paulus hoc ipso loco, de se loquutus, destinxit eum, qui incepit aedificium (*τὸν οἰκοδομήσαντα*) ab eo, qui super-

struit huic fundamento aliam materiam (ἄλλος ἐποικοδομεῖ), ita etiam distingui potest consilium Christi et Apostolorum.

Primum enim Christus non omnibus, sed paucis, iisque Iudaeis, tradere doctrinam voluit; Apostoli autem omnes homines gentesque, sive Iudaeos, sive Graecos, saluberrima doctrina imbuere debuerunt. Et hoc quidem omnis vita domini satis ostendit. Nam a Galilaea exorsus, Palaestinae oppida et vicos peragravit, sed inter fines patriae fere semper se tenuit. Vitam privatam egit parva suorum manu stipatus, sed data occasione nonnunquam docuit multitudinem, quae rerum ab ipso gestarum fama excitata e vicinia ad eum confluxisset; publice docendi ultimis demum temporibus occasionem sumsit, ne ἀμάρτυρος e vita discederet. Sed ab hoc sapientissimo domini consilio munus Apostolorum alienissimum fuit. Hi enim postquam Iesus hanc terram reliquerat, Asiae et Graeciae magnam partem peragrarunt, et Romae adeo docuerunt, obtemperantes mandato magistri, iubentis μαθητεύειν πάντα τὰ ἔθνη. Haec vero consilii diversitas tanta est et tam gravis in re nostra, ut negligi nullo pacto possit. Nam quemadmodum aliam disciplinam populares desiderant, aliam peregrini, et aliter loquimur inter amicos, aliter publice et cum contentione, ita etiam Christi et Apostolorum disciplinam vel hac causa diversam redditam fuisse, facile intelligitur. Sed haec non una consilii diversitas fuit; accessit alia non minus gravis, quam praetermittere hoc loco non possumus. Christi enim non hoc consilium fuit neque esse potuit, ut perfecte et plene traderet ipse doctrinam, ne his quidem, inter quos doceret, sed ut semina tantum spargeret, ab Apostolis fovenda et ad laetissimos fructus perducenda. Itaque hoc egit maxime, ut doctrinae, quam a patre accepisset, fundamenta iaceret, dum, Messiam exspectatum iam venisse, seque hunc ipsum vere adesse, doceret factisque ostenderet, atque sic ad suscipiendam doctrinam, ab Apostolis uberius tradendam, animos hominum praepararet. Noluit ecclesiam ipse condere divinus magister, noluit doctorem gentium se ipsum exhibere; sed ecclesiam Apostoli condere debuerunt iidemque doctrinam, quam ipsis dominus familiaribus sermonibus tradidisset, ad omnes gentes pertulerunt. Quamquam enim propheta fuit, qualem exspectare Iudaeos aequum esset, tamen scholam magis condere, quam ecclesiam, et fundamenta iacere, quam rem perficere voluit. Quod vere a nobis dici, ex ipsa ratione docendi, quam sequutus est

dominus, satis intelligi potest. Nam quod offendit nonnullos, ipsum interdum data opera loquutum esse paulo obscurius, ut Iudaei ipsum audientes, dictorum sententiam non assequerentur, id tantum abest, ut aut inhumanitatem prodat, aut callidam simulationem, ut mirificam Christi sapientiam luculentissime ostendat. Nihil enim efficere potuisset apud homines illos, qui praecepta communia vix capere possent, nedum novae doctrinae capita, abscondita hucusque et ab universi fere seculi opinionibus aliena. Itaque sapientissimo consilio doctrinam nonnisi in universum tradidit et quoad summam, atque satis habuit, communia, ad genus humanum ab omni superstitione liberandum, ad exstirpanda vitia, ad virtutem alendam, ad hominum animos communi et fortissimo amoris, honesti, spcique laetissimae vinculo coniungendos, saluberrima et efficacissima praecepta dedisse. In his autem ita versatus est, ut popularium animos excitaret quidem, sed captaret nullo modo, imo multis locis exacerbaret et irritaret: saepe enim lenem medicinam non patiuntur vitia hominum, sed animus torpens prava consuetudine et quasi sopitus superstitione, non sine vi quadam et contentione potest suscitari. Christus igitur, qui bene nosset popularium ingenium, quamquam nec superstitioni nec vitiis parcere constituit, satis tamen fecisse videbatur, si eos excitasset, atque a principum flagitiosorum consiliis avocasset, ut crederent, se ipsum esse Messiam, inde a mundo condito destinatum et maioribus per prophetas promissum. Quodsi quis existimet, parum hoc fuisse atque consilium Christi arctioribus limitibus a nobis includi, is cogitet, nos non de universo negotio eius salutari loqui, sed de munere doctoris, eoque publico. Id vero et ipse professus est diserte Luc. VIII, 9. 10. et universa institutionis ratio docet, eum plenam doctrinam tunc quidem popularibus tradere noluisse. Plenus est aureus Iohannis liber orationum domini, quas habuit ad Iudaeos; sed earum argumentum nonnisi ad capita communia spectat, scilicet ipsum esse Messiam, auctorem salutis, divinitus datum, missum a patre, ut homines a peccatorum miseria liberaret et ad amissam felicitatem reduceret. Quod etiam Iohannes declaravit in Ep. I. c. I, v. 5. 6. Et quamquam Nicodemum plenius instituit et de persona Ioh. V, 13. 16. et de morte sua v. 14. 15., et de modo consequendae salutis v. 2 ss. Iudaeis tamen, multa saepe de iisdem rebus quaerentibus, nihil respondit, nisi quod e libris sacris

scire possent, hominum, verbis ambiguis et duris exacerbatorum, nihil curans offensionem; eius rei luculentissimum exemplum extat Ioh. VIII. Inprimis operae pretium est, ea legisse loca, in quibus de regno et adventu suo loquutus est. Nam saepe quidem repetiit spem regni ab ipso constituendi, et apud Iudaicum vulgus quoque id fecit, unde cognoscitur, eum cogitasse de regno futuro. Ipse enim a terrestris regni affectatione alienissimus fuit: sed Iudaei non intelligebant, quid sibi vellet regnum invisibile et internum, cuius ille auctorem et caput pluribus locis se profiteretur. Admiramur in hoc quoque consilio mirificam divini magistri sapientiam. Regnum enim, si ipse vivente conditum esset, tale futurum fuisset, quale ab ipsius et patris consilio longissime esset alienum: nam hominum superstitio, cupiditas et inhians rebus terrenis animus, regni illius veri vim impedivissent, et pietatem virtutemque in externarum rerum vanum studium convertissent. Itaque neque ipse doctrinam plenam et absolutam tradere omnibus voluit, neque vero plene tradi tunc quidem ab aliis potuisset; nondum enim impleta erant omnia; et regnum quoque post mortem demum condi voluit. Sciebat enim, qui ad religionem vere colendam adiicerent animum, his non licere rebus humanis amplius inhiare, sed ad coelestia et immortalia esse contendendum. Neque vera ecclesia terrestribus vinculis continetur, sed invisibili imperio, quod labentibus seculis in turpem tyrannidem superbia et cupiditas hominum mutavit. Et mirari profecto satis non possumus divinam optimi magistri sapientiam, qui non hoc egerit, ut simul, et quasi uno momento, animis hominum, non satis praeparatis et idoneis, doctrina divina veluti obtruderetur, sic ut a posteris accuratius et verius cognosci non deberet; sed qui semina tantum spargere voluerit, quae omni futuro aevo inter homines sapientiores, integriores, honesti rectique amantiores, denique beatiores, foverentur, nutrirentur atque ad fructus in dies laetiores perducerentur. Quod si quis illam operis salutaris partem brevi tempore, quod in his terris vixit, absolutam existimet, is valde fallatur, imo perdurat hoc quoque divini servatoris negotium, durabitque usque ad finem rerum humanarum. Eo enim fructu iam est dominus noster, qui ascendit in coelos, quemadmodum Paulus dixit Ep. ad Ephes. IV, 10.: ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα, et v. 13. μέχρι καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώ-

σεως τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας, τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ. Nunquam enim deerit quod ex illo perenni et inexhausto divinae sapientiae fonte, qui iam tot aetates hominum virtute, spe ac pietate foecundavit, hauriamus purius, spretisque denique humanae lubidinis fraudibus aquam salutarem penitus animis imbibamus. (Apocal. XXII, 1.) Atque cum hac nostra sententia bene conveniunt, quae de regno suo, et παρουσίᾳ dixisse legitur dominus in libris sacris, e quibus luculenter intelligitur, Christum vel regni sui vel omnino rerum humanarum, divina doctrina beandarum, initium post mortem demum fieri voluisse. Quamobrem suorum quoque studia nonnunquam cohibuit, iisque veram consilii sui rationem post resurrectionem demum aperuit; Iudaeis autem multa obscura reliquit, et suis quoque non satis perspecta; multa etiam esse dixit, quae neque ipsi iam, se vivente, capere possent, neque apud reliquos fidem essent inventura, omnia autem, postquam in coelum rediisset, et clariora futura esse et largissimos fructus prolatura. Gravissimum legitur huius rei testimonium Ioh. XVI, 7 sqq. quo loco diserte declarat, utilem esse discessum suum, vel ob spiritum mittendum, qui homines illius seculi arguere primum perversitatis debeat, quod ipsi non habuissent fidem, deinde iustae causae suae, quae per suum ad patrem abitum luculentissime demonstrata fuerit, denique apertam facere victoriam, quam de infesta vi, hactenus saluberrimis suis consiliis opposita, esset deportaturus. Atque hanc ipsam ob causam promisit etiam spiritum sanctum, qui Apostolos accuratius et uberius institueret atque iis etiam in memoriam revocaret, quae ab ipso iam accepissent, ipsum vero dominum illustraturus esset eiusque opus dictis factisque confirmaturus. Ioh. XIV, 26. XV, 26. XVII, 12 sq. Iam, si certum est, Iesum in docendo aliud consilium, quam Apostolos, sequutum esse, haec ipsa diversitas, quantopere ipsam domini et Apostolorum disciplinam diversam reddere debuerit, sua quisque sponte intelliget. Aliud enim est, doctrinae semina spargere in populo et familiari quasi terra, aliud homines, ad certam disciplinam iam adstrictos et indole plane diversos, accuratius edocere; aliud vero est, capita religionis in universum et quasi summa tantum exponere, aliud omnia ac singula explicare sic, ut ad singulorum hominum ingenia et mores respicias; aliud denique prima fundamenta ponere, aliud vero ad singulas

rationes humanas et tempora doctrinam uberius explicatam componere atque diffundere. Vidit hoc ipse Paulus, cuius summa in hominum animis regundis solertia fuit, et τὰ στοιχεῖα distinxit ab uberiori et perfectiori institutione. Hebr. V, 12. VI, 1. seq. coll. I. Cor. III, 2. Sed huius causae vim postea exponemus, nunc reliquas causas videamus.

Secunda enim causa, quae Christi et Apostolorum disciplinam diversam reddidit, in hominum instituendorum diversitate quaerenda est. Ut enim prudentis magistri est, quos velit instituere, quinam et quales sint, diligenter dispicere, ita haec hominum diversitas magnum ipsius disciplinae discrimen efficiat necesse est. Atque hoc loco non gentis solum et educationis, sed ingenii quoque, morum, opinionum et religionis diversitas observanda est. Quae tanti momenti esse solent, in instituendis hominibus, ut nisi ea recte distinguas, ad eaque omnem quasi efformes disciplinam, nihil efficias. In libris vero sacris explicandis non solum quid dicatur animadvertendum est, sed quibus dicatur maxime, ut iam Erasmus, vir immortalis, observavit. Iam vero alios fuisse homines, quibus Iesus doctrinam divinam traderet, alios vero, quos Apostoli instituerent, nemo potest ignorare. Vivebat ille enim inter Iudaeos, multis quidem opinionibus vanis occupatos, et religioni maiorum procerumque legibus obstrictos, sed ex imperita plebe, artium et disciplinae nescios, summisque reipublicae periculis, Romanorum etiam iugo valde depressos. Apud hos vero sufficiebat, opinionum imperium deiecisse, religionis superstitionem librorum sacrorum auctoritate minuisse, denique futurae monstrasse spem incolumitatis. Nam vix tulissent doctorem, qui maiorum religioni plane repugnasset, aut legi patriae, cuius illa gens tenacissima fuit, aliquid detraxisset doctrinamque tradidisset, cui percipiendae non essent pares. Erant illi Iudaei, animo levi, feroci, non fracto quidem, sed demisso et humili, ad meliorem doctrinam praeparandi; nonnulli etiam amici, homines integri, probi et honesti. Hos igitur Iesus suscepit instituere, hos auditores plurimos, sectatores paucissimos habuit. Tales vero, quis non videat, longe alia ratione instituendos fuisse et tractandos, quam quos Apostoli instituerunt, Christianos e Iudaeis aut gentilibus. Christianos dicimus; nam Apostolorum epistolae scriptae sunt ad homines iam imbutos doctrina Christiana, Iudaeos antea aut gentiles. Primae

enim hominum, plane imperitorum doctrinae Christianae, paucissima institutionis in commentario Lucae, quem de rebus gestis Apostolorum scripsit, vestigia supersunt. Atque haec ipsa docent, Apostolos, quum primum verba fecerint ad Iudaeos et Graecos, singularem quandam rationem sequutos esse et sequi debuisse. Si quis enim Pauli orationem, in Areopago Athenis habitam, ad sapientium hominum illorum superbiam deprimendam, populique iram compescendam efficacissimam legat, is longe aliam docendi rationem reperiet, quam in domini institutione ipsisque orationibus Apostolorum, veluti ea, quam Petrus habuit feriis Pentecostalibus. Sed in epistolis conscribendis longe alios lectores et discipulos ante oculos habuerunt et disputarunt aliter cum Christianis e Iudaeis, aliter cum iis, qui e gentibus accessissent. Sed Iudaeorum quidem, qui iam susceperant doctrinam evangelii, longe alia ratio erat, atque eorum, quibus dominus eam tradebat. Hi plane ignari erant melioris doctrinae, illi eam iam cognoverant, hi legem patriam adhuc colebant, illi Christianam erant amplexi; in illis multum quidem φυράματος supererat, sed hi penitus erant purgandi. Sed illud maximum; ex ipsa novae religionis forma novum fere genus opinionum oriebatur, ad quas expellendas nova et mutata disciplina opus erat. Quod quum non ab omnibus satis observari soleat, paulo accuratius exponendum est. Aliud enim est, erudire pueros, nondum disciplina quadam imbutos, aliud vero docere adultos, quorum animi et multas opiniones susceperunt, et certae disciplinae dudum adsueti sunt. Nam illi quidem integram animo doctrinam recipiunt, quasi semen terrae traditum nondum cultae; sed his instituendis inveteratae opiniones officiunt, saepe etiam errores, vitia, superstitio offendunt. Terrae saepe iam consitae semen tradas, neque fructum habebis integrum, sed cum frumento spinae, zizania, lolium crescent; neque magis quidquam institutionem impedit, quam, quae semel animum occupavit, sentiendi agendique perversa consuetudo. Atque haec res observari satis diligenter non potest in hominibus illis, qui a Christo et Apostolis erant instituendi. Iudaei enim, quorum animis vetus religio inhaerebat, novam doctrinam non poterant suscipere, quin vetusta et nova commiscerentur, atque e veteris novaeque institutionis coniunctione, opiniones novae orirentur, quas Apostolos magno cum studio evellere necesse erat. Itaque in Apostolorum disciplina comparanda

cum Christi institutione, maxime vis illa observanda est, quam in Iudaeorum animis nova doctrina habere debuit, quum novas ipsa quoque opiniones procreaverit, quae nondum reperirentur apud eos, quos dominus instituisset. Ita enim comparatus est animus humanus, ut quae nova didicerit, ea cum antiquis comparet et coniungat, multaque retineat, quibus ea, quam novam susceperit, doctrina mutari et novum quasi trahere colorem soleat. Coalescunt vetusta cum recentioribus, ita ut pauci sint, in quorum animis, quae nuper tradita fuerint, serventur integra. Alia quoque ex aliis vitia oriuntur; et in plurimorum animis mutatur tantum non exstirpatur superstitio. Quod Apostolos quoque expertos esse, non mirabimur apud Iudaeos, tenacissimos patriae legis et superstitiosissimos, et vero etiam apud gentiles, multis opinionibus perversis occupatos. Itaque multa cautione opus habuerunt, ut superstitioni novae occurrerent, et a pravis opinionibus puram et integram doctrinam divinam servarent. Hinc ipsa Apostolorum disciplina diversissima reperitur, quoniam ad hominum illorum opiniones et errores accommodata esse debebat, ita, ut qui non satis recte homines, quos illi instituerunt, et consilium Apostolorum distinxerit, is hos ipsos sibi repugnare existimet. Quod quum multis exemplis docere possimus, lubet unum tantum afferre, idque quam maxime illustre. Sciunt enim omnes, quantae olim de fidei et bonorum operum necessitate controversiae fuerint, inde a Lutheri maxime temporibus (quamquam Scholasticorum maxime vitio illa calamitas orta fuit); quum alii fide sola gratiam divinam et salutem consequi homines docerent, alii bonis operibus maxime opus esse praeciperent, utrique vero ad scripta Apostolorum provocarent. Atque est profecto mira in his ipsis species contradictionis. Innumerabilibus enim locis, quibus Paulus sola fide dixit δικαιοῦσθαι homines, hic unus obtendi poterat Iacobi locus: (Ep. II, 24.) ὁρᾶτε τοίνυν ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον; Enimvero inter Christianos eos, qui Iudaei antea fuissent, diversa opinio erat, una, quam ex institutione veteri retinuissent, de lege mosaica observanda, altera non minus falsa, quam susceperant tunc, quum fidem solam commendari audivissent, de fide inerti et cassa virtute. Sed haec duplex opinio diversam prorsus disciplinam desiderabat. Illam enim Paulus eximere animis Christianorum voluit, dum disputavit contra legem mosaicam et opera legis,

quamquam ipse nihil minus magnifice sensit de necessitate virtutis. (Rom. II, 4—6. VI tot. VIII, 2. sq. 10. sq.) Iacobus autem, quando docuit, fidem sine operibus vanam esse, per opera iustificari homines, non tantum per fidem, cavere voluit, ne Christiani, quum audirent, omnia ad fidem redire, neque opus esse lege mosaica, sed uni evangelio esse adhaerendum, inciderent in opinionem contrariam, religionis Christianae professionem cultumque externum sufficere, neque opus esse ut eidem etiam agas convenienter et sentias. Neque vero mirandum est, in ipsius domini institutione non reperiri eiusmodi sententias et disputationes, quibus Pauli scripta ubique repleta sunt; alios enim homines ille docuit, alios hic instituit, correxit et castigavit. Sed in hac hominum diversitate non negligendum est alterum genus *hominum*, quibuscum Apostolis negotium fuit. Fuerant enim *hi* gentiles antea, perversis quidem et ipsi sed longe aliis opinionibus occupati, ideoque longe alia ratione instituendi. Et quum nemo nesciat, quantum discrimen fuerit inter Iudaeorum ingenia et mores Graecorum, concedent omnes, arbitror, hanc novam causam ortam esse diversae disciplinae Christi et Apostolorum. Aliter enim Iudaeos par erat doctrinam excipere, aliter Graecos aliosque; neque enim omnis terra eosdem fructus ferre solet, sed prudentis magistri est, pro diverso hominum ingenio consilium et disciplinam mutare. Enimvero, quemadmodum doctrina Christiana Iudaei animum affecit singulari ratione, sic, ut antiquae vitae et religionis vestigia remanerent, ita etiam ethnici animus longe aliter affectus est, idololatriae et vitiis suae gentis dediti, ut nova doctrina a prisca eius religione et vita proprium colorem traheret. Quae res et mutare disciplinam Apostolorum debuit et hoc loco est maximi momenti. Neque enim obliviscendum est, quod modo monuimus, epistolas Apostolorum, non primae institutionis, sed secundae quasi et uberioris exempla exhibere, et scriptas esse ad homines, rerum Christianarum scientia iam imbutos, sed nunc uberius instituendos, corrigendos et emendandos. Sed Christi institutio, quae ex Evangelistarum commentariis cognoscitur, prima fuit atque, ut diximus, elementaris, cuius longe alia ratio fuit, atque Apostolorum. Hi vero, quum diversissimi ingenii homines instituerent, iam disciplina quadam imbutos, necesse habuerunt in docendo rationem sequi eam, quam varia doctrinae traditae vis in diversis diversorum animis suasisset.

Quare non dubitamus, quin hanc praecipuam illius discriminis causam fuisse existimemus.

Sed tertia restat, quae diversitate temporum constat. Tempora autem dicimus res omnes, quae, quum Apostoli docerent, vel ipsorum consilium mutarunt, vel singularem quandam docendi rationem desiderarunt. Etenim ab eiusmodi rebus fere semper pendent instituta humana; ut, qui sapienter versentur, hi tempora diligentissime observent ad eaque omnem agendi rationem caute instituant. Neque vero Apostoli non experti sunt vim temporum, sed inciderunt multa, ob quae opus esset universam disciplinam mutari. Quae, si negligit interpres N. T. is neque plurima literarum sacrarum loca recte intelligit, neque de ipsa Apostolorum disciplina vere iudicabit. Reputantibus autem nobis tempora illa, ante omnia offert sese gravissimae rei cogitatio, quae uti ad homines servandos, beandos, corrigendos et emendandos vim habuit plane divinam, ita etiam efficaciam maximam habere debuit in disciplina et consilio Apostolorum. Scilicet mors Christi, sapientissimo et benignissimo Dei consilio tolerata, quum prorsus tempora mutaverit rebusque omnibus novam plane formam et faciem dederit, tum vero etiam disciplinam Apostolorum mirifice mutavit, et duabus quidem rebus maxime; primum, quod consilium divinum, cui Christus vel morte sua satisfecit perfectissime, tum demum penitus apparuit, deinde, quod universae doctrinae Christianae, summo capite auctae, nova quasi forma data est. Nam quamdiu Christus rebus humanis hac in terra interesset, omnia alia sperabant non tantum Iudaei, verum etiam amici Iesu atque Apostoli. (Luc. XXIV, 21.) Neque enim intelligebant immensam consilii divini sapientiam, σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην, ἣν προώρισεν ὁ θεὸς πρὸ τῶν αἰώνων. (1 Cor. 11, 7.) neque eam poterant intelligere, priusquam Christus fidi pastoris instar pro salute generis humani sese devovisset. Quamvis enim saepe dominus de morte sua imminente loquutus erat, non obscure tantum, sed etiam proprie et perspicue; tamen discipuli, quid sibi vellet dominus, non satis intellexisse narrantur. Luc. XVIII, 31—34. Sed morte Christi, et rebus humanis nova lux affulsit et Apostolis, Luc. XXIV, 44. 45. et vero etiam universae doctrinae Christianae. Iam enim, perfecto consilio Christi (nihil enim restare, quin iam morte denique tolerata ad maiestatem pristinam rediret, ipse dixit Ioh. XVII, 4.) non solum universae

οἰκονομίας ratio apparuit, sed fieri etiam potuit, ut impedi-
tis ab invidia, superbia et inscitia hominum objectis, nunc
dem remotis et discrimine, quod sepis instar Iudaeos et ge
separasset, Eph. II, 11 — 22., sublato, evangelium perfec
deretur. Accessit vero hoc quasi caput summum doctrinae
stianae eique novam plane formam et novas causas dedit,
antea caruisset. Satis enim ipsius divini magistri luculent
verba docent, negotii divinitus ipsi demandati hanc non mi
partem fuisse, ut genus humanum a peccati miseria morte
simum voluntaria liberaret. Sed hoc saluberrimum inst
post mortem demum domini praeesse coepit rebus Christianis
vero haec res dici vix potest, quantopere mutaverit vel
doctrinam, vel rationem disciplinae; sed totam institutione
stolorum ita direxit, ut ab ea initium fecerint eiusque ma
dine totam disciplinam finiverint. Quod quum scripta eor
culenter ostendant, eos hac potissimum doctrinae parte usos
eamque apud Iudaeos atque gentiles pari studio tractasse,
est, quod hanc celeberrimam diversae disciplinae causam di
dubitemus. Quare non mirandum est, disciplinam Aposto
rum a Christi institutione vel hoc loco valde diversam fuis
Sed hoc discrimen vel necessarium fuit hanc ipsam ob causa
quoniam doctrina Christi morte demum eius fuit absoluta, vel a
disciplinam tantum pertinet, quam mutata tempora prorsus mut
runt. Atque id ipsum Iesus praedixit, eo loco, quo amicos d
discessu suo est consolatus, imprimis Ioh. XVI, 6 sq. adeo
παρουσίας Christi initium in hoc potissimum tempus incideri
quo totius generis humani servatorem se exhiberet. Quodsi qu
temporaneum hoc institutum fuisse et ad Iudaeos tantum pert
nuisse, existiment, horum opinioni etsi viris equisque, ut dica
repugnandum est, tamen ne haec quidem hoc loco quidquam
ficiet: nam de iis rebus disputamus, quae Apostolorum temp
bus doctrinae Christianae tradendae disciplinam mutarunt.
alia quoque accesserunt, quae tempora plane diversa reddide
satis omnibus nota; quam ob rem in pauca conferemus.
enim temporibus respublica Iudaeorum turbata quidem erat et
xima ruinae, speciosa tamen quiete tranquilla et quasi so
sed postea periculosissima tempora irruebant, a Christo praed
existebant impostores, et quotannis fere tumultus et sediti
oriebantur. Deinde quum ille doceret, nulla, nisi inter legis

triae peritos, dissensio fuit, quorum certamina vulgus non curasse videtur. Sed Christo mortuo omnia subito mutata sunt. Doctrina enim Christi Graecis innotuit eosque partim cepit dulcedine veri, partim exacerbavit et hostili odio incendit. Et inter ipsos Iudaeos quoque, qui eam susceperant, dissidia oriebantur, quorum rationem Apostolos habere necesse fuit; inprimis quum doctrinae Christianae magistrorum Iudaicorum opiniones addere nonnulli coepissent, adversus quos graviter loquutus est Paulus pluribus locis, v. c. in Epp. ad Coloss. et ad Timotheum. Porro inter asseclas Christi nulla, ipso vivo, dissensio fuit: nondum enim variarum ecclesiarum instituta turbaverant animos. Sed conditis ecclesiis pluribus, sciunt omnes, quanta sententiarum discrimina orta fuerint, inprimis tum, quum Iudaeorum grassari superbia coepisset, quae vix summa Apostolorum prudentia cohiberi potuit, ne omnem ecclesiam prorsus turbaret. Denique ipsa origo ecclesiae, humanis legibus constituendae, non potuit non rerum faciem mutare, et divinum consilium in humani institutum arbitrii convertere. Christianorum enim crescente multitudine, varia consilia hominum nova plane ac varia ratione cohibere, regere et emendare necesse fuit. Quare quum tempora, quibus Apostoli docuerunt, a Christi temporibus diversa fuerint: non mirandum est, vel hanc ob causam valde diversam fuisse disciplinam Christi et Apostolorum.

Sed de causis huius discriminis haec dixisse sufficiat; nunc hoc ipsum discrimen quantum sit, et quibus rebus cernatur, brevi oratione ostendamus. Servabimus autem ordinem eum, quem supra descripsimus, et primum quidem de ordine et dispositione rerum dicemus.

Atqui haec communis opinio est, Iesum nullum ordinem certum sequutum esse, sed populi institutione usum ab omni certae disciplinae arte abstinuisse; Apostolos autem eam non magis sequutos esse, vel ob ingenium suum, vel propter homines, non arte, sed studio et prudentia instituendos. Sane si quis eiusmodi ordinem desideret, qui reperitur in systemate theologico, aut in libellis ad artis formam compositis, talem quidem in disciplina Christi et Apostolorum, atque adeo in libris N. T. non reperiri, satis constat. Sed quum ordo disciplinae a prudenti consilio soleat, non ab artis subtilitate pendere; illud maxime hoc loco spectandum est. Christus enim et Apostoli quamvis ab omni arte alienissimi fuerint, tamen certum consilium et ordinem cer-

tam sequuti sunt, dum in rebus eligendis ad homines et tempora perpetuo respicerent, utrique vero idem summum consilium, doctrinae divinae tradendae, propositum haberent. Sed quum in quacunque doctrina tradenda ante omnia circumspiciendum sit, a quibus rebus initium fieri et a quonam veluti principio duci institutio debeat, intelligitur, hoc loco primum de fundamento disciplinae Christi et Apostolorum, deinde de rerum singularum delectu dicendum esse. Neque vero hic locus est disputandi quaestionem in theologorum libris et scholis agitatam, de causis theologiae Christianae. Postquam enim in artis formam redacta est doctrina christiana, eius capita singula distinguere coeperunt aliisque maiorem, aliis minorem dignitatem et vim tribuere; atque illos fundamentales, hos non fundamentales articulos appellarunt, usi vocabulo quodam Pauli de re simili usurpato. Verum de illis articulis constituendis et olim variae sententiae fuerunt, neque nostra aetate viri docti consentiunt. Sed fuerunt etiam, qui quaestionem totam ad exemplum Apostolorum referri atque ea tantum doctrinae capita articulos fundamentales dici vellent, a quibus Apostoli docendi initium fecissent. Quae sententia etsi parum utilitatis habet in systemate theologico; in eo enim non de elementis seu initiis institutionis, sed de summis doctrinae capitibus, a quibus reliqua pendeant et derivari possint, quaeritur; tamen huic loco, quem tractamus, valde accommodata est. Quaerimus enim, a quibus capitibus Christus et Apostoli docendi initium fecerint, quasve doctrinae partes quasi fundamenti loco posuerint, cui uberiorem institutionem superstruerent. Atque hoc diserte Paulus dixit θεμέλιον in I Ep. ad. Cor. III, 10. 11. non universae doctrinae fundamentum sed elementa institutionis. Nam quod v. 2. dixit γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, ἀλλ' οὐ βρῶμα; id explicat, quae v. 10. sequuntur; sed quae v. 11. addidit, ea dixit adversus eos, qui nova audire a novis magistris cuperent (v. 3. 4.) ut intelligerent, illos, veluti Apollonem, Cepham, nihil aliud agere, quam ut fundamento ab ipso posito, superstruerent οἰκοδομήν; se enim fundamentum posuisse, Christum scilicet Iesum, seu doctrinam Jesu Christi, neque aliam tradendam esse ab illis doctrinam; illos enim (v. 5.) ministros esse eorum, per quos primum adducti fuissent Corinthii ad disciplinam Christianam. Itaque θεμέλιον v. 11. non est proprie fundamentum doctrinale, quod dicunt in scholis, sed institutionis fundamentum, i. e. ipsa

ctrina Christi, quam Apostolus tradiderat tamquam fundamenta, cui, quicquid alii doceant, convenire debeat. Neque vero negamus, capita summa haberi posse partes doctrinae eas, a quibus Apostoli initium docendi fecerint, sed elementa institutionis ipsis doctrinae causis et principiis distinguenda esse arbitramur. Habemus huius discriminis auctorem Paulum, siquidem is scripsit ad Hebraeos epistolam. Nam Cap. VI. θεμέλιον appellat, quae cap. V, 12. dixit τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ θεοῦ; atque haec ipsa capita doctrinae, quamvis gravissima, quae Cap. VI, 1. 2. enumerat, τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ χριστοῦ λόγον, opponit τῇ στερεᾷ τροφῇ, iisque relictis ad perfectiorem institutionem perveniendum esse dicit v. 1. Quin valde vituperat Christianos, V, 12. sq., quod inertia sua effecissent, ut elementa illa, quae in disciplinae initio ipsis tradidisset, repetenda essent et denuo tradenda. Quamquam nemo illa capita non gravissima dicere poterit, sed distinguenda tamen sunt disciplinae elementa a fundamento doctrinae; hoc enim semper idem esse debet; sed institutionis initia varia sunt pro diversis hominum ingeniis et necessitatibus. Ac de illis quidem nos hoc loco disputamus.

Iam vero diversa institutionis fundamenta et Christum et Apostolos ponere debuisse, primum illa consilii, hominum temporumque diversitas probabile reddit, de qua supra exposuimus, inde vero ipsa disciplinae monumenta luculentissime ostendunt. Christus enim, quum hoc, ut diximus, propositum haberet, ut populares ad se, Messiam agnoscendum, idoneos redderet eorumque animos ad doctrinam divinam suscipiendam quodammodo praepararet, coepit eos instituere sic, uti huic consilio esset maxime accommodatum. Itaque exorsus est a laetissima illa doctrina, adesse regnum Messiae ipsumque Messiam, Matth. II, 17. seque ipsum hunc esse, legatum divinum, dudum promissum et exspectatum Ioh. V, 39. XVII, 8. salutis auctorem, cuius beneficiis qui frui vellet, eum oportere vitam sanctiorem agere, fugere vitia et virtuti studere. (Ioh. III, 3. sq. VI, 40. 51. Matth. XX. 28. al.) Atque huic veluti fundamento dominus disciplinam suam superstruxit, uti vere fuit caput summum universae doctrinae Ioh. XVII, 3. Hinc discipulos quoque iussit βάπτισμα et μετάνοιαν docere, hac lege ut adiuncta esset venia peccatorum. Sed Apostoli, etsi eadem capita tanquam summa et primaria tradiderunt, quum primum docere inciperent, postea tamen aliam

docendi rationem sequuti sunt. Nam Iohannes quidem Ep. primi II, 22. ἀντίχριστον esse dixit, qui negaverit, Iesum esse Messiam. Idem de Paulo constat ex iis locis, quae supra vidimus (1 Corinth. II, 2. col. Hebr. VI, 1. 2.) et de Petro (Act. II, 36. III, 13 sq. V, 31 sq. XVIII, 25.) ita ut nemo dubitare possit, primam eorum institutionem ab iisdem exorsam initiis esse. Sed huius quidem levissima tantum, ut diximus, vestigia supersunt; epistolae enim non primae, sed secundae et uberioris disciplinae exempla ostendunt. Atque de hac nos loquimur, quum de Apostolorum disciplina disputamus eamque cum Christi disciplina, quae prima fuit, comparamus. Sed sic negari non posse putamus, magnum disciplinae discrimen fuisse iam in initiis institutionis et universo ordine docendi. Apostoli enim, postquam illam doctrinam fundamenti loco tradiderant, deinde apud eos, qui eidem iam fidem habuerant, longe aliam rationem sequi debuerunt et vero etiam sequuti sunt. Quemadmodum enim pueris, ubi adoleverunt, alia tradimus, quam, quum primis literarum elementis imbuerentur, tradere necesse erat, ita etiam homines, iam Christianos factos, et doctrina tradita varie, ut diximus, affectos alia docere par erat, ἵνα ἐπὶ τὴν τελειότητα φέρωνται. Quare Apostoli his alia, tanquam primaria et fundamentalia ac maxime necessaria, proposuerunt, multa quoque propter opiniones varias, et novos etiam errores ortos, singulari studio inculcarunt. Itaque quando disputarunt cum hominibus Christianis, antea Iudaeis, eo potissimum fundamento usi sunt, quo apud hos homines, vel legis patriae tenaciores, vel opinionibus vanis occupatos, tum ad eorum deprimendam superbiam, tum ad errores illos funditus exstirpandos maxime opus esse intelligerent. Sed quamquam paganis aeque ac Iudaeis hoc commune praeceptum tanquam summum ac primarium tradendum erat, salutis spem in uno Christo ponendam esse, ut Paulus in 1. Ep. ad Thess. Cap. I, v. 9. 10. recte dixerit, initium doctrinae hoc fuisse, ut a vanis idolis ad veri dei cultum converterentur gentiles et confidere discerent filio eius coelitus misso, a mortuis revocato, sospitatori et liberatori ab imminente pernicie; tamen in Christianis his, qui pagani antea fuissent, accuratius instituendis, longe aliis initiis opus erat. Nam apud Iudaeos quidem Apostolorum institutio in his duabus rebus maxime vertitur: Iesum esse legatum divinum et servatorem illum dudum promissum et exspectatum, neque ad

consequendam gratiam dei opus esse legis Mosaicae observatione. Insederat enim eorum animis vana de terrestri Messiae regno exspectatio; et quamquam auditores Apostolorum fuerant, plurimi, credo, quod *παρουσίαν τοῦ Χριστοῦ* annunciari audivissent, postea tamen Christi persona varie offendebantur, quasi, spe sua et exspectatione se excidisse atque longe alia, quam desiderassent antea et exspectassent, bona sibi exhiberi, nihil denique eorum, quae futura esse credidissent, fieri, nunc demum animadvertissent. Sed quanta prudentia hanc hominum illorum levitatem Apostoli correxerint, scripta eorum satis testantur; quamquam tanti laboris aestumatio vulgo negligitur ab his, qui fructibus, aliorum studio paratis, uti satis habent. Enimvero non negligenda erat haec res in iudicio de Apostolorum doctrina ferendo; sed qua ratione hi inveteratam de Messia opinionem illam exstirpaverint, et ad regni coelestis imperium accipiendum animos, rebus terrestribus inhiantes, idoneos reddiderint, diligenter observandum erat. Nam qui sciunt, quantum a Messia, non illo quidem promisso, sed exspectato tamen, Christi persona diversa fuerit, etsi non facilem hunc laborem fuisse, facile intelligunt, tamen obliviscuntur hi, qui Apostolorum, nescio quam, calliditatem accusant, eosque in hac potissimum de Messia doctrina ad Iudaeorum opiniones se accommodasse existimant. Quasi vero eius sit accommodatio, qui aliorum errores graviter reprehendit, et omnia alia tradit, quam illi opinantur. Quodsi enim et Iesus et Apostoli ad Iudaeorum de Messia exspectationem sese accommodassent, longe alia ratione hac ipsa spe utendum fuisset; sed quum Messiam et Iesus sese exhibuerit, et Apostoli Iesum esse docuerint plane alium, quam Iudaei omnes crederent, ita ut hoc maximum doctrinae suscipiendae impedimentum esset, quam parum illi se hac in re accommodaverint, sua sponte intelligitur. Sed Apostoli in uberiori institutione ea doctrinae initia fecerunt, quibus hominum opinionibus illis optime occurrerent, ne quid priscae exspectationis relinqueretur, sed veri servatoris imago omnium animis informaretur. Sed quum alia eorum animos opinio occupasset eaque non minus perniciosa, de legis mosaicae observatione, Apostoli huic quoque occurrendum rati, universae disciplinae hoc veluti fundamentum et principium fecerunt, ut vel illorum hominum vana superbia tolleretur, vel caveretur, ne hac ipsa opinione gentiles a suscipienda doctrina Christiana retine-

rentur. Quare omnem disciplinam ita instituerunt, ut appareret maxime, legem mosaicam non esse diutius observandam, cultum vero leviticum sublatum, et morte Christi, sacerdotis summi, victimam pro peccatis hominum offerentis et nunc quoque, postquam in coelum rediisset, hominum salutem curantis, imo rebus omnibus imperantis, sacrificiorum necessitatem (ἔργων νόμου) in perpetuum evanuisse, neque aliud quidquam superesse, quam ut recuperatam libertatem et felicitatem sanctioris vitae studio tuerentur. Et haec quidem apud Christianos eos, qui Iudaei antea fuissent, institutionis Apostolorum fundamenta fuerunt. Sed apud gentiles item duo tractabantur maxime, primum, communem esse omnibus, et Graecis et Iudaeis, felicitatis per Christum partae societatem, neque eam quemquam suo merito consequutum esse, sed Deum pro amore suo ita decrevisse (Rom. III. Ephes. II.); alterum, in hoc uno Christo omnem quidem salutis spem ponendam, sed hominis esse, ut eam partam oblatamque retineret et conservaret. Eph. IV, 16. sq. II. Cor. V, 12. sq. VI, 1. sq. 1 Thess. IV, 1. sq. all.) Et illud quidem quam maxime necessarium fuisse, res ipsa ostendit. Nam gentiles quoque ad salutis communis, quam sibi hactenus Iudaeorum superbia arrogasset, (Eph. II, 12. sq.) spem evocandi erant, ne summum et plane divinum servatoris periret consilium, de regno divino inter omnes homines, nullo gentium discrimine, instituendo, ut omnes, qui divinis praeceptis obtemperassent, salutem, doctrina meliori et peccatorum expiatione a Christo partam consequerentur (Ioh. X, 16. coll. C. IV, 23. Act. XI, 34. 35. coll. Rom. II, 6 — 11. Eph. I, 10. Col. I, 16 ss. III, 11.). Quod, quum ipsi Apostoli, licet ipsius divini magistri institutione uterentur, serius demum perspexerint, facile intelligi potest, gentiles, ab omni vera religione alienos, et suis numinibus quasi familiaribus gaudentes, ad altiorem spem excitandi et pervehendi summi laboris negotium fuisse. Quare in Apostolorum disciplina comparanda nullo id pacto negligendum est; quamquam praetermissum est a multis, qui scholae formulas sequuti, de divina doctrina non ex ipsius consilio, sed ex levibus verborum sonis iudicarunt. Apostoli enim, postquam intellexerant, quantum esset et quam immensum divinae benignitatis beneficium, ea disciplinae ratione usi sunt, quae, etsi vanae superbiae minime faveret, tamen pusillum hominum animum

erigeret, novaeque et plane divinae spei lumine res humanas illustraret. Itaque de illo consilio non solum luculentissime exposuerunt, sed ei, quasi fundamento, universam doctrinam superstruxerunt. Et quoniam gentiles quoque sacrificiis confidebant, sed libertate ad morum licentiam utebantur, Apostoli, novis quasi vinculis eorum temeritatem constricturi, omnem disciplinam ita instituerunt, ut vere καινὴ ἐν χριστῷ κτίσις nasceretur. Quamobrem Apostolorum disciplina, cuius exempla in eorum epistolis exstant, a disciplina Christi diversa fuit, ut diximus, docendi initio et dispositione rerum; adeo, ut mirandum non sit, Apostolos fundamenti loco in institutione posuisse res eas, quarum ne ullam quidem certe levissimam Dominus ipse mentionem fecisset. Sed, quod altero loco posuimus, Apostolos in rerum singularum delectu aliam rationem, quam Dominum, sequutos fuisse, id quidem non magna disputatione opus habet. Nam quum totius disciplinae instituendae ratio diversa fuerit, facilis erit de rebus singulis divinatio. Quamquam nonnulli solent ita disputare, quasi aut nullum discrimen reperiatur, aut in ipso rerum delectu observando nulla sit temporum hominumve ratio habenda. Sed de opinione proclive est iudicare. Quodsi enim Apostoli nullam certam rationem sequuti fuissent, sed obstinato consilio eadem omnibus tradidissent, facile eos incusaremus, quod, nullo rerum delectu servato, temere disciplinam instituissent. Sed quum vel popularium vel gentilium ingenia accuratissime nossent, et cuiusque moribus prudenter uterentur, ab eorum autem, qui suum ingenium sequi, quam aliis prudenter cedere malunt, superbia alienissimi essent, sine Apostolorum iniuria ferri non potest illa opinio. Apostoli nimirum eas potissimum res elegerunt, quae iis maxime, ad quos scriberent, necessariae essent, aut illis temporibus insignem utilitatem habere viderentur. Sic, ut exemplis nonnullis in re perspicua utamur, postquam ex Iudaeis et paganis coaluisset ecclesia, Christianos constat in duas quasi partes divisos fuisse. Una legis mosaicae studiosa, reliquos, quippe peregrinos et adventitios, spernebat alteramque partem, quae e gentilibus constabat, irritabat ita, ut haec legis mosaicae iugum pati mallet, quam illorum iniurias perferre. (Act. XV, Coloss. II. inprimis a v. 14.) Apostoli igitur nihil solemnius habuerunt, quam ut vel illorum superbiam deprimerent, vel horum animos confirmarent. Et quum iis, qui ab iuventute sacrificiis interfuissent,

cultus Leviticus ita placeret, ut neque Messias ipsis placere, nisi sacerdos, posset, neque spem salutis sine piaculo facile concepturi fuissent; Paulus (sive quis alius scripsit epistolam ad Hebraeos, habuit is vero ingenium Pauli facile, versutum et *πολύτροπον*) hanc ipsam de Christo sacerdote doctrinam proposuit, ne daretur amplius obtrectationi locus. Neque vero potuissent eligere doctrinam ad illorum hominum opiniones minuendas efficaciorem, quamquam, si nostra aetate vixissent, eam nostris hominibus, *οὐκ ἐν περιτομῇ οὖσι*, sic tradituros fuisse vix credibile est. Eadem de causa Paulus tam saepe et strenue adversus *ἔργα* disputationem instituit solamque *πίστιν* commendavit. Nam huc semper recurrit et, quavis occasione data, quasi impetu fertur eius oratio. Notissimae vero sunt prudentissimi magistri disputationes, quibus salutem, per Christum partam oblatamque hominibus, non *ἔργοις νόμου*, sed sola *πίστει* contingere demonstravit. Quid vero? an non idem Paulus virtutem vitaeque sanctitatem commendavit et honestatis studio, beneficentia, castitate, probitate, iustitia, fide, caritate et omnis virtutis laude deo nos gratos et acceptos reddi, gravissime docuit? Nonne Pauli verba sunt, in eadem ad Romanos epistola, in qua inprimis disputavit contra *τὰ ἔργα τοῦ νόμου καὶ τὴν ἐν τῷ νόμῳ καύχησιν*, dicentis: *θεὸς ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ*? cf. 1 Cor. XIII, 2. 13. Scilicet repugnat sibi ipse Paulus, contradicit et contraria docet. Quasi vero illi, ad quos ista scripsit, non intellexissent, quid sibi eius verba voluissent et adversus quae *ἔργα* disputasset. Quod utinam non essent obliti hi, qui bona opera ad salutem non necessaria, quin perniciosa dicere fas habuerunt. Sed ne illis quidem temporibus eius institutio malis interpretibus caruit; ita enim comparatus est animus humanus, ut facile in contraria ruat probetque dissimillima his, quae modo antea defenderit. Quare Iacobus necessarium duxit, his ipsis Christianis, quibus Paulus meram *πίστιν* commendasset, *ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ*, graviter scribere de assensu inerti omnique vi et fructu carente, et quasi contrariam collegae et *συνδούλῳ* sententiam haberet, dicere: *ὁρᾶτε τοίνυν ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος, καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον*. Enimvero omnes Apostoli eundem spiritum acceperant. Porro gravissima de resurrectione Christi doctrina ab Apostolis inprimis tractabatur propter tempora illa et homines, vix laturos servatorem ge-

neris humani, gravissimo supplicio affectum. Quamquam enim illam rem ita gravem esse arbitramur, ut a nullo Christiano negari queat, imo lubenter concedimus, quod Paulus, de communi mortuorum resurrectione disputaturus, dixit 1 Cor. XV, 17. tamen, quod eam in initio institutionis tradiderunt eamque quasi indicem universi evangelii posuerunt, (cf. Act. IV, 10.) eius rei nullam aliam causam habuerunt, quam illorum temporum necessitatem. Denique quando loquuntur de consilio et fructu mortis Christi, eam vel dicendi ubertatem vel rerum varietatem produnt, quae satis ostendat, quam prudenter rerum tradendarum delectum observaverint. Praeterea enim, quod Christus ne potuisset quidem eodem modo de morte sua loqui, uti supra diximus, Apostoli, non cedentes tempori, sed ei summa solertia imperantes, nonnulla de eadem re docuerunt, vera quidem, sed illis tamen maxime hominibus necessaria, veluti morte Christi pacem inter gentes esse restitutam, legem Mosaicam abrogatam, inprimis finem factum esse expiationibus et modis luendi peccata; (Eph. II, 16 ss. Rom. III, 29. 30. Phil. III, 3. Gal. 10 s. Rom. VII, 4. Eph. II, 14. 15. Col. II, 14. 15. Gal. IV, 3. Ebr. IX, 22.) quae omnia dubitare licet, an recte fecerint, qui ad communem doctrinam transtulerunt. Sed pluribus exemplis haec res non opus habet. Atque sic lubenter concedimus, Apostolos multa nova tradidisse, multaque nova ratione proposuisse, atque universam doctrinam auxisse et amplificasse, quamquam nihil non ex consilio Christi fecerunt eique, si summam doctrinae spectemus, nullo pacto repugnarunt. Enimvero alia tempora aliam disciplinam desiderant, alii aliis rebus imbuendi, corrigendi, emendandi sunt, aliis alia medicina propinanda est. Sed de omnibus idem consilium propositum esto, ut doctrinae divinae saluberrima medicina sanentur ab eo, qui morbos ipse nostros pertulit et discipulos μετάνοιαν docere iussit et ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

Sed superest, ut de oratione Christi et Apostolorum diversa dicamus et primum quidem de inventione, deinde de eloqutione. Sed inventio duabus rebus cernitur, delectu argumentorum, et rerum, de quibus dicere velimus, describendarum et explicandarum ratione; inventionis enim est proprie, quid et quomodo de re, quae oratione aut explicanda aut commendanda est, dicendum sit, circumspicere. Hoc igitur loco de vario res singulas oratione explicandi modo quaeritur, quo inveniendo inventio con-

stat. Inventio enim magnam in rebus omnibus circumspiciendi facilitatem et solertiam desiderat; nam illud quidem facilius nonnunquam intelligitur, de quo dicendum sit, sed qua ratione, quibus argumentis, quove modo oratio institui debeat, hoc vero difficillimum saepe est, quum non idem orationis genus omnes ferant homines, sed de iisdem rebus alii alia ratione edocendi sint. Habet itaque inventio hoc maxime, ut res, de quibus dicendum fuerit, ea potissimum ratione explicentur, quae ad captum, opiniones, mores et ingenia audientium sit accommodata; ita ut quodcunque doctrinae, quam tradamus, caput ab ea parte tractetur, quae aut commendationem maximam aut levissimam offensionem habeat, argumenta autem adhibeantur eiusmodi, quae ad edocendos, commovendos et confirmandos audientium animos maxime idonea fuerint. Hanc vero docendi rationem, *quae, ut* consilium institutionis et vera discentium utilitas desiderat, ad eorum mores, ingenia, imbecillitatem quoque et vitia diligenter respicit, accommodationem dicere solent, quam non dubitamus, ad inventionem solam revocare, id est, vel ad modum res singulas tractandi et explicandi, vel delectum argumentorum, quae hanc ob causam argumenta *κατ' ἄνθρωπον* dicuntur. Atque sic etiam veteres theologi et sacrarum literarum optimi interpretes de accommodatione existimasse reperiuntur; sed nostra aetate paulo latius imperare coepit illa opinio. Sed quoniam ad disciplinam tantum, nostra quidem sententia, accommodatio pertinet, hic locus, quem tractamus, desiderat, ut priusquam de inventionis discrimine dicamus, ante omnia de accommodatione nostram mentem explicemus, praesertim quod multi, qui ad doctrinam ipsam referre accommodationem solent, opinionis suae argumenta e dissensu, quem dicunt, Christi et Apostolorum et diversa res singulas tradendi ratione petere solent, unde colligunt, doctrinae capita, varie a Christo et Apostolis tradita, ex illorum ratione temporum orta esse, sed ad ipsam doctrinam prorsus non pertinere. Est igitur accommodatio eius, qui eo docendi modo utitur, quo ad consilium propositum opus est propter audientes, seu qui utitur ratione docendi commoda discentibus, ut quod ille dixerit recte intelligant et lubenter suscipiant: accommodatio enim e consilio docentis cum ratione eorum, qui instituuntur, diligenter comparato, oritur. Nam quum hoc propositum docenti sit, ut instituat aut corrigat et ad id, quod rectum et honestum vi-

deatur, excitet alios, circumspiciendum est, quae sint auditorum ingenia, mores, opiniones, ut oratio, ad illa prudenter composita et temperata, commoda illis sit et vero illorum commodo inserviat. Quare, qui de accommodatione cogitant, hi ante omnia monendi sunt, ne eam in eo orationis modo quaerant, quo placeant et favorem captent auditorum. In quo quum multos peccare videamus, qui alios instituunt, tum errarunt etiam haud pauci, qui de Christi et Apostolorum accommodatione disputarunt; quos mirari satis non possumus, semper fere eam prudentiam laudare, quae, dum placere aliis cupiat, eorum opinionibus et erroribus quoque indulgeat, assensionem simulet, dissimulet dissensionem, celet, reticeat atque non multum differat ab adulatione. Enimvero magna quidem magistri prudentia in eo quoque cernitur, ut placere discipulis possit, ut eos varie alliciat, excitet et ad suscipiendam doctrinam promtos reddat; saepe etiam, ne exacerbentur aut offendantur, omni arte cavendum est. Sed non haec una accommodatio est, sed species tantum accommodationis. Nam quum hoc propositum esse doctori debeat, ut veri cognitione et honesti amore discentium animos imbuat; neque enim is placere vult aliis, nisi ut verum et honestum iis placeat; saepissime necesse est, ea oratione uti, quae, etsi illis ab initio non placeat neque habeat multum commendationis apud homines rudes, tamen ad eorum errores exstirpandos et vitia inveterata expellenda idonea sit; saepe enim vel invitis acerba medicina praebenda est. Quare in eo quoque accommodatio prudens cernitur, ut, si severiorem disciplinam et castigationem ingenia desiderent, graviori, acerbiori et vehementiori quoque orationis genere utamur; quemadmodum, qui pueros instituunt, mollia ingenia leniter tractant, timidis animum addunt, diffidentes rebus suis erigunt, duriora autem ingenia gravius corrigant, superbientes deprimant, et quae miti exhortatione non possint, acerbiori oratione vitia arguant. Atque profecto Christus et Apostoli, dubitari potest, an illo, quod nonnulli unice laudant, accommodationis genere saepius usi fuerint, quam hac institutionis severitate, quae, a vanae assensionis captatione aliena, in tempore offensionem audientium non curaret, quando haec severius docendi et corrigendi ratio commoda et ad consilium efficiendum necessaria videretur. Sane possemus multis, si opus esset, exemplis id demonstrare, et, quam sapienter in utroque accommodationis genere versati

fuerint viri divini, intelligeretur; certe qui callidae adulationis tantum laude prudentis magistri solertiam aestumant, eam latius patere ut animadverterent. Sed quamquam non negamus, Christum et Apostolos illa, quam descripsimus, docendi ratione usos fuisse, seu, quod dicunt, ad auditorum ingenia, mores et opiniones prudenter orationem accommodasse, existimamus tamen, illam accommodationem non ad ipsam divinam doctrinam pertinuisse, quasi vel ut placerent auditoribus vel ut efficere, quod vellent, apud eos possent, quae divina non essent, pro divinis docuissent, et falsa quoque pro veris tradidissent: sed eam tantum in ratione tractandi capita divinae doctrinae et in argumentorum delectu cerni arbitramur. Quod, quibus causis ducti affirmemus, breviter exponamus. Omnino enim, ut sine ambagibus dicamus, si ea accommodatio dicenda esset, quae placet nonnullis, verendum foret, ne fraudis impiae et simulationis crimine divinae ἀληθείας magistri obruerentur et summa, quae divino magistro fidem facere potest, veracitatis laude privandi essent, ipsa vero doctrina divina plane incerta redderetur et variis hominum consiliis et arbitrio vano concedenda esset. Primum enim, quae vera non sint, tradere propterea, quod aliis vera videantur, aeterna religionis decreta cum opinionibus humanis commiscere, aliorumque erroribus ita indulgere, nos ut eos probare simulemus, ea vero non prudentia est, sed callida fraus et turpissima simulatio, quam nos quidem a quovis viro honesto, sed a divino maxime magistro omni modo arcendum existimamus. Ab hac vero pessima arte hominum duplicium verborumque signis fallacibus ad alios decipiendos callide utentium, longissime Christus et Apostoli abfuerunt; sed quum ab omni gloriae cupiditate, quae mater esse simulationis solet, alienissimi essent, hominum invidiam, odia et malignitatem prorsus non curarunt, huiusque integritatis praemia iniurias, contumelias, persequutiones et crudelissima supplicia habuerunt. Fuerunt quidem omni tempore haud pauci, qui eiusmodi callidam accommodationem communis utilitatis consilio defenderent, quasi liceret omnia simulare, dissimulare, fingere, tacere in tempore, modo id ne fieret utilitatis propria causa, sed propter aliorum commodum et ob veri docendi necessitatem. Sed hanc excusationem non dubitamus re ipsa, cuius causa affertur, longe turpiorem dicere. Nam, quum fraude neque turpius quidquam sit, nec detestabilius, adeo ut

mendacium vi extortum dici recte nullo pacto possit, tum vero haec turpissima ratio est, in divina doctrina tradenda fraudem committere ad eamque commendandam uti mendaciis; nescimus vero, si viri divini eum accommodationis modum tenuissent, quem nonnulli existimant, qua ratione a fraudis et mendaciorum crimine defendendi forent. Etenim, ut exemplo utamur, quum non fuerit aliquis legatus divinus, tamen profiteri se a Deo missum doctrinamque, humano ingenio excogitatam, pro divina venditare, alios, fidem non habentes, acerbissime vituperare, apud incredulos et longe alia sperantes falsis argumentis sese iactare et obstinatos obtrectatores tamquam scelestissimos homines tractare (v. c. Matth. XII, 31.) ea vero, nisi stultissimi hominis accommodatio sit, certe turpissimae fraudis et inhonesti mendacii simillima vanitas est. Quamquam scite a nonnullis, sed turpissime dicitur, quod inhonestum sit, si propriae utilitatis causa committatur, id turpitudinem amittere, si quid inde apud alios proveniat boni. Neque enim, quod inhonestum et turpe est, ob consilium potest minus inhonestum et turpe videri; neque fraudem sibi licere vir bonus existimabit, ut boni quidquam efficiat. Nam fraudem non esse committendam ac turpe et indignum homine libero mendacium esse, illud quidem certum est hominibus; sed quid boni oriatur, et qua ratione oriri queat, incertum est; nam actionum nostrarum, qui regit, eventum solus etiam novit Deus; neque existimare fas est, divinam providentiam ad consilia sua fraude et mendaciis hominum indigere. Sed hoc quidem optimus quisque concedet, talibus sordibus castissimos doctoris divini mores nullo modo contaminandos esse. Illud denique certum est, si ea accommodatione viri divini usi fuissent, ut capita ipsa religionis vera simulaverint, et quae falsa essent, docuerint, vera autem dissimulaverint, ipsam divinae doctrinae institutionem ambiguam futuram fuisse, incertam et arbitrio humano prorsus relinquendam. Nam ubi semel modum illum aliquis excesserit, nullum finem prius inveniet, quam propriam indolem universa doctrina amiserit. Enimvero distinguenda est doctrina ipsa a disciplina et modo tradendi. Atque in hac quidem disciplinae parte, quae ab inventione pendet, dum eam tractandi singula rationem eligimus, quae sit commoda discentibus, Apostolos inprimis ad popularium ingenium sese accom-

modasse, non negamus, sed hanc ipsam ob causam eorum disciplinam a magistri divini institutione multis modis diversam fuisse existimamus. Verum haec res non unam difficultatem habet et magnam cautionem desiderat. Primum enim difficillimum est, definire, quibusnam rebus effecta fuerit illa disciplinae diversitas quantamque res singulae vim habuerint in ratione capita singula proponendi mutanda et in constituendo modo tradendi. Varia enim ac valde diversa fuerunt, quorum Apostoli rationem habere debuerunt, sed quae nobis aut plane incognita sunt, aut difficillime reperiri et definiri possunt. Quis enim omnia tam accurate queat distinguere, ut quid singula effecerint, dicat et, quatenus ad singula Apostoli respexerint, demonstret? Saepissime enim rebus minimis afficitur animus, quas tunc quidem a prudenti doctore animadverti facile erat, sed difficillimum est indagari ab eo, qui ab eiusmodi rebus et opinionibus alienus fuerit. Quare in explicandis rebus, ad quas Apostoli respexerunt, multa cautione opus est, ne vanis umbris et simulacris decipiamur, quod accidisse videtur his, qui verbis singulis commoti, aut suo ingenio freti, totum quasi scriptorum sacrorum animum se penetrasse existimarunt; aut, quod unum alterumve verbum reperissent, a quibusdam hominibus usurpatum, ad hos potissimum scriptorem sacrum respexisse arbitrati sunt. Neque minus difficile est, res ipsas a modo tractandi, tamquam materiam a forma, semper recte distinguere. Hoc enim loco vel propter rerum similitudinem facilis error est, vel propter dissimilitudinem temporum et opinionum. Nam interdum ambiguum est, utrum ad religionem haec vel illa res pertineat, an orta fuerit ex disciplina et modo tradendi; interdum etiam cum forma res ipsa ita cohaeret, ut utraque vix queat discerni. Et augetur haec difficultas etiam oratione, qua scriptores sacri usi sunt, populari et omnis artis et disciplinae experte. Hinc saepe factum est, ut res diversissimae copularentur, quas vero accurate secernere oportet eum, qui velit de doctrina Christi recte iudicare. Itaque dum Christi et Apostolorum disciplinam comparamus, si quo loco animadverterimus, capita quaedam alio modo tractari et exponi in libris Apostolorum atque tractata et exposita reperiantur in orationibus Domini, ne, diversa specie decepti, ipsam doctrinam diversam putemus, sedulo circumspiciendum est, quatenus cum summo Christi consilio cohaereant. Ab hoc enim omne pendet de summa doctrinae iudi-

cium, inprimis quum de accommodatione est disputatio. Etenim nisi eam ab ipsa doctrinae summa arceamus, omnis doctrina ambigua et incerta sit, necesse est. Illud igitur summum et maxime necessarium est, ut de summo doctrinae a Christo traditae consilio constet, quo et forma et materia recte distingui queat et habeamus regulam, ad quam examinemus capita singula, a Christo et Apostolis varie tradita et explicata. Quo facto illud quoque utile erit videre, quomodo inter se cohaereant sintque propinqua his, quae evidenter et perspicue traduntur a Christo et Apostolis, quam ἀναλογίαν τῆς πίστεως solent non satis recte appellare. Denique quum religionis cuiuscunque et inprimis Christianae sit hoc, ut mores emendet, vitia exstirpet, honesti studium alat mentemque, a rerum terrestrium cupidine metuque liberatam, ad rerum coelestium et aeternarum spem et cogitationem evehat, intelligitur, in disciplina Christi et Apostolorum, si qua in rebus tractandis diversitas reperiatur, ita ut incertum sit, quid ad doctrinam ipsam, quidve ad disciplinam et παιδείας τρόπον referri debeat, videndum esse, qua ratione caput doctrinae, de quo ambigitur, illi religionis communi consilio magis conveniat, ut temporanea ab aeternis et immutabilibus doctrinae divinae decretis recte distinguantur, atque existat corpus doctrinae divinae sanum et integrum, non autem artis humanae inventum et institutum. Quamquam et hac in re cavendum est ne modum excedamus, quod a nonnullis factum videtur. Sed redeamus ad propositum. Etenim disciplinam Christi et Apostolorum diversam fuisse modo tractandi singula et delectu argumentorum, quamquam ipsa librorum sacrorum lectio satis luculenter ostendit, tamen hoc loco accuratius de illo discrimine disputandum est, quando non una est illius causa et ratio. Et primum quidem de modo tractandi singula; is enim varie spectari solet. Nam quum quaecunque res tradatur aliis eo consilio, ut eam intelligant, illud quidem certum est, eam tradendam esse sic, ut vera ipsius indoles ferat, nisi habueris certum genus hominum, quod non rem ipsam, sed rei formam tantum capiat. In singulis enim hominibus ab ingenio, moribus et opinionibus rerum intelligentia pendet; multum etiam valet educatio et, si quis fuerit, genius popularis et genti proprius. Itaque duplex est cuiuscunque rei tractandae modus, vel communis et necessarius, vel temporaneus et singularis. Communis est, qui ex ipsa rei natura et indole ortus est, tempora-

neus et singularis, quem apud homines quosdam provida et lers magistri prudentia elegit. Sed huius innumerabiles formae ac species locum habent, quando diversissima est discentium. Illud vero certissimum est, Apostolos non rium tractandi modum adhibuisse apud homines varios, sed sum quoque ab eo, quo Christus usus fuerat. Et illud quamquam hic locus non desiderat, ut doceamus, utamur aliquo exemplo gravi et luculento; recte enim Seneca dicit: quam satis dicitur, quod nunquam satis discitur. Paulus Athenis commoraretur et causam suam diceret in Areopago, quam perhumaniter Atheniensium superstitionem perstrinxerat, tum iis dei institutum per Christum declaravit. Tum vero Messiae, neque sacerdotis, neque victimae et sacrificii mentionem fecit, sed simpliciter narravit, Deum iam omnibus imperare, resipiscant, ideoque diem iudicii de hominibus constituisse, bendi per virum quendam, cui fidem fecisset, dum a morte revocasset. Scilicet vidit vir acutus, quid ferrent ingenia Atheniensium, eumque modum tradendi elegit, qui neque illis prorsus displiceret, et a criminationibus philosophorum ipsum defenderet. Sed hic modus tractandi uti diversus fuit a consuetudine loquendi, qua Paulus apud Iudaeos utebatur, ita etiam universa ratio tradendi singula, quam Apostoli tenuerunt, a magistri divini disciplina multis locis valde differt. Cuius discriminis causas necessarias fuisse in hominibus et temporibus diversis, ex iis, quae supra dicta sunt, intelligitur; sed quando quaeritur de hoc ipso discrimine, ut ipsa comparari doctrina queat, facilius errari potest, nam non unam ea res, ut modo diximus, cautionem desiderat. In epistola ad Hebraeos de praestantia personae et muneris Christi disertissime verba faciens, auctor ita loquutus et, uti hominum, ad quos scriberet, consentaneum opinionibus esset, quamquam Christus ipse nunquam eadem loquendi ratione usus est, sed simpliciter dixit, se vitam suam depositurum pro salute humana et sanguinem effusurum esse ad veniam peccatorum. Atque omnino totum epistolae argumentum illis magis accommodatum est hominibus, quam Christianis nostris, apud quos nullam sacerdos summus auctoritatem habet. Sed illi, nisi certum habuissent, Christum omnibus sacerdotis summi officiis satisfecisse, de beneficio divino, quod morte Iesu contigit mortalibus omnibus, nunquam sibi persuaderi passi fuissent. Atque ab hac

notione tota illius loci tractandi ratio pendet, uti iam plures ervarunt. Similem eiusdem loci tractandi rationem Paulus in tolis tenuit multaque tam artificiose disputavit, ut, nisi for- a doctrinae ab ipsa doctrina distinguamus, novam plane rem mente Christi alienam tradidisse videatur. Sed quoniam ar- entorum maxime delectu modus docendi mutatur, hic quoque breviter explicandus est. Quamquam enim et Christus et toli eadem quoque earundem rerum argumenta usurparunt, ri tamen non potest, Apostolos saepissime aliis argumentis esse, quam quae a Christo adhibita esse leguntur. Sed in rei iudicio ferendo proclive est errare, quando argumenta quibus Apostoli usi sunt, non per se vera omnia, sed tem- ea tantum et κατ' ἄνθρωπον dicta existimamus. Sunt enim quidem eius generis, imprimis quum Paulus exemplis utitur comparationibus, aut ex concessis, quod dicunt, cum Iudaeis putat; sed multa quoque reperiuntur necessaria et in se veris- sima, a quibus Christus ipse abstinuit; multa etiam Christus egit docuitque, quibus non uti Apostolis licebat. Christus, ut hoc exemplo utamur, ut, se divinitus missum esse popularibus proba- ret, factis quidem plane divinis, nonnunquam etiam testimoniis sacris, usus est; sed magis apparuit divina eius auctoritas summa et constanti conscientia, super omnes res humanas, criminationes, opiniones elata, qua fretus plures, credo, asseclas nactus est, quam miraculis et argumentis, quibus nulla apud plebem incredu- lam fides fuit (Ioh. V. 39 — 41.). Digna haec res est, quae ab omnibus observetur, inprimis quum historica argumenta hodie apud paucos inveniant fidem. Nam quod Paulus de Domino di- cit, (Phil. II, 6.) eum non cupidius sibi arrogasse τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, id ipse, dum de se loquebatur, luculentissime demonstra- it. Is enim sua maxime conscientia sustentatus, non studiosius onquisivit omnia, quibus fidem facere sibi solent hi, qui causae uae non satis confidunt, sed iudicio aliorum, tempori et verita- is ipsius virtuti commisit, ut, quod ipse ingenue dixisset, omnes, ποιήσαντες τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντος αὐτόν, intelligerent; deoque satis habuit, factis dictisque qualis quantusve esset, quasi xemplo demonstrasse; viderunt enim omnes τὴν δόξαν αὐτοῦ, όξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός; sed quamquam fortiter et onstanter illud fecit, tamen ea vel modestia vel tranquillitate nimi et serenitate usus est, quae divinum magistrum, divini nu-

minis et mandati sibi conscium, luculentissime ostenderet. S
Apostoli diligentius conquirere debebant omnia, quae his, q
non ab ore Dominum nossent, fidem facerent, atque multis n
vis argumentis usi sunt, quibus ille ne uti quidem potuisset. E
ciderunt enim postea res ac tempora, quae, Christum τὸν ἐρχ
μενον fuisse, plane ostenderent, veluti mors Christi, resurrec
et in coelos ascensio, quibus ipse Dominus, dum viveret, v
fidem invenisset, quippe futuris et incertis apud homines incred
los et σκληροὺς τῇ καρδίᾳ. Has igitur novorum argumentoru
causas Apostoli necessarias habuerunt. Sed ipsi etiam alia i
rebus aliis demonstrandis argumenta elegerunt, inprimis accom
modata his, quos docerent: qua in re Pauli inprimis felix et s
lers ingenium admiramur. Is, ut hoc quoque loco uno sed lu
culento exemplo defungamur, quum vellet Christianis ostend
legem Mosaicam esse sublatam, multa quidem protulit veris
sed nihil apud homines illos efficacius, quam quod de sacrifi
perpetuo a Christo, sacerdote summo, oblato, disputavit in Epi
stola ad Hebraeos et in ipsa quoque ad Romanos epistola, cu
maxima pars hoc ipso consilio occupatur. Quis enim hodie,
sacrificiis non opus esse ostendat, eodem genere argumento
utatur, inprimis quum Christus ipse cultus Levitici, i. e. exter
vanitatem longe alia ratione demonstraverit? Quid vero? An i
se victimam dixit, an mortem abrogatae legis ceremonialis ca
sam esse docuit? (Ioh. IV, 21. 23. 24.) Scilicet ita licebat ill
κατ' ἄνθρωπον i. e. κατὰ 'Ιουδαίους disputare. Sed haec qui
dem in tanta luce non multis verbis indigent; itaque ad ulti
mum perveniamus, in quo disciplinae discrimen animadverti

Restat enim, ut de eloquutione dicamus, quando et ha
pro hominum temporumque varietate diversa est. Constat aute
eloquutio, seu idoneorum verborum ad inventionem accommoda
tio, non singulis tantum verbis, sed universo quoque genere di
cendi, seu universae orationis quasi structura et habitu; qua
de utroque deinceps dicemus. Atque universae orationis quide
genus varium est pro causarum diversitate, quas quomodo di
stinguant rhetores, satis constat. Sed in hac disputatione, q
niam non magnam vim habet illa divisio, eam omittamus;
partim in demonstrando, partim in suadendo vel dissuadendo,
nunquam etiam in accusando Apostolorum oratio occupatur. Illu
tem maxime observandum est, universae orationis habitum vald

rsum esse, quum aut viva voce praesentes, aut per literas absentes ceamus. Sed illa iterum duplex oratio est, aut continua, ore et divisione partium artificiose composita, aut aliorum sernibus interrupta et familiaris; utraque vero diversum dicendi nus diversamque sermonis rationem et eloquutionem desiderat. que dicendi genus universum, quo Christus usus est, valde ersum fuerit necesse est ab eo, quo Apostoli usi sunt, quum istus quidem viva voce docuerit praesentes, sed Apostoli per ras; nam orationes ab ipsis habitae paucissimae supersunt. e res maioris momenti est, quam vulgo existimant. Valde a absentis et praesentis differt oratio, aliter apud praesentes, r ad absentes loquimur. Nam si praesentes instituimus, praeiam tantum cogitatione rerum tenemur et ea tantum tradimus, a tunc quidem necessaria esse arbitramur. Sed quum scribi, non plura solum cogitatione amplectimur, sed multa etiam ibimus, quae utilia putamus, ut in posterum saepius et a mula legantur. Interdum etiam inter scribendum multa nobis sucrunt, quae a consilio ad alia omnia paulisper avocant animum. invero Christus viva voce docuit homines praesentes eosque miliares, aut quorum ingenia et consilia perspectissima habe; unde sponte intelligitur, eius orationem diversam fuisse ab , quo Apostoli dicendi genere usi sunt. Hi enim scripserunt l homines varii generis, quorum paucissimos de facie nossent, saepenumero eo consilio, ut ad plures ecclesias perferrentur istolae. Hinc factum est, ut dicendi genus Apostolorum esset alo liberius, ad plurima sese diffundens et variis sententiis diiectum, quippe ad homines absentes et diversi ingenii. Quod am diligenter observandum sit, quum in omni doctrina Apostoum diiudicanda, tum in singulis locis recte explicandis, facile telligitur. Neque vero levis causa discriminis fuit, quod Apolorum continua oratio esset, saepe ad artis quasdam leges odammodo composita variisque argumentis et vinculis orationis ificiose cohaerens; Christi autem sermones, quales nunc quia in commentariis de vita eius leguntur, populares fuere, saee interrupti, et, etiamsi non ex antiquioribus nescio quibus angeliis, dudum deperditis, consarcinati, tamen non omnes inri, sed per partes tantum literis consignati. In quo negotio adiuti fuerunt et instructi divinitus amici Domini, non sina tamen verba referre opus erat, sed sufficiebat, eos doctri-

nam divinam vere, i. e. ex divini magistri sententia, pos memoriae sine vitio tradidisse. Itaque mirandum non est orationis in sermonibus Christi haud parum discrepare quod in scriptis Apostolorum reperitur.

In verbis singulis denique diversitatem aliquam fui ipsa oratio docet, et res ipsa postulabat. Nam etsi et et Apostolorum sermo popularis fuit, Apostoli tamen, ne coacti, multis verbis ac formulis, aut novis, aut novo sensu usi sunt. Atqui verborum variorum et ab homini doctis usurpatorum diversitate ipsam rerum formam atque sae institutionis rationem mutari, non est quod multis ve ceamus. Nam quum scribit aliquis indoctus, longe alia oratio, quam si praesens dicit; vulgaris enim orationi dum ille scribit, varia mutatur et, licet in colloquio sufficiat meditatione aut animi quadam contentione alium quasi trahit, inprimis quum de rebus gravibus novisque scriben Vulgaris enim sermo quum ad res, a communi usu vitae res, subtiliores et quasi spirituales exprimendas non satis sit, saepissime fieri solet, ut quamvis loquentis ingenium citatione quadam subactum, facilius sese expediat, tamen scribat, varie vel linguae vinculis, vel verborum egestat diatur et, dum de rebus perspicue exprimendis unice cogi verborum delectu et usu a subtiliorum scriptorum consu et oratione longissime deflectat; praesertim quum res, qu bendo explicat, fuerint eiusmodi, quas vulgus hominum s quasi imaginibus conceptas, non autem universis notionibu prehensas animo tenere solet, cuiusmodi plurima esse c quae ad religionem spectant et res divinas. Quod inpri Apostolorum scriptis observandum est, qui non eo dicendi usi sunt, cui ex multa lectione et exercitatione quaedam tia, circumscriptio et constantia propria est, sed sermon communis, vario, incerto, non satis finito et inconstanti, modi esse solet hominum illiteratorum oratio, aut qui siv tia sive superba quadam temeritate stylum exercere negle Itaque qui Apostolorum verba recte intelligere et explica luerint, hos ea, quae vitae communis sermoni propria esse penitus nosse oportet; quae res uberiorem disputationem des neque huius loci est, ut explicetur. Illud vero certum est bentium Apostolorum orationem ab oratione Domini, prae

a voce docentis, vel hanc ob causam haud parum discrepare. l fuerunt etiam aliae causae, quae dicendi genus Apostolorum tarent. Nam quum res novas traderent, quibus exprimendis [ue vulgaris satis sufficeret oratio, neque adsueta esset lingua ıeca, necesse erat, ut verbis formulisque usitatis novas signiıtiones tribuerent; rerum enim novitas antiquam sermonis naam et verborum vim ac potestatem varie solet mutare. Quod ltis exemplis demonstrari posset, si exemplorum copiam res ipsa iderarct. Certe vocabulis πίστις, πιστεύειν, δίκαιος, δικαιϑαι, δικαιοσύνη, πνεῦμα, χάρις, σάρξ, aliisque, vario imo ersissimo modo Paulus usus est, quoniam lingua graeca ad novas, de quibus disputaret, verbis singulis et propriis exıendas non sufficiebat. Quot enim res, antea plane et Iudaeis gentilibus incognitas, quot notiones, quas nemo ante mente cepisset, exprimere Apostoli debuerunt! Enimvero nova verba ıre ob orationem popularem ne licuisset quidem, si vel maxipotuissent; ergo usitatis verbis, quibus possent, sed sensu ıe novo et vario, usi sunt. In quibus multa occurrunt, quiipse Dominus aut plane abstinuit, aut sensu alio usus est. unt denique qui alios instituunt, quantam vim ad usum verboı mutandum aut ingenia discentium habeant, aut rerum tradarum natura et indoles. Nam dum ad aliorum captum nos ommodamus, verba eligimus intellectu faciliora, popularia, ›ica, resque ipsas et cogitatione et ore volvimus, prout ab ı possint facillime intelligi, inprimis tunc, quum res tradendae t, vel difficiles propter novitatem, vel quae offensionis aliquid eant propter opiniones discentium. Eas quamquam non curat ;nopere is, qui scholam certam non habet, quod de Domino stat, tamen singulari studio eum circumspicere oportet, qui um genus hominum instituere cupiat, ut in verborum singum delectu ad eorum ingenia se componat atque accommodet. ıe quum ita sint, discrimen disciplinae Christi et Apostolorum, ›us causis ortum fuerit et quibus rebus cernatur, satis intelligi ıe arbitramur. Restat, ut de eius observandi ratione et modo mus, quod proxime agemus.

Commentatio Secunda.

Quum multa sint, quorum oblivione magnam iacturam fecit h
aetate disciplina ecclesiae nostrae theologica, tum illud maxi
a quo fere initium cepit religionis in ecclesia emendatio, unive
sam doctrinam divinam et omnia ac singula eius capita ex con
lio Domini et vera scripturae sacrae sententia constituenda, e
plicanda et tradenda esse. Nam quamquam non vitio quodam
naturae necessitate ita comparatus est animus humanus, ut
rebus iis, quas vel suo studio acquisiverit, vel alieno acce
beneficio, rarissime diu acquiescat, neque subsistere eodem
per longum tempus possit, sed ad altiora semper adspiret, q
rat meliora atque in veri inveniendi studio nunquam finem re
riat, saepe tamen mirari subit, qua tandem ratione fieri sol
ut ad vetusta vitia recurrant hominum studia et sequantur erro
magna olim contentione reprehensos, adeo ut non progressi,
regressi nonnunquam, certe, quod perinde est, substitisse vide
tur. Quod quum nostrae quoque ecclesiae Theologis olim ac
disse videatur, ut lubeat quaerere cum Apostolo: ἐτρέχετε κα
λῶς, τίς ὑμᾶς ἀνέκοψε τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι; haec poti
simum causa fuit, quod multis magnisque disputationibus occ
pati, veram scripturae sacrae sententiam haud raro negligere
atque in rebus divinis solam Domini auctoritatem valere obli
scerentur. Unde factum est, ut vel in constituenda doctrina
in explicandis eius capitibus singulis, vel in illa contra adver
rios defendenda nonnulli parum recte et feliciter versarentur,
multum φυράματος etiam inter nos superesse videretur. Qu
quoniam, nostra quidem opinione, et intelligi melius et a doctri
divina felicius arceri potest, discrimine disciplinae Christi et Ap
stolorum recte observato, de hoc discrimine, e quibus causis
tum fuerit et quibus rebus cernatur, nuper exposuimus. Cui
disputationis constitueramus quidem tertiam partem adiicere
illius discriminis observandi modo et ratione, potissimum ut ei
summa utilitas intelligeretur etiam ab his, qui ab eiusmodi qua
stionibus solent esse alieniores. Sed quum longiorem ea res or

nem desiderare videretur, quam temporis ratio et libelli aca- nici angustiae tulissent, eam singulari libello explicare satius ximus, quam iusto breviori disputatione rem ipsam deserere, aesertim quum praevideremus, eiusmodi argumentum futurum sse, quo accurate et, quantum fieri posset, perspicue exposito, ententiae a nobis in superiori libello propositae ratio optime vel xplicari vel commendari posse videretur. Quare hac scribendi pportunitate oblata discriminis illius recte observandi rationem t modum explicabimus. Est autem, nostra quidem opinione, tri- lex potissimum illius discriminis observandi modus, primum in niversa ratione doctrinam Christianam tradendi, deinde in singu- is eius capitibus explicandis et tractandis, denique in defendenda igione et in refellendis criminationibus adversariorum. De qui- s singulis deinceps dicemus.

In universa autem ratione tradendi doctrinam divinam non nius modi est illius discriminis observatio; sed spectat partim d causas doctrinae constituendas, partim ad singula capita con- ngenda et in artis formam redigenda atque omnino ad compo- ndum systema, quod dicunt, theologicum, partim ad universum odum docendi vel in scholis, vel apud populum Christianum. his omnibus enim illius discriminis observationem maxime uti- m et necessariam esse existimamus; itaque, quo modo obser- ndum sit, ostendemus.

Principio igitur satis constat, in tradenda universa doctrina iristiana ante omnia videndum esse, a quibus causis illa pen- at et quae sint eius capita primaria, ut in scholis dicunt, et ıdamentalia; qua de re et olim valde dissenserunt theologi, et nc dissentiunt quum maxime. Sed hac in re aut nos prorsus limur, aut valde utilis est discriminis, de quo disputavimus, servatio. Quod etsi iam intelligi potest ex his, quae in su- riori disputatione diximus (p. 58. sequ.) tamen paullo accura- s explicabimus. Nempe in hac controversia multi olim in eo asse videntur, quod doctrinam ipsam a disciplina, res ipsas a ma rerum, non satis accurate distinxerunt, sed quae ad disci- nam tantum et modum docendi, quo primi religionis magistri d coaevos usi sunt, pertinerent, ea vero omnia ad ipsam do- inam retulerunt. Ex quo factum est, ut, quae illis quidem nporibus maxime necessaria fuissent, atque hanc ob causam l a Christo vel ab Apostolis in initio institutionis proposita, aut

singulari studio tradita reperirentur, ea etiam primaria et fundamentalia existimaverint. Quod vero dici non potest, quantum detrimentum attulerit disciplinae theologicae, et sciunt omnes harum rerum periti; sed illud ego non dubitanter affirmaverim, universam studii theologici rationem hoc uno quasi corruptam vitio fuisse. Erat vetustum quidem hoc malum, a primis statim seculis ortum, cui, quum neque disputantium post Augustinum studia neque subtilium artes scholasticorum mederi potuissent, mansit Theologia non satis recte constituta usque ad Sec. XVI. Et hoc seculo, quum sacrorum christianorum emendandorum initium fieret, a multis quidem vitiis purgata est doctrina Evangelii, sed universae disciplinae melius constituendae neque tempora tunc satis apta fuerunt, vel ob partium studium, vel ob linguarum et historiae ignorantiam, neque magnorum hominum, qui *primi opus* illud immortale adgressi sunt, consilium suffecit. Hi enim hoc agebant potissimum, ut doctrinam Christianam, innumerabilibus scholasticorum disputationibus laceratam et decretis Pontificum contaminatam, ad veteris ecclesiae formulas et sententiam revocarent. Etsi igitur multos turpissimos errores, inscitia et perversis hominum studiis ortos, postea seculorum inertia ac stupore propagatos, strenue et graviter reprehenderunt, tamen sibi quam maxime caverunt, ne quam novam docendi rationem inducere viderentur: sed hoc unum egisse videri volebant, ut missis recentioribus commentis ad antiquae ecclesiae fidem christiani reducerentur; quod et ipsi in Confessione Augustana testati sunt, et Malanchthon ingenue professus est in Apologia. Ipsam igitur theologiam, seu universam rationem tradendi et explicandi subtiliter doctrinam christianam magna emendatione egere, imo quasi denuo exstruendam esse, aut ipsi non satis intelligebant, aut, quod vero propius est, ob vitiorum ignorationem et inopportunitatem temporum non satis docere poterant. Ipse enim Melanchthon iam dudum in praefatione Locorum Theologicorum declaraverat, sibi consuetam rationem tradendi in scholis doctrinam christianam non ita placere, quin ab ea prorsus recedendum putet: quamquam in Confessione et in Apologia aliud consilium vir prudens sequutus est. Quod non oblivisci oportebat eos, qui haeserunt in formulis, et, quae ob controversias olim agitatas placuit Theologis illius seculi docendi ratio, eam etiam ab iis, qui in scholis docent, non autem disputant cum adversariis, retinen-

dam esse existimarunt. Sed illis temporibus primum quidem Melanchthonis auctoritas omnium, qui libros theologicos componerent, animis imperavit, ut immortalis viri verba, non autem consilium imitati fuerint. Sed postquam Melanchthonis fracta auctoritas erat, et novis formulis constitutis libertas docendi in invidiam cessit, vix incensum theologiae emendandae studium prorsus coepit refrigescere, donec post emendatam imo quasi denuo inventam veram libros sacros interpretandi rationem, antiqua Theologiae forma, scholasticae disciplinae quam doctrinae divinae similior, vix ferri diutius posse videretur. Quod sine invidia apud peritos dici posse arbitror. Quamquam pervulgata olim fuit opinio, Theologiam quoque illis temporibus ita constitutam esse, ut nulla emendatione amplius opus habuerit, sed si quis decreta theologorum tractaret alia ratione, quam in scholis olim obtinuisset, is ipsam doctrinam divinam violasse et vitiasse existimaretur. Itaque quum universam Theologiam superstructam esse viderent causis his, quae, tametsi olim vel ob disciplinam necessariae fuissent, vel utiles πρὸς ἀντίῤῥησιν, tamen neque ipsius divini magistri summo consilio satis accommodatae, neque cum doctrinae ipsius indole convenire viderentur, coeperunt multi accuratius quaerere, a quibus causis universa doctrina penderet, ne incertis formulis componeretur, sed quae aeterna essent et necessaria religionis capita, his maxime, veluti fundamento, superstrueretur. Tum vero orta necdum composita est controversia, qua ratione capita necessaria, quae naturam ipsam (essentiam in scholis dicunt) doctrinae constituerent, discerni possent a temporaneis, quae ad formam tantum disciplinae pertinerent. Est autem gravissima haec disputatio, quoniam sic demum certa ratione constitui doctrina Christiana potest, ut, quae ei necessario insint, neque salva ipsius natura abesse possint, distinguantur ab illis, quae quum primum traderetur Evangelium tanquam variae species disciplinae adhaeserint. Theologia enim aut causas non habet proprias, quod constat nonnullos voluisse, aut his potissimum causis superstruenda est, quae ipsius doctrinae divinae naturam constituunt. Haec autem non ex ea, quam tunc quidem institutio Christi et Apostolorum habuit, forma iudicari potest, sed e summo Christi consilio intelligitur. Nam quae ad hoc universum consilium non necessario pertinent, ea non ad doctrinae naturam, sed ad formam tantum et disciplinam referenda sunt. Quod ne quid

ambiguitatis habeat, brevi oratione efficiemus. Nimirum Christi consilium satis constat non ad illa tantum tempora et homines illos pertinuisse, sed ad omnes omnium temporum homines spectasse. Non populares enim tantum a legis caerimonialis iugo religione patria emendanda et amplificanda, liberare, aut, illis temporibus quae salutaris esset hominumque inertiae succurreret doctrinam tradere voluit; tametsi hi quoque non spernendi institutionis Christi fructus fuerunt; nam qui posteris inservire capiunt, his cavendum est, ne aequales negligant, imo ut his prudenter tradant, quae futuris prosint seculis, maxime videndum est. Christo vero in doctrina divina tradenda hoc consilium fuit, ut omnium gentium et seculorum homines a superstitione, erroribus et vitiis liberati, ducerentur ad verum cognoscendum, ad honestum expetendum omnemque virtutem exercendam, spretaque rerum terrestrium lubidine ad res divinas et immortales aspirarent atque in his denique spem unicam collocarent immortalem, nunquam perituram. Sic enim provehendum ad altiora erat genus humanum, sic ab inscitia errorumque tenebris ad lucem perducendum, sic denique effici debebat, ut superbia, superstitione inertia vanoque numinis divini cultu sublatis, omnes homines sanctiori pietatis et honesti studio incensi communique immortalitatis spe sustentati, per omnia secula crescerent vera sapientia virtute et felicitate, donec, circumacto rerum humanarum circulo, unus omnibus imperaturus esset Deus. (1. Cor. XV. 24—28.) Atque ea profecto est doctrinae christianae indoles, quandum et huius, quae nunc quidem mortales exercet, et futurae post fata vitae rationes complectitur, illi consilio plane divino optime conveniat; quod quum indies magis perspiciendum, illustrandum et felicius perficiendum sit, valde erraret, si quis limitibus, quibus tunc quidem contineri debuit, ingratus constringeret. Illud autem perpetuum Christi consilium in universa doctrina Christiana constituenda spectare necesse est, ne hominum, quibus primum patefacta est, ingenio, opinionibus vitiisque constringatur, sed ad eas causas revocetur, quibus illud immutabile consilium continetur. Quare omissis iis, quae vel temporum olim necessitas imperavit, vel hominum irae, contentiones et studia addiderunt, videndum est, ut tandem ex mente Domini divina doctrina constituatur. Nimirum is demum partes evangelici theologi recte agit, qui, quid verum falsumque sit, e solis

ıtura sacra contestatur, humanam autem auctoritatem et for-
ıs ab hominibus inventas non curat in causa divina, sed ma-
rum virorum virtutes, non vitia imitatur. Non ii sumus
ı doctores evangelici, qui in hominum verba iuremus; neque
n, praeter Christum, magistrum agnoscimus; μὴ γὰρ Παῦ-
ἐσταυρώθη ὑπὲρ ἡμῶν, ἢ εἰς τὸ ὄνομα Παύλου ἐβαπτί-
μεν;· neque aliter Lutherus sensit, cuius magnum animum
norunt, qui, modo verba eius repetant, satis ipsum colere
videntur; neque vero aliam rationem fert ecclesia nostra,
ı hoc ipsum summum, cui superstructa sit, veluti fundamen-
agnoscit, quod solum e sententia et consilio Domini omnia
ında et constituenda sunt. Iam concedimus quidem, valde
guum quibusdam videri posse, quid ad aeternum illud con-
n pertineat, quidve ad formam tantum et disciplinam refe-
um sit; et debet adeo incertum videri his, qui aut incertis
orum formulis temere inhaerent, aut de omnibus aliis rebus
ıs hoc loco, quam de doctrina divina e scripturae sacrae
oritate constituenda cogitare consueverunt; sed existimamus
n, illo de quo disputamus discrimine diligenter observato,
i. negotio illam rem expediri posse. Primum enim, si anim-
rterimus, quibus modis Christi et Apostolorum diversa di-
ina fuerit, intelligemus, universam rationem constituendi do-
am non ex illius disciplinae forma metiendam esse, sed ex
s divinae doctrinae indole et consilio, de quo valde veren-
est, ut, qui systema theologicum composuerunt, recte sem-
cogitaverint. Tanta est enim illius disciplinae diversitas,
ea observata, vel pertinacissimo antiquarum formularum pro-
ıatori de earum necessitate non levis suspicio oritura videa-
si, quae ipse, Apostolorum ὀξύτητα, facilitatem et soler-
non satis adsequutus, nostris temporibus tanquam prima-
et fundamentalia tradiderit, ea a Domino ipso aut leviter
ım tractata, aut longe alia ratione tradita reperiat. Nam
quidem omnes concedent, causas universae doctrinae com-
s haberi non posse, a quibus tunc quidem pendebat disci-
primorum magistrorum religionis, sed eas tantum instar
λίου ponendas esse, quae toti quasi imperent doctrinae di-
, sive ea gentilibus, sive Iudaeis, sive nunc sive in poste-
tradatur. Deinde vero hoc ipsum illo discrimine observato
igitur, quae certa sint et communia, quaeve ex illorum

temporum et hominum ratione orta sint, ut theologia christiana ad causas necessarias et divinae doctrinae proprias referatur. Sic enim facile erit, communia et perpetua distinguere ab his, quae temporum illorum ratio postulavit, atque universam doctrinam ad summum Domini consilium revocare; ne doctrinae christianae formam eiusmodi habeamus, quae Iudaeis et gentilibus conveniat potius, quam hominibus christianis. Nam quum in disciplinae initio atque fundamento institutionis Christus atque Apostoli diversam rationem sequuti fuerint, facile intelligitur, in quibus consentiant, in his capitibus universae doctrinae causas primarias quaerendas esse, ac si qua nova docere Apostoli debuerint, de iis quoque e consilio Christi haud incertum iudicium esse. Quod quidem eo diligentius observandum est, quum doctrina christiana in libris sacris non ad causas suas revocata, sed populariter, et veluti sparsis saluberrimorum decretorum et praceptorum floribus, tradita reperiatur. De quo non tam graviter multi conquesti essent, quasi aut ambiguitatis nescio quid haberet disciplina christiana, aus eius causae certae et communes aliunde repetendae essent, si de consilio universae doctrinae ex mente Domini iudicare voluissent. Iam sciunt omnes, quam diversae, nostris potissimum temporibus, theologorum sententiae sint de primariis et fundamentalibus doctrinae christianae capitibus, ita ut, si quis quaerat e nobis, quaenam aut quot sint numero, ei vix habeamus quid respondeamus, adeo ut post viginti fere secula incertum adhuc quibusdam videri possit, unde petenda sint. Quod nisi nostra culpa acciderit, verendum est, ne de theologia christiana recte constituenda prorsus desperandum sit. Enim vero ipse Dominus in praestantissima oratione ea, quam Iohannes servavit Cap. XVII. luculenter dixit v. 3. *αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν*; atque eo loco, quo Nicodemo rationem consequendi per Messiam salutem exposuit (Cap. III.) declaravit eodem modo, Deum pro infinito in genus humanum amore velle, ut homines per se ipsum serventur, nimirum *πιστεύοντες εἰς αὐτόν*, et, quod alio loco adiunxit, *ποιοῦντες τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντος αὐτόν;* quare etiam dixit cap. V. adesse tempus, *ὅτε οἱ νεκροὶ ἀκούσονται τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ καὶ οἱ ἀκούσαντες ζήσονται*, et de futuro aevo paulo post addidit, *οἱ τὰ ἀγαθὰ ποιήσαντες ἐκπορεύσονται εἰς ἀνά-*

στασιν ζωῆς, οἱ δὲ τὰ φαῦλα πράξαντες εἰς ἀνάστασιν κρίσεως, adeo ut nulla dubitatio esse possit, quin caput primarium et fundamentale fidei, ipso Domino auctore, hoc sit, ut, quicunque salutem per ipsum consequi velint, hi agnoscant et credant, ipsum divinitus missum datumque esse servatorem omnibus, cuius doctrinam suscipiunt animo integro, fortiterque et pie omnia praecepta servent, atque sic emendati divinitus (*μετανοήσαντες καὶ ποιήσαντες καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας*) veniam peccatorum consequantur, cuius causa ipse vitam suam devovisset. Nam mortem quoque pro salute hominum se oppetere, Christus pluribus locis dixit, inprimis Matth. XXVI, v. 28. Luc. XXII, v. 19. 29. Ioh. III, v. 14. 15. X, v. 14 — 18. coll. XI, v. 51. 52. et XII, v. 24. 32. XV, v. 13., adeo ut hoc quam maxime necessarium et essentiale doctrinae caput haberi debeat, Christum mortuum esse hominum causa, nominatim ad comparandam veniam peccatorum et aeternam salutem *πᾶσι τοῖς πιστεύουσι*. Sed Apostoli eandem universae doctrinae causam idemque principium habuerunt, quamvis in institutione varias formas, aptas illis hominibus et temporibus, elegerint, quas in constituendis universae doctrinae causis necesse est distinguere a re ipsa, ut in superiori libello exposuimus. Verum si illas accurate distinxerimus, non difficile erit, in illa disciplinae diversitate reperire commune Evangelii principium, cui doctrina divina superstrui possit omni aevo imperatura. Ipsum enim Dominum ab eiusmodi quasi formis externis et institutis religionem et pietatem alienam esse voluisse, quum universae doctrinae ratio ostendit, ab omni arbitrio humanae lubidinis libera atque ad animum ipsum mentemque (*τὸν ἔσω ἄνθρωπον*) divino virtutis studio et immortali futurae incolumitatis et salutis spe non tam instituendam, quam prorsus imbuendam, divini spiritus plena contendens, tum vero etiam diserta eius dicta demonstrant. Sic, ut unum tantum afferamus, mulieri illi, quae de externo cultu maxime cogitabat, dixit instare tempus, quo *οἱ ἀληθινοὶ προσκυνηταὶ προσκυνήσουσι τῷ πατρὶ ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ* (Ioh. IV.); quibus verbis omnia, quae ad cultum externum atque omnino ad opiniones sacras Iudaeorum, v. c. de sacerdotibus, de sacrificiis, victimis, expiationibus, spectarent, a vero cultu et religione vera, cuius ipse auctor futurus esset, prorsus removit; atque hoc fecit eodem loco, quo salutis auctorem et vindicem, quem

Iudaei ac Samaritani exspectarent, se professus est. Itaque, quum dispiciendum sit, quae communia sint atque ad omnes homines pertineant, illo disciplinae discrimine observato, facile erit distinguere fundamentum disciplinae a fundamento doctrinae: nam de eodem consilio divino beandi omnes homines et Christus et Apostoli plane consentiunt; hoc igitur θεμέλιον esto, sed reliqua, licet utilia et necessaria aetate illa fuerint, tamen ad disciplinam tantum referenda sunt. Sed ad alterum perveniamus.

Nam quum in quacunque doctrina constituenda hoc maxime videndum sit, ut singulae eius partes accurate invicem nectantur et bene inter se cohaereant, vel hanc ob causam utilis est illius discriminis observatio. Nimirum doctrinae partes singulae ita coniungendae et disponendae sunt, ut vera ipsius indoles et communis ratio postulat; eo etiam ordine omnia collocanda et tradenda sunt, qui necessarius sit non apud hos illosve homines, sed apud omnes, ut vera doctrinae divinae ratio et singularum partium necessitudo recte perspiciatur. Iam vero Christus atque Apostoli diversum ordinem servarunt, ut in superiori libello demonstravimus, imprimis Apostoli singula doctrinae capita non ita semper coniunxerunt, uti communis ratio desideraret, sed ut hominum, quos instituerunt, ingenia temporumque rationes postularent. Quod illi quidem prudenter fecerunt; sed dubitari potest, an recte facturi sint, qui, quum de doctrinae quasi membris ad unum corpus colligendis cogitant, illorum sequi rationem voluerint. Theologorum est enim communem rationem observare, quam ipsius doctrinae indoles et consilium Domini desideret, non autem eum rerum tradendarum ordinem retinere, quem illis temporibus sequi Apostoli necesse habuerint. Nam quum hi quidem peculiari consilio docuerint, ideoque ita omnia coniunxerint, uti commodum huic consilio videretur, facile intelligi potest, doctrinam a nostris theologis non ea ratione disponendam esse, quae primis magistris placuerit; sic enim verendum esset, ne a communi doctrinae indole et consilio universa eius ratio plane aberraret. Quod etsi multis exemplis doceri possit, sufficiat tamen diligentes disciplinae Apostolorum aestumatores monuisse, in nectendis et coniungendis singulis doctrinae partibus non solum consilium varium, sed etiam diversum magistrorum ipsorum ingenium et propriam cuique sentiendi rationem vim eximiam habere, ita ut, quicunque doctrinam arte quadam

componere veliat, his summa cautione opus sit, ne illorum virorum rationem temere imitentur, quae, licet prudentissima et maxime necessaria illis, quibus docuerunt temporibus fuerit, neque tamen communis sit, neque universae institutioni accommodata apud omnes videatur. Utamur Pauli exemplo, de cuius disciplina ex iis quae superstites sunt epistolis omnium maxime constat. Paulus enim, sive quod ipse, προκόπτων antea ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ, ad summum taedium expertus fuisset τοῦ νόμου iugum et τοῦ γράμματος ἀσθένειαν, sive quod animadvertisset, hominum illorum de cultu levitico opinionem et τὴν ἐν τῷ νόμῳ καύχησιν verae religioni prorsus contrariam esse, universae institutionis hanc rationem maxime tenuit, ut ἡ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη appareret, atque omnes, non ἐξ ἔργων νόμου, ἀλλ' ἐκ πίστεως δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον, intelligerent. Quare non solum omnes eius disputationes ita dispositae reperiuntur, uti huic consilio esset accommodatum, sed singula quoque doctrinae capita, sive fundamentalia sive non fundamentalia, (ut in scholis dicuntur) ita disposita, collocata et nexa sunt invicem, ut, qui vel suo merito et gentis quasi praerogativa illud divinum beneficium sibi contingere debere opinarentur, vel cultu externo legisque Mosaicae observatione consequi se illud posse aut ipsi crederent, aut aliis vellent persuadere, hi veram rationem consequendi salutem per Christum discerent. Sed ex hoc facile intelligitur, doctrinae singulas partes non ea ratione coniungendas esse, quam Paulus secutus est; neque enim Iudaeorum aut gentilium causa a theologis nostris hodie Evangelium traditur. Quod valde veremur, ut semper observatum fuerit in ratione singulas doctrinae partes coniungendi, quae in theologia dogmatica reperitur. Negare enim, ut exemplo utamur, nemo potest, in systemate beneficium Christi describi fere totum ad rationes Iudaicas, et nominatim de venia peccatorum praecipi sic, uti singulae huius gravissimi capitis partes olim coniunctae et dispositae a Paulo fuerunt. Etsi enim, quod supra iam diximus, concedendum ab omnibus existimamus, veniae peccatorum et salutis consequendae causam et spem ab iis repetendam esse, quae Dominus et olim fecerit ac passus fuerit, et nunc quoque faciat, et in posterum sit facturus, tamen non magnopere repugnabimus, si quis rationem, qua illae res dispositae traduntur in libellis dogmaticis, Iudaicae magis quam christianae disciplinae conve-

nire existimaverit. Coniuncta sunt enim illa omnia eodem fere modo, quo Paulus ea coniunxit, ut Iudaeis, *καυχωμένοις τῷ νόμῳ*, et gentilibus, *ξένοις τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας*, vera illius beneficii ratio appareret. Quare disputationem huius loci ordiuntur a miseria e peccatis orta describenda, plane ut Paulus, qui sui temporis hominibus voluit demonstrare, eos ob vitae ante actae perversitatem non promeruisse tantum beneficium; deinde ad communem naturae humanae vitiositatem recurrunt, quamquam Paulus hoc loco non loquutus est de natura humana, sed de hominibus iam adultis et peccandi consuetudine corruptis, ut postea videbimus; tum vitia illa docent neminem suo opere expiare, neque suo studio aut merito futuram perniciem effugere et salutem consequi quemquam posse, quasi apud Iudaeos disputent uti Paulus, *τῶν τοῦ νόμου ἔργων* vanitatem graviter reprehendens; addunt igitur Christum nostro loco ea omnia fecisse et passum esse, quae Deus ab hominibus postulare potuisset, ipsi autem homines neque facere per naturae suae imbellicitatem, neque pati sine felicitatis iactura potuissent, atque sic Deum severum quidem iudicem, sed ob meritum Christi indulgentem et propitium redditum, cedere quasi sanctitate sua, et pro iustitia ad puniendum parata, amore uti ad ignoscendum promtissimo, ut homines, quantumvis poenis digni, insontes declarentur atque tales tractentur, absolvantur a culpa et poenis peccatorum atque salutem aeternam consequantur sola fide, tametsi haec fides, ut vera sit, debeat necessario bona opera habere et novam obedientiam procreare, plane ut Paulus de his rebus adversus Iudaeorum vanitatem et superbiam disputavit. Nos vero quamquam non negamus, quae illis verbis insint verissima esse omnia, et scimus quoque, ea a pluribus theologis recte, i. e. ex vera Domini et Apostolorum sententia exposita esse, hoc tamen non concedendum esse putamus, hanc rationem et veluti formam satis aptam esse ad veram Evangelii sententiam perspiciendam, quin eiusmodi potius illarum rerum nexum et ordinem esse arbitramur, cuiusmodi Iudais et gentilibus quidem, non autem Christianis conveniat. Sed hoc quidem loco satis est monuisse, Christum de hoc beneficio divino, cuius ipse auctor et vindex esset, longe alia ratione docuisse. Ita is enim omnia, quae ad illam rem pertinerent, coniunxit et proposuit, ut vera illius beneficii cum generis humani universi con-

necessitudo appareret, non solum Iudaeis aut gentilibus, quicunque essent homines ad immortalitatem nati et, licet o modo, eadem tamen lege aeterna voluntatis divinae ad itis et beatitudinis perpetua incrementa capienda praeparandi ducandi. Omnino autem Christus quum in universum, tum salute quoque ab hominibus ipsius beneficio consequenda secundum rationes singulares docuit, veluti genti cuidam rias et familiares, sed communes rationes circumspexit et is generis humani aeternas necessitates vel cogitatione vel tutione complexus est; neque igitur ad hoc illudve genus inum disciplinam composuit, sed ita, uti omnium qui tanto ficio beandi essent hominum omni tempore rationes deside- nt et desideraturae essent usque ad finem rerum humanarum. ie sic verissime τὸ φῶς τοῦ κόσμου ille illuxit, Apostoli m Iudaeorum et gentilium doctores fuerunt. Itaque si theo- Apostolorum et Christi disciplinam distinxissent, dubitari potest, quin loci illius gravissimas sententias longe alia ra- e coniuncturi fuissent. Sciunt autem omnes, a rerum dispo- me, nexu et ordine veram ipsarum sententiam pendere, ita si male coniungantur, aut plane non recte intelligantur, aut si formam accipiant a communi sententia alienam. Quam- em ad componenda et coniungenda singula doctrinae capita maxime utile fuerit, discrimen illud disciplinae Christi obser- e, partim ut veram et communem nectendi singulas partes lisponendae doctrinae rationem intelligamus, partim, qui ab modi labore alieniores esse solent, ut eius necessitatem anim- ertant. Non loquimur enim de populari institutione, sed de trina subtiliter ad artis formam componenda, cuius singulae tes ita coniungendae sunt, uti vera doctrinae ratio postulat. d autem discrimen plane docet, disciplinae formam hoc quo- loco a rebus ipsis distinguendam esse, neque satis recte sari eos, qui ordinem illum, quem Apostoli elegerunt, et gularum partium coniunctionem, quam illorum disciplina desi- avit, sine omni discrimine sequantur. Nam quae in scriptis lesiae nostrae publicis doctrinae forma constituta est, ea non doctrinae divinae definiendae rationem spectat, sed ad do- nam ecclesiae praesertim in capitibus controversis; habent m libri symbolici tantum testimonium veritatis, non autem au- ritatem iudicis; atque aliud est officium theologi, qui ecclesiae

nostrae sententiam explicat; huic enim ea omnino ratione retinenda est, quae in scriptis illis publice proposita est; aliud est officium eius, qui doctrinam divinam e scriptura sacra constituendam sibi sumsit; huic enim ex mente et consilio Domini omnia peragenda sunt. Theologia enim nostra aut nullius pretii est, aut doctrinae divinae rectius intelligendae et verius tradendae inservire debet; nam non curiositatis aut subtilitatis causa traditur et discitur, sed religionis et pietatis causa, ut divinam doctrinam puram et integram servare et aliis tradere atque ab humanarum commentis opinionum defendere possimus; neque igitur humano ingenio aut secundum opiniones humanas componenda est doctrina divina, sed ita constituenda, ut saluberrimo divini servatoris consilio rectius perspiciendo et felicius perficiendo inserviat. Oportet vero non a gentilium κενοσοφίᾳ solum, sed etiam ab omni Iudaicae disciplinae φυράματι liberum esse theologum evangelicum. Quod non tantum ut fiat illa disciplinae Christi et Apostolorum diversitas monebit; quis enim hac perspecta, quid communis omnium temporum necessitas desideret non statim intelligat; sed etiam, quomodo fieri debeat necessario et perpetuo rerum singularum nexu demonstrato clare ostendet.

De ratione denique universa docendi vel in scholis, vel apud populum christianum facilis est illius discriminis observatio. In scholis enim theologorum qui docent, hos meminisse oportet Christum non scholae, sed vitae, non subtiliter disputandi causa sed populariter ad homines instituendos, corrigendos et emendandos doctrinam tradidisse; Apostolos autem non theologiam docuisse, sed saluberrimis religionis praeceptis aequalium animos imbuisse, in eaque re ad tempora et homines prudenter respexisse, et, quamquam in virum bonum, ut Cicero ait, non cadit mentiri, rationem tamen praecipiendi non communem, sed eam saepissime sequutos esse, quae oeconomica solet appellari. Ut factum est, ut eorum forma disciplinae universa haud parum creparet a ratione docendi, quam Dominus sequutus est, in superiori libello satis demonstrasse videmur. Quamobrem illorum disciplinam et formam eam, quae tunc quidem doctr... convenisset, sed consilium divinorum virorum et doctrinae i... lem spectare necesse est. Sed id ipsum ea maxime de disputavimus disciplinae diversitas vel postulat vel demonst...

quum ineptum fuerit, vanam scholasticorum in docendo itatem retinere, tum illud maxime, christianum theologum urum doctorem hominum christianorum docere sic, quasi in s Iudaeorum futuros νομοδιδασκάλους instituamus. Tametsi r fuerunt haud pauci, qui Judaica disciplina illa spinis asticis distincta mirifice sibi placerent, formulasque docendi, ones et distinctiones dudum ab optimis theologis reprehentanta religione decantari vellent, ut, si quis aliam docendi nem sequeretur, hunc pessima consilia suadere existimarent. d quum exemplis doceri possit fere innumeris, tum ii potisma loci demonstrant, in quibus de munere Christi triplici, de ficatione, de bonis operibus et de emendatione salutari dispuur. In his enim omnes iudicant plurimum esse ambiguita-, elegantiae parum, sed malunt tamen ineptas formulas res explicandi ingratum laborem suscipere, quam meliorem sei docendi rationem, quae rebus ipsis et verae decretorum diiaorum sententiae melius conveniat. Sed de his singulis statim ost uberius exponemus. Iam vero in universum hoc nobis conaros esse putamus omnes, quibus vera doctrinae divinae ilstrandae ratio, non autem vetustas formularum, distinctionum t divisionum placeat, universam methodum docendi, quae in bellis dogmaticis reperiatur, parum aptam esse doctrinae sacrae, iantumvis commoda olim fuerit disputantibus et altercantibus eologis. Quamquam enim longe abhorret animus noster ab rum studio, qui ab omni praecipiendi subtilitate alieniores polari oratione et methodo nescio qua traducunt doctrinam, rimis nostra aetate, qua vel ob linguarum vetustarum conntum, vel ob antiquae historiae ignorantiam, subtilem docendi ionem plurimi fugiunt, sed e libellis quotidianis opinionum raginem corrasisse satis habere solent: tamen non ita nobis cet subtilitatis et eruditionis antiquae ostentatio, quin, si itatem aut obscuret, aut invidiae exponat prisca docendi ratio, tinus relinquere artes nostras parati simus. Ac nescimus fere, melius consuli disciplinae theologicae possit, quam si, cenis formulis, distinctionibus et divisionibus missis et in armatario, ex quo si opus fuerit depromantur, depositis, ad redeamus docendi simplicitatem, quae τῷ θεοῦ ἁπλῷ λόγῳ ius conveniat, quam subtilissimae artes scholasticorum. Cuius lem simplicitatis et ἀφελείας optimum exemplum ipsius Domini

disciplina ostendit, quam in universa ratione docendi Evangelium vel in scholis satius erat imitari, quam formulas et disputationes Apostolorum. Certe si quis discrimen disciplinae Christi et Apostolorum observaverit, huic nulla religio erit, modum docendi in scholis mutare, ubi vera rei ratio suaserit, sed is Apostolorum ipsorum exemplum sequetur, non quid dicat curans unice, verum etiam ut recto modo dicat, et sibi et aliis caute prospiciens. De populari denique institutione brevis oratio sufficiat. Nam quum doceat illud discrimen, quae necessaria sint et perpetua, quaeve temporanea tantum fuerint, ut supra ostendimus (pag. 83. sq.), sequitur, in populo quoque instituendo hoc discrimen observandum esse, partim, ut quae ad institutionem hominis christiani necessario pertineant recte intelligamus, partim ut ad hodiernos mores et homines nostram quoque disciplinam componamus, ne homines christiani instituantur tamquam Iudaei aut gentiles, sed sic, uti consilium Christi desiderat. Quod si quis monere hoc loco non opus esse existimet, hunc velimus de vulgari institutione cogitare, utrum satis apta sit his, qui alieni sunt ab eorum opinionibus, quos Apostoli instituerunt, an Iudaeis et theologis disputantibus commoda sit potius, quam infantibus doctrina divina imbuendis. Abeat enim aliquis ad Afros Indosve, incipiat eos instituere de salute consequenda, doceat de lege, de sacrificiis, de expiationibus, de poenitentia, de sacerdote summo, de Messia, de victima cruenta, de abrogata lege, de bonorum operum necessitate, de satisfactionibus et quae sunt aliae formulae loquendi, quibus inter theologos usitatis et ne apud hos quidem omni obscuritate carentibus puerorum aures implere imprudentes magistri solent, sane hunc stupentes audient homines, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραήλ, neque intelligent quid sibi velit, certe illa omnia ad se non pertinere iure obiicient. Quid enim illi Abrahami posteros curent, aut ἐπαγγελίαν τοῦ σπέρματος Ἀβραάμ, quid sacrificia et τὴν κατάραν τοῦ νόμου, quid expiationes et τὴν ἀποκαταλλαγὴν τῶν ἀμφοτέρων ἐν ἑνὶ σώματι, quid satisfactiones humanas, de quibus nunquam antea audiverint vel cogitaverint. Sed doceat ille, ut Christus docuit, Deum, qui omnes homines salvos velit, adeo amasse mundum, ut filium suum unigenitum miserit, ut qui ei fidem habuissent, eius praeceptis obtemperassent, vitamque sincero virtutis et pietatis studio

sacram egissent, huius et futuri seculi beatitudinem consequerentur, doceat ergo, Christum pro salute hominum vitam devovisse, ut hi a poenis peccatorum liberi esse possent, eoque consilio docuisse, ut doctrinae divinae obtemperantes puri ab omni scelere et a poenis vere immunes essent, eandemque ob causam esse dominum omnium summo a patre imperio ornatum, ut felicitatis beneficio ipsius partae homines vere participes redderentur. Sentient omnes, eum ἐν δυνάμει θεοῦ loqui, καὶ οὐχ ὡς οἱ νομοδιδάσκαλοι καὶ φαρισαῖοι. Certe praestabat hoc quoque loco Christi disciplinam sequi, ne oblivisceremur, homines divina doctrina imbuendos esse, non autem Iudaeos et Graecos. Neque enim disciplinae formam, sed prudens magistrorum consilium imitari necesse est.

Sed ad alterum perveniamus, in quo discrimen disciplinae Christi et Apostolorum observandum esse videtur. Existimamus enim, in singulis doctrinae capitibus explicandis et tractandis non levem esse illius observandi modum, quod paucis demonstrare conabimur. Et in explicandis quidem locis doctrinae singulis, quoniam redeunt omnia ad scripturae sacrae interpretationem, statim vident omnes, quam late pateat illius discriminis observatio. Valet enim tum in singulis locis recte i. e. ex mente scriptorum explicandis, tum in dictorum omnium communi sententia reperiunda; de quibus breviter disseremus.

Primum igitur quicunque de loco quodam scripturae sacrae explicando cogitant, eos non singulorum tantum verborum sententiam nosse satis est, sed ipsius sententiae rationem perspectam habere oportet; ex locis singulis enim, in tali praesertim genere scribendi, vera dictorum sententia rarissime reperiri potest. Et quum sciant omnes, qui in veterum scriptorum monumentis explicandis versantur, nullum vix paucissimis locis auctorem recte explicari posse, nisi totam eius indolem mentemque perspectam habeamus, tum vero in sacris libris explicandis, concedent nobis subtilissimi interpretes, feliciter versari posse neminem, nisi universam rationem disciplinae qua viri divini usi sunt plane perspexerit. Quare non rationem tantum, quam Christus in docendo sequutus fuerit, sed causas quoque nosse oportet, cur eandem rem aliis verbis aliove modo Apostoli tradiderint. Nam quum verba non sint nisi rerum signa et veluti involucra, ne verborum sonis decipiamur, formam rerum ab ipsa

earum sententia distinguamus necesse est. Quod etsi magnam difficultatem habet apud scriptores, qui incomposito, inconstanti et inelegant scribendi genere usi sunt, ut in superiori libello diximus (pag. 76.); tamen Christi et Apostolorum disciplina diligenter comparata felicius, nostra quidem opinione, succedit. Primum enim in libris sacris explicandi nescimus, quid constantius observari debeat, quam genus illud orationis populare et e vita communi petitum esse; tanti est enim haec res momenti, ut sive rationem linguae grammaticam sive cogitandi consuetudinem spectemus, universus explicandi modus hanc unam ob causam valde mutetur. In quo etsi non discrepat Christi et Apostolorum oratio, quatenus eodem vulgari dicendi genere usi sunt, valde tamen differt, quod illius loquentis horum scribentium verba sunt. Nam qui a scribendi subtilitate alieni sunt, etsi sermonibus praesentes, quid velint facilius docent, tamen quum scribunt, ab eo dicendi genere, quo viri in scribendo exercitati utuntur, longissime recedunt, adeo ut in libris sacris explicandis facillime errare possit, qui illud discrimen loquentium et scribentium non diligenter observaverit. Hinc enim fieri solet, ut multi de Apostolorum disputationibus iudicent, quasi docti et subtilis auctoris verba explicent, multi etiam epistolas ab indoctis hominibus vulgari sermone scriptas tamquam arte dispositas et elaboratas tractent, singulasque sententias inter scribendum haud raro, ut fieri solet ab hominibus indoctis, interiectas, certe non certa ratione connexas, quasi ratiocinationum vinculis constringant et libere dictis suorum λογισμῶν artem ingrata subtilitate commodent. Quod quam inopportune factum sit olim a nonnullis interpretibus in epistolis maxime Pauli explicandis, satis constat. Nempe e singulis epistolis subtiles disputationes fecerunt, in quibus omnia finita ratione et veluti in elaborationibus, quae speciminis loco scribuntur, collocata proponerent, atque e singulis sententiis ac formulis integra dogmata aut dogmatum formas saltem extricarent. Enimvero male sedulam hanc curam esse, ipsa sermonis quo scriptoris sacri usi sunt natura et indoles demonstrat. Quis enim quum epistolam vulgari sermone scribit, omnia tam accurate disponit et coniungit, qui multa saepe interiiciat, et veluti se ipsum monens adiiciat, praesertim quum scribat pluribus, quorum paucissimos ab ore noverit? Alia vero Christi loquentis et viva voce homines popu-

ares instituentis ratio fuit, ut supra ostendimus; quamquam ex ongo tempore hic fere mos fuit, ut in explicandis capitibus doctrinae quid ipse Dominus de iisdem rebus docuisset parum ut nihil curarent. Quare vel hanc ob causam discrimen illud diligenter observandum est, ut de orationis genere, quo Apostoli usi sunt, vere iudicemus atque singula eorum dicta ad veram Domini ipsorumque Apostolorum sententiam explicemus. Atque haec altera est illius discriminis observandi utilitas in scripturae sacrae interpretatione, quod non solum quo consilio singula dicta ab Apostolis fuerint rectius animadvertamus, sed etiam Apostolorum sententias variis formis propositas cum Domini dictis comparemus, atque illa ex huius potissimum sententia explicare consuescamus. Sic v. c. quae Apostoli de natura humana singulis locis dixerunt, ea tantum non ad dogmata, quibus ea res definita est, perspicue ex libris sacris N. T. demonstranda sufficere nonnullis visa sunt, ut multa arte opus fuerit his, qui dogmata illa contra Pelagianos aliosve his similes defendere cuperent; multi quoque clamoribus et declamationibus pro testimoniis Scripturae sacrae usi sunt. Sed si modum, quo de humana vel imbecillitate vel integritate Christus loquutus est, tametsi hoc ex instituto, ut aiunt, nunquam fecit, comparassent cum locis his, in quibus Paulus humanae naturae disciplina spiritus sancti carentis inertiam, tarditatem et imbecillitatem arguit, non de natura in se ille quidem loquutus, sed de hominibus, quales aut sua aut aliorum culpa esse fierique solent, verendum est, ut tantam contentionum et irarum materiam illi invenerint. Sic enim facillime putamus intellecturos omnes fuisse, non e singulis Apostoli liberius contra superbiam sui temporis hominum disputantis dictis, sed ex universa veluti ratione naturae humanae iudicandum esse, quae partim e praeceptorum quae Christus dedit puritate, partim ex universi consilii de hominibus ad immortalem cursum praeparandis, sublimitate luculentissime apparet. Sed monet nos is ipse locus, cuius modo mentio facta est, ut de communibus locis, legitima interpretatione constituendis dicamus, in qua re illius discriminis observationem plurimum valere existimamus. Sunt autem loci communes hi, in quibus scriptor sententiam communem exprimere voluit; communis autem sententia est, quae de omnibus ad idem genus pertinentibus lata est; ex quo sequitur, ut ex locis com-

munibus potissimum universalia quae dicuntur decreta pe
sint. Sed quantopere de eiusmodi locis disputatum fuerit
tempore inter interpretes et theologos, sciunt omnes
opus est enarrare. Atque nos quidem quamquam non nega
difficillimum esse, de illis locis certum ubique iudicium
praesertim in populari oratione, arbitramur tamen, si disc
disciplinae Christi constantius observassent, non adeo dissen
certe de multis locis theologos fuisse. Nescimus enim, an
rior in locis communibus constituendis errandi fons repe
quam quod disciplinam Apostolorum non satis accurate ob
verint, neque cum Domini ipsius disciplina diligenter com
verint. Sic enim factum est, ut multa loca, in quibus A
singulari consilio loquuti essent contra opiniones sui te
hominum, ad communem sententiam transtulerint, multaque
Apostolorum, quibus peculiaris tantum sententia inesset, q
de quibusdam tantum rebus aut hominibus prolata, quas
omnibus dicta essent explicaverint. Hinc loci communes
terunt magno numero, qui quum postea visi essent quibu
non satis idonei, ipsa dogmata, quae illis inesse non vide
multi negarunt, et quoniam dicta probantia quae dicuntur
recte et accurate electa a multis essent, res ipsas, quasi a
pturis sacris alienas, contemtui habuerunt. In quo quum
erratum fuerit, tum iis in locis maxime, in quibus univ
rerum notiones (abstractas in scholis dicunt) inesse existima
quamquam Apostoli, ut homines indocti et populari ora
scribentes, rarissime eiusmodi notionibus usi sunt, quum,
superiori libello diximus (pag. 76.), res tales fuerint, quas v
hominum singulis magis imaginibus conceptas, quam univ
notionibus comprehensas tenere animo soleat. Sed si discipl
Apostolorum cum Domini ipsius institutione diligentius comp
sent, facile, ut nos quidem arbitramur, animadversuri fuis
locos plurimos non communem sententiam habere, sed ad
tantum homines et tempora illa spectare. Cuius rei quum
exempla in promtu sint, unum tantum proferemus, quod ad
cum illum, de quo modo diximus, pertinet. Scilicet, quae
lus dixit in Ep. ad Romanos Cap. VII, ea putabantur oli
plurimis in communem sententiam dicta esse, quasi Apostolus
loco communem naturae humanae imbecillitatem et perversita
arguere et demonstrare voluisset. Quare hic locus ad proba

:ale vitium hominum omnium haberi solet classicus et vel me communis. Sed aut omnia nos fallunt, aut is locus). non est communis. Nam Paulus in tota disputatione illa hoc egit, ut humanam naturam vituperaret, sed ut legem iomines a sceleribus puros servandos non satis idoneam fuisse aderet; neque demonstrare voluit, humanam naturam (in ab- :to ut aiunt spectatam) ad virtutem et sanctitatem necquid- n valere, sed legem (i. e. universam oeconomiam Mosaicam) praestare hominibus integrum et perfectum virtutis studium ie. Quare etiam Cap. VIII, v. 3. sq. concludit: quod lex praestare non potuisset, id beneficio divino praestare homi- s doctrinam Christianam posse, ut iam puri ab omni scelere ere homines κατὰ πνεῦμα περιπατοῦντες et effugere possint ıram perniciem. Itaque, quae v. 14—23. dicuntur, ea non lligi possunt de hominibus omnibus etiam christianis, sed ntur de homine, qui vivit sub lege, sentitque legem non is idoneam esse ad veram virtutem et sanctitatem conservan- ı, uno verbo de Iudaeo veluti diffidente rebus suis, quoniam quod velit nequeat facere, sed quod nolit facere cogatur. Ex intelligitur, totum hunc locum ad demonstrandam universae ırae humanae perversitatem plane ineptum esse. Et quam- n omnino verum est, quod Paulus dixit singulari ratione, ;—11. tamen ad locum illum non pertinent, ad quem solent omnia referri. Quin repugnant his, quae vulgo doceri so- Si enim ad vitii naturalis demonstrationem afferatur hic s, necesse fuerit, ei inesse etiam hoc, hominem, nisi di- :us hoc ei datum sit, ne velle quidem bonum, imo eius vo- ıtem per se ad vitia tantum proclivem esse. At vero ver- 18. plane contrarium docet; in hoc enim diserte dicitur, vo- ıtem quidem promtam esse, sed deesse ei vim, qua bonum d probet efficere possit; quod si de hominibus regenitis in- gunt, obliviscuntur, his neque τὸ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν se posse. Denique v. 24. 25. et initium cap. VIII. docent, parari homines sub lege viventes, miseros propter peccata, te perpetua pugna, quae v. 19—23. describitur, vexatos ı hominibus christianis, in quibus οὐδὲν κατάκριμα, μὴ ὰ σάρκα περιπατοῦσιν ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα. Sed totum e locum non habuissent communem, si Pauli rationem dispu- li diligentius considerassent, et an in Christi orationibus

similes sententiae reperirentur circumspexissent. Existimamu in locis communibus constituendis hanc omnino legem scril esse, ut si quis locus universe explicatus eiusmodi sent habiturus sit, quae ab universa ratione de iisdem rebu cipiendi in institutione Domini conspicua abhorreat, eum modo communem habeamus; quemadmodum etiam falsa cuius loci interpretatio, quae prodit sententiam, cui ne quidem in libris sacris reperiatur.

Sed ex his omnibus, quae hactenus de scripturae locis singulis explicandis disputavimus, satis intelligi po bitramur, in singulis ipsius doctrinae locis explicandis et t dis quam late pateat illius discriminis observatio. Nam q Apostoli docendi genere oeconomico i. e. praesentibus ho et temporibus apto et commodo usi sunt, quae docuerunt religionis ita intelligenda et explicanda sunt, ut veram sent ab illa oeconomia distinguamus. Plurimas enim res opini formulis, denique rationibus illis iunctas et expressas tradi multaque ex circumstantia, ut Quinctilianus dixit, repet quae omnia diligenter cognoscenda et discernenda sunt, u dictorum sententia appareat. Quod a multis olim neglectu qui formulas docendi pro communibus decretis haberent, que et gravissimos doctrinae locos ita explicarent, uti ostenderent, sed veram, quae illis subesset, sententiam n tis assequerentur. Quamquam enim vera interpretatio in e tum cernitur, ut sententiam eam, quam scriptor verbis s primere voluit, indagemus et explicemus; alia enim non e nominis interpretatio: tamen haec ipsa interpretatio (quam maticam dicimus, non, ut nonnullis placet, quod verbis in vage explicatis, sed quod spectat τὸ γεγραμμένον i. e tentiam scriptam et verbis ab auctore expressam indagat fert unice) nisi illa omnia diligenter observet, singulorum rum veram sententiam non potest assequi. Itaque, quod tiores quidam praeceperunt, grammaticam interpretationem quoque historicam esse debere, id tantum abest, ut repr iure possit, ut maxime laudandum sit. Nisi, qui forte n excesserunt, eorum vitio crimen struitur reliquis. Qua pervetusta est illa observatio; sic enim Hieronymus dixit loco: multa in scripturis sacris dicuntur iuxta opinionem temporis, quo gesta referuntur, et non iuxta quod rei v

xigebat. Quod quam vere dicatur et quanta cum diligentia in ocis singulis doctrinae explicandis animadvertendum sit, illius de quo sermo nobis est discriminis observatio docebit. Sic enim quis putaverit Apostolos, si hac aetate nostra doceant, iisdem formulis et verborum involucris usuros esse. Sunt vero multa dogmata, in quibus explicandis verba quidem Apostolorum non autem sententiam veteres expresserunt; quoniam illud aut ignorabant aut non satis diligenter observabant, Christum de rebus iisdem longe alia ratione atque Apostolos loquutum esse. At dicat forte aliquis, Apostolos Christi interpretes fuisse, ideoque quae illi docuerint, ea omnia ad doctrinam referenda esse. Sed facillime tolli potest haec dubitatio. Primum enim si verum esset, quae Apostoli ad illorum temporum homines scripserint, ea omnia ad doctrinam ipsam transferenda atque perpetuo in institutione retinenda esse, sequeretur, ut nostris temporibus doceri deberent multa, quae ab iis plane abhorrerent. Multa sunt enim, quae nemo facile dicat nobis scripta esse, veluti de lege Mosaica sublata, de mulierum ἐξουσίᾳ, de daemoniacis, de nominibus angelorum et haud paucae descriptiones, comparationes, argumentationes quoque illis tantum hominibus aptae, non autem aliis, ad quos doctrina divina perferenda erat ex consilio Dei. Deinde concedendum quidem est, Apostolos multa a Christo brevius tantum proposita uberius exposuisse atque id facere debuisse, nonnulla etiam quae usus et tempus docuisset nova addidisse, veluti de morte Christi, quod supra dictum est. Sed ex eo non sequitur, omnia, quae ab Apostolis propter homines illos et tempora dicta fuerint, ad ipsam doctrinam pertinere. Quin e communi consilio Christi et doctrinae natura iudicanda sunt. Apostoli enim non sui iuris fuerunt; non suam, sed Christi doctrinam tradiderunt; ergo de doctrinae capitibus non ex institutione Apostolorum indicare fas est, sed ad Christum omnia dirigenda ex eiusque divino cousilio omnia explicanda sunt. Tametsi non id quidem curare multi olim solebant, quid Christus dixisset, sed quid Apostoli loquuti essent. Enimvero Christus est θεμέλιος ὁ κείμενος, καὶ οὕτω δὴ ἀποστόλους λογιζέσθω ἄνθρωπος, ὡς ὑπηρέτας Χριστοῦ καὶ οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ. Et quamquam Apostoli divinum spiritum acceperant, ut nova quoque tradere possent, tamen Christus ipse dixit: ὅτι ἐκεῖνος ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν. Postremo Christi sumus,

non Apostolorum cultores: hi autem apud illas quidem gentes Christi interpretes fuerunt, sed omnis eorum institutio ad consilium et mentem Christi explicanda est. Χριστοῦ γὰρ πάντες ἐσμὲν, Χριστὸς δὲ θεοῦ. Hinc autem sua sponte intelligi potest, etiam in tractandis capitibus singulis in theologia eundem illius discriminis observandi modum esse; quamobrem paucis eum explicasse sufficiet. Nam quemadmodum universa doctrina tradenda est sic, ut ipsius consilium spectetur, quod ex diversa disciplina Christi et Apostolorum maxime intelligi posse supra ostendimus, ita etiam singula eius capita tractanda sunt in theologia non ad disciplinam Apostolorum variam et temporaneam, sed secundum veram ipsorum rationem et consilium Christi. In quo vero illius discriminis observandi modus et ratio maxime cernitur. Nam quum Apostolos, etsi in rebus ipsis a Domino non dissenserint, tamen diversam eas tractandi rationem secutos esse, et quibus de causis id fecerint, animadverterimus, facillime intelligemus, qua ratione nobis singula tractanda sint, ne et nunc forma eligatur, quae olim Iudaeis et gentilibus apta fuerit, sed quae communis sit, perpetua et ad omnes homines pertineat. Quod enim Apostoli facere debuerunt, id nobis non amplius opus est ab illorum temporibus alienis; neque enim Iudaei sumus, tenaces legis patriae, neque gentiles, idolorum cultores. Nempe quum tempora mutata sint, disciplinae formam quoque mutare necesse est. Omnino enim Apostolorum prudens consilium magis quam verba et disciplinam oportet imitari. Ac possemus sane, si multis exemplis opus esset in re perspicua, plurimos locos ostendere, qui ita olim tractabantur, quasi inter Iudaeos cultus levitici ceremoniis gaudentes et τῷ νόμῳ καυχωμένους aut inter gentiles ἀθέους ἐν τῷ κόσμῳ esset disputatio. Sed utamur exemplis nonnullis tantum quam maxime perspicuis. Si quis enim locum gravissimum de opere Christi salutari percurrat in antiquioribus libellis dogmaticis, is ubi audiverit de sacerdote, victima, sacrificio et cruenta irae divinae expiatione sermonem fieri ab iis, qui nunquam sacrificium obtulerunt, ut peccata sua expiarent, sed qui a pueris norunt paternum amorem Dei ab omni iracundia alieni, quem cruento supplicio iniuriam vindicare nefas putent vel suspicari, vix putabit a Christianis hunc locum tractari. Atque omnino dudum dixerunt et docuerunt theologi optimi, operis Christi, quod et olim in his terris peregit et nunc

eragit et peracturus est usque ad finem rerum humanarum, ractandi rationem neque accuratam satis esse neque aptam naurae rei neque vero scriptorum sacrorum consilio accommodatam. Sed nos hoc unum tantum repetemus, quam parum apta sit illa logmatica operis Christi ennarratio vero Apostoli consilio, cuius verbis et formulis uti solent. Est enim illa petita ex epistola ad Hebraeos, in qua quidem Apostolus contra Iudaeos disputans non hoc egit, ut similitudinis causa Christum cum sacerdote compararet, sed ut ostenderet, Christum longe praestantiorem salutis vindicem esse, ideoque ut dissimilitudinem potius leviorum negotiorum muneris levitici et gravissimorum beneficiorum Christi, perpetui salutis auctoris, demonstraret. Theologi autem illis formulis usi mutarunt Apostoli sententiam, atque ad similitudinem Christi cum sacerdote opus Christi descripserunt, ex quo, constat inter omnes, quam parum apta de hoc opere divino praecipiendi ratio in scholas recepta sit. Quam dubitari potest in tanta constantia defendissent plurimi, si observassent, Christum de negotio sibi a patre demandato longe alio modo loquutum esse. Quin mirati sumus saepius (liceat enim uti verbis Patris Venerandi, Opusc. theol. pag. 5.) theologos in explicando opere Christi salutari adhibuisse modos loquendi, quibus Paulus in Epistola ad Hebraeos sapientissimis quidem de causis propter illorum temporum necessitates et utilitates usus est, et non potius sequutos esse auctoritatem Domini ipsius in ea re explicanda et inculcanda, nec usurpasse ipsa eius verba, propria illa atque perspicua, nulli difficultati aut interpretationis ambiguitati et perversitati obnoxia. Deinde gravissimum locum de modo conferendi in homines salutem per Christum partam et oblatam (τὴν δικαιοσύνην θεοῦ τὴν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ) sciunt omnes tractari in scholis secundum formulas, quibus usus est Paulus in disputationibus, eo quod paulo ante exposuimus consilio institutis, nempe ut ostenderet, illud beneficium, nominatim veniam peccatorum, spem futurae incolumitatis atque ipsam futuri aevi salutem neque contigisse tunc quidem cuiquam ob sua merita, sed mero amore Dei (χάριτι ἐστὲ σεσωσμένοι) neque contingere cuiquam alio modo posse nisi per fidem. P[illegible]rat vero Paulus quidem uti illis formulis, quibus eam rem descripsit, ac debebat etiam verba illa, δικαιοσύνη, δικαίωσις, δικαίωμα, δικαιοῦσθαι, adhibere apud homines illos, quorum mentibus in illo

beneficio aestumando iudicis notio obversaretur. Sed has mulas neque satis aptas esse ad rem illam describendam pr ambiguitatem, neque idoneas ad communem docendi ratione diversitatem consilii, post multorum theologorum observati non opus est demonstrare. Hoc vero certissimum est, tota iustificatione quam dicunt locum clarius et ad illustrandam beneficii conferendi rationem aptius expositurus theologos fu si Christi institutionem et consilium quam Apostoli formula qui maluissent. Quas si quis dicat librorum ecclesiae sym symbolicorum auctoritate receptas esse, hunc rogamus, ut vi rum illorum, qui hos libros scripserunt, consilium a theol officio rectius distinguat. Illi enim non docuerunt ad subtili tem scholae, neque verba ac formulas e scripturis sacris pet ea ἀκριβείᾳ adhibuerunt, quam sequi oportet interpre theologum in scholis, sed hoc potissimum egerunt, ut sen tiam suam contra dissentientes perspicue explicarent. Quare fo mulis illis usi sunt eo sensu potius, qui mentem ipsorum op illustraret; veluti verbum ipsum iustificationis usurparunt sen stricriori, quam Paulus illud adhibuit. Is enim δικαιοσύνην δικαιοῦσθαι non tantum de venia peccatorum dixit, quam etiam de hac pluribus locis usurpavit, sed de universo bene divino per Christum parto hominibus, oblato per doctrinam per fidem consequendo. Neque etiam πίστιν is semper dixit fide speciali quam dicere solent, neque reconcilationem, exp tionem et iustificationem eadem sententia dixit; nam iustific δικαίωσις, est beneficii universi collatio; expiatio et reco liatio merito Christi contingit, ita ut expiationem reconcili sequatur; ἱλασμός enim Christi est, qui a peccatorum mi nos liberavit, reconciliatio autem, καταλλαγή, non Dei sed hominum, qui per expiationem quasi in amicitiam cum De reducti sunt, ut ipsi iam desinant sibi timere a Deo, sed de nant etiam ei adversari. Sed haec omnia ipsa librorum sacror lectio demonstrat; nos autem ea commemoravimus tantum consilio, ne quis formularum illarum auctoritate veterem praec piendi rationem defendi posse existimaret. Porro de bonis op ribus quam praecipiendi rationem olim sequuti sunt, nemo nesci quam ambigua, quam patens invidiae et obtrectationibus fueri Sed eius rei causa nulla alia fuit, quam quod disciplinam Ap stolorum a Domini institutione diversam non satis observaveri

quodsi enim utraque diligenter comparata communem illius loci ationem adsequuti essent, facile meliorem et veriorem praeciiendi modum recepissent; acquievissent enim sine dubio sententia Domini, qui quamvis ab omni vana superbia et ipse alienus esset et suos quoque alienos esse vellet (καὶ γὰρ μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, Matth. V, v. 3.), tamen verae sanctitatis et virtutis necessitatem nullo pacto imminuit, imo eam vel praeceptis suis el perfectissimo exemplo demonstravit, adeo ut nulla theologo hristiano dubitatio esse possit, quin virtutem, honestatem, proitatem, iustitiam, omnisque καλοῦ ἔργου exercitationem integram, constantem, imo in dies integriorem, castiorem et contantiorem, necessariam existimet ad salutem Christi merito partam vere consequendam. Sed quoniam de bonis operibus dicere onstitutum illis erat, antiqua nominis invidia effecit, ut multi eneficio Christi satis magno obtrectandi periculum adire maluerint quam sententia Domini acquiescere. Nam quod puros ab mni scelere se servare, virtutis ac sanctitatis studio ad felicitatem adspirare, recte sentiendo agendoque perfectiores indies eri atque ad maiorem summi numinis similitudinem contendere omines possint, id vel maxime inter summa Christi beneficia eferendum esse ne ipsi quidem negaverint τῶν ἔργων obtrectaores et censores virtutis humanae severi, quum viderint Paulum, quo nemo fortius contra τὰ ἔργα τοῦ νόμου pugnavit neue gravius quisquam τὴν πίστιν commendavit, in ipsa ad Romanos epistola gravissimarum contra humanam καύχησιν sententiarum plenissima deo gratias agere (cap. VII, v. 25.), quod eneficio Christi effectum fuerit, quod τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου fficere non potuisset, (cap. VIII, v. 2. 3.) ut homines a pestiera vi peccati liberati puros et integros se servare, voluntati ivinae obtemperare (τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληροῦν) atque uturam perniciem effugere, quin vincere etiam naturalem vitioitatem possint, siquidem spiritus eius, qui Christum a morte esuscitaverit, in christianis habitare debeat, adeo ut per hunc psum spiritum ipsis inhabitantem corpora quoque mortua vitam onsequi, i. e. a peccati et naturalis lubidinis imperio misero ueant liberari (v. 11.). De mutationis salutaris ratione denique uam parum apta sit et accurata in scholis praeceptio, saepe am conquesti sunt graviter periti harum rerum arbitri, neque

opus est, ut copiosa oratione demonstremus. Nam en
mulae illae, quibus describere τὴν μετάνοιαν solent, nec
sunt ad ἀκρίβειαν in docendo necessariam (sunt enim ı
partem figuratae et tropicae) neque conveniunt, uti ł
quidem usurpantur, verae scriptorum sacrorum sententiae
silio. Praeterea enim, quod verba illa omnia, regen
conversionis, renovationis, poenitentiae, sanctificationi
non ita diversa sunt, uti distinguuntur a theologis, qu
iam monuerunt, tota descriptio illius loci convenit poti
nibus iam adultis, peccato deditis, certe multis falsis op
et pravae lubidini obnoxiis, cuiusmodi fuerunt hi, q
Apostoli disputarunt (et Dominus ipse eo loco, quem v
lent ad communem emendationis necessitatem referre Ioh.
v. 3 sq.); sed ad rationem universam, qua homines per
sanctum ad virtutis ac sanctitatis studium perducendi, e
et beandi sint, describendam plane non idonea esse
Quin hoc quoque loco satius erat, saluberrima Domini
officiis praecepta tradere et inculcare, quam formulas e
Apostoli apud illos homines adhibuerunt. Sed pluribus
re exemplis uti idem profecto esset, ac solem, ut aiu
bus illustrare. Satis enim iam ex his, quae in hoc lil
putata sunt, intelligi potest, in constituenda non solun
denda universa doctrina christiana, sed etiam in sing
locis recte intelligendis et tractandis discrimen disciplina
et Apostolorum observandum esse. Quod restat, eius ol
modum in defendenda doctrina divina et in refellendis cr
nibus adversariorum proxime exponemus.

Commentatio Tertia.

Quaerenti mihi multumque ac diu cogitanti, qua tanden
factum sit, ut doctrina divina vel tam acriter et repeti
bus seculis impetu oppugnata, vel non felicius defen
etiam ab his, quibus neque eruditio idonea neque honest
tatis studium defuisset, quum multae aliae sese causae o
vel in rei ipsius difficultate, vel in communi quodam si

ae humanae tam incerta rerum saluberrimarum possessione ɔntis, ut sine magna contentione et perpetuis quasi adver-ı virium pugnis illas diu retinere salvas non possit; tum potissimum, quod adversarii quidem veram doctrinae divinae em non penitus nossent, sed externa veluti specie eius of-rentur, illi autem, qui eam defenderent, saepenumero quid ndendum esset non satis recte intellexisse viderentur. Ab iquissimis enim inde temporibus postquam nativa doctrinae ristianae simplicitas et pulchritudo cessit artibus et studiis sub-itatis humanae atque (uti Erasmus dixit aliquo loco) ubi coe-it esse minus fidei inter Christianos, mox increvit symbolorum it modus et numerus, hoc quasi commune vitium imperavit, sed, quae ad formam doctrinae externam pertinerent, ab rebus uis non satis accurate distinguerentur, sed verborum et for-ularum specie et adversarii offenderentur et deciperentur etiam , qui arcere illorum impetum ac defendere doctrinam divinam cepissent. Et recentioribus quoque seculis eadem causa de-henditur vel impugnatae a multis vel non feliciter defensae ctrinae christianae, imprimis tunc, quum multa doctrinae divi-ı capita nonnullis visa fuissent rationis humanae decretis re-gnare. Hi enim quum e formulis aut virorum doctorum curio-ite excogitatis aut disputantium hominum studio constitutis de ctrina divina iudicarent, etsi multas quidem opiniones humanas e vituperasse visi sunt a recta ratione alienas, tamen, dum ninum vitia doctrinae divinae crimini darent, magna hanc am iniuria affecerunt; illi autem, qui eam defenderent, quum nes formulas illas tueri et a vulgari praecipiendi ratione ne um quidem, ut aiunt, digitum discedere vellent, neque efficere od agendum esset potuerunt, et amplissimum revelatae doctri-ı adversariis obtrectandi locum reliquerunt. Quare dudum, ipso lanchthone auctore, observatum est a pluribus, doctrinam di-ıam non defendi posse melius, quam, si missis opinionum hu-narum commentis et formulis, verum divini servatoris consi-m accuratius explicaretur ad eiusque mentem et sententiam rocaretur doctrina christiana. Illud certe omnium seculorum moria compertum habemus, disciplinae theologicae rationem lgarem ita non aptam fuisse ad defendendam doctrinam Evan-lii, ut qui ab illo subtili et spinoso praecipiendi genere alieni ipsis sacris fontibus et res et argumenta hausissent, hi

omnium optime rem gessisse viderentur. Ac verissime qui Erasmus dixit in fine libelli aurei de ratione verae theolo per illos veteres, qui sapere in evangelicis et apostolicis li quam sophistae esse maluissent, illustratam et defensam Christi doctrinam, quos ita demum patiatur antiquari, si co eorum, qui Christi decreta nescire quam Aristotelis dog ignorare satius duxissent, argutissimis argutiis et subtili subtilitatibus vel unum ethnicum conversum ad Christi fidem, unum revictum ac mutatum haereticum fuisse. Nam ab magnus doctor est, qui pure docet Christum; a divinis oraculis nomen habet theologus, non ab opinionibus homi Sed quum ad veram Christi sententiam intelligendam doctrin que Evangelii recte i. e. ex mente consilioque divinorum rum tradendam utilissimum et maxime necessarium sit, disciplinae Christi et Apostolorum diligenter observare, qui perrime ostendimus, vel hac de causa clarum fore omnibus mus, etiam in defendenda doctrina divina et refellendis plu adversariorum dubitationibus magnam eiusdem discriminis ob vandi utilitatem esse, de quo restat ut nunc exponamus. autem bipartita haec disputatio; primum enim de doctrina di defendenda in universum dicemus, deinde singulis exemplis mur nostrae potissimum aetatis rationem habituri, quando temporibus maxime illius de quo hactenus diximus discri observatione opus esse existimamus.

Primum igitur, quicunque alicuius rei causam suscepe hos haec duo ante omnia spectare necesse est, vel quid quod velint defendere, vel qua ratione defendi possit; nam tuta sit defensio, non honesta voluntas nec multarum vir magnum impendium sufficit, sed causam ipsam perspexisse op tet, quae defendenda est, et rationem, qua felicissime defend utrumque vero in doctrina divina defendenda optime, mea q dem opinione, illius discriminis observatio docebit. Nam il quidem omnes concessuros esse arbitramur, quod totius fere a tiquitatis exempla docent: quum doctrina christiana defend esset, multos ignorasse, quae qualisve esset illa doctrina, cu veritas defendi posset, sed saepenumero, nisi opiniones et do gmata hominum pro decretis divinis habuerint, certe in form disciplinae in scholas theologicas recepta neque ad illustrand divinae sapientiae decreta satis commoda defendenda vanam op

ram perdidisse. Et fuerunt ad nostra usque tempora haud pauci, qui pro divina doctrina formulas quasdam defenderent, et quum formam quandam doctrinae humano arbitrio constitutam omni studio tuerentur, divinam veritatem se defendere crederent. Quemadmodum etiam multi eorum, qui de contemtu fidei christianae conqueruntur et verae religionis raritatem accusant, de formis quibusdam et dogmatibus loquuntur, quae quum pauciores in dies amicos inveniant, ipsius Evangelii ruinam imminere augurantur. Nos autem quamquam non ita ab omni praecipiendi et disputandi subtilitate alieni sumus, quin accurata et promta eruditione ac philosophiae quoque studio vel maxime opus esse putemus his, qui defendere doctrinam divinam voluerint, inprimis nostra aetate, qua cum ejusmodi saepe adversariis res est, qui vel magna eruditionis laude conspicui sunt, vel multarum hypotheseon artificiosissime compositarum specie mirificam subtilitatem prae se ferre aliis videntur, tamen redeundum tandem ad priscam simplicitatem existimamus neque obliviscendum, non hominum commenta neque mutabiles disciplinae formas defendendas esse, sed doctrinam divinam ex ipsis fontibus haustam, non autem ex libris humanis expressam neque humano ingenio exornatam, sed compositam ex mente et consilio servatoris divini. Sed hanc ipsam ob causam, ut intelligatur, quae qualisve sit doctrina divina omni studio defendenda, discrimen disciplinae Christi et Apostolorum observandum esse putamus. Docet enim non solum hoc discrimen veram rationem et indolem ipsius doctrinae, atque singulorum decretorum divinorum veram sententiam demonstrat, ut supra ostendimus, verum etiam aeterna et communia divinae sapientiae decreta a quacunque eorum forma ita secernit, ut quicunque hoc discrimen accurate observaverit, nunquam doctrinam ipsam cum disciplina sive antiquiori sive recentiori commixturus sit. Intelligit is enim, disciplinam omni tempore variam ac mutabilem fuisse, et primis temporibus quoque, quibus nondum certis formulis constricta esset doctrina divina; sed illud quoque animadvertet, aliam esse doctrinae omnibus hominibus divinitus destinatae rationem, aliam disciplinae quibusdam aptae et commodae, aliam ipsorum decretorum divinorum veram et aeternam sententiam, aliud eorum consilium, qui saluberrimis illis decretis primorum auditorum animos imbuerunt. Quod non ita nos intelligi volumus, quasi eorum sententiam probemus, qui cum humanis legibus commiscent decreta divina, ne-

que praeter ea, quae communia sunt universae quam illi quidem dicunt religioni, quidquam vel relinquendum vel defendendum esse existimant. Sciunt enim omnes, divinae sapientiae decreta et instituta, quae non sine magna nominis invidia (uti philosophis nonnullis olim accidit) positiva et arbitraria dici solent, ita sperni a quibusdam, ut si quis ea defendere velit, hunc non operam solum perdere, sed ipsi rationi adeo repugnare atque ad antiquam τοῦ γράμματος servitutem homines dudum emancipandos pessimo consilio reducere velle criminentur. Sed horum sententiam quamquam neque nos probamus neque putamus probaturum esse quemquam, qui divinae doctrinae veram indolem non ex libellis humanis, sed ex ipsis sacris fontibus haustae intellexerit eiusque salubritatem atque aeternam rationem non curiositatis studio, sed ipso usu expertus fuerit, illud tamen certum est, adversus eos, quibus stulta videtur sapientia divina, (1 Cor. I, 23. sq.) ipsius maxime de quo exposuimus discriminis observationem necessariam esse, ut, quae nunquam non defendi feliciter poterit, divinam doctrinam immutabilem neque unquam perituram ex vero divini magistri consilio defendamus. Non formulae enim, sive prudenti consilio olim adhibitae fuerint ab his, qui temporum suorum et hominum quos instituerent rationem habuerunt, sive hominum postea studiis constitutae, defendendae sunt, sed ipsa decreta divina ad omnes homines sive Iudaeos sive Ethnicos instituendos, corrigendos, summaque et immortali spe beandos perpetuo saluberrima et efficacissima futura. Sed quum veram eorum rationem discriminis illius observatio docere videatur, alterum etiam in promtu futurum est, qua ratione defendi optime doctrina divina possit ac debeat. Quanquam enim, qui doctrinam Evangelii contra adversarios defenderent, plurimas rationes excogitarunt, quas neque enarrare singulas huius loci est, neque examinare nunc quidem nobis est animus, sed hoc tamen omnes concedent, hanc defendendae doctrinae rationem optimam esse, eam ut puram ab omnibus studiis hominum et ab rationibus singulis temporum hominumque liberatam ex divina mente Domini exponamus, quo divinam eius vim, pulchritudinem et maiestatem protinus omnes intelligant, quorum a vero sentiendo et probando non prorsus alienus fuerit animus. Nobis enim veterum Apologetarum libros diligenter pertractantibus ingenue fatemur semper hos optime omnium res suas gessisse

visos, qui doctrinae rationem simplicem, quae in Domini ipsius institutione reperitur, tenuissent, atque sine omnibus ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις et subtilitatis humanae artibus, oratione simplici sed gravi, qualis decet oratorem sacrum, effecissent, ut veram nudamque doctrinam intelligere adversarii potuerint. Ea est enim doctrinae divinae praestantia, melius ut defendi non possit, quam si efficiamus, ut rectius intelligatur. Nam ut maxima adversariorum pars hanc potissimum ob causam alieni fuisse a doctrina divina videntur, quod eam aut ipsi non recte intelligerent aut non recte explicarent Theologi, ita etiam et vera genuina doctrinae explicatio optima et tutissima defensio est. Et quamquam, ut modo diximus, eruditione quoque et subtilitate opus est, quando multi ad oppugnandam doctrinam christianam magnam eruditionis speciem afferre solent, et subtilissimis argutiis, suspicionibus et fallacissima coniectura utuntur, ut homines leves et imperitos facillime tantorum ingeniorum ostentatio decipiat, existimamus tamen, et indignum divinae doctrinae defensore esse, uti artibus similibus, tametsi eas sibi ex antiquioribus quidam indulserint, veluti Tertullianus, Origenes et Hieronymus, et longe felicius illorum superbiam deprimi posse, si vere et pure exponatur Evangelium, quod qui recte noverit verum esse statim intelliget. Non eget enim veritas artibus humanis, sed animum promtum et veri amantem desiderat; si recte intellecta fuerit, ut obtrectatores non habebit, ita neque defensoribus amplius indigebit. Sed quoniam doctrinae divinae vera ratio intelligi non potest, nisi, quae necessaria fuit tunc quum primum traderetur, ratio disciplinae distinguatur ab ipsis decretis divinis, quantum ad illius defendendae veram rationem reperiundam illius discriminis observatio valeat, sua quisque sponte animadvertet. Nam Apostolorum quoque disciplina quamvis prudentissima, tamen illis maxime temporibus et hominibus apta fuit; tradiderunt enim doctrinam sic, uti tunc quidem vel intelligeretur optime vel facillime susciperetur; sed haec ipsa doctrinae forma, quoniam nostris temporibus non est apta amplius et a communi sententia decretorum divinorum abducit eos, quibus mores alii aliaeque opiniones fuerint, ad Evangelium omni tempore feliciter defendendum non satis idonea esse videtur. Quare a vera ratione doctrinam divinam defendendi aberrant, qui eam sic defendere volunt, uti olim, aliis temporibus et apud homines alios, vel explicata vel

defensa est. Quin optimam rationem illius discriminis observatio docet, dum ad Christi consilium mentem revocat atque de Apostolorum quoque institutione sic iudicare nos iubet, uti ipsi de se iudicarunt, quippe qui nihil amplius sibi tribuerint, quam quod essent *οἰκονόμοι τῶν μυστηρίων θεοῦ* et *ὑπηρέται Χριστοῦ.* Satius enim profecto fuisset, si quae nostra aetate defendenda essent, ea ratione proposuissent, quae omnibus hominibus conveniret; ea vero e Domini ipsius institutione cum disciplina Apostolorum diligenter comparata cognoscitur. Nam illud quidem facile fuerit ostendere, plurimos eosque gravissimos locos doctrinae divinae tot obtrectatores et adversarios non habituros fuisse, si propositi et defensi fuissent sic, uti vera ipsorum indoles et ratio postulasset, non autem secundum formam eam, quam prudens Apostolorum consilium et hominum illorum ingenia ac mores tunc quidem desiderassent. Sed ne temere hoc dixisse videamur, afferemus exempla quaedam, e quibus intelligatur, quam commoda sit discriminis illius observatio in refellendis dubitationibus et criminationibus adversariorum potissimum his, quae nostris temporibus quam maxime proferuntur. Foret enim longius, omnia ac singula recensere; itaque de nonnullis tantum videbimus.

Ac primum quidem (redeat enim oratio unde egressa est) quas ab initio commemoravimus criminationes eorum, qui doctrinae Christi et Apostulorum dissensum urgere solent, quasi discipuli divino magistro pluribus locis repugnaverint, eius sententiam mutaverint et nova quoque ex opinionibus vel suis vel aliorum addiderint, eae quidem facillime, illo discrimine observato, refelli possunt. Scilicet cum doctrina ipsa commiscetur disciplina et modus docendi, quae si accuratius distinguuntur, protinus evanescit totus obtrectandi locus. Nam quam disciplina Christi et Apostolorum diversa fuerit ob causas quas in primo libello exposuimus necessarias, intelligitur, aequum interpretem hanc sibi legem debere scribere, ut si quam diversitatem reperiat, disciplinae formam ab ipsa doctrina accurate secernat, et rationem docendi Apostolorum de iisdem rebus cum Domini ipsius sententia comparet. Sic enim non rerum et doctrinae, sed verborum et disciplinae discrimen animadvertemus atque in doctrina ipsa maximum virorum divinorum consensum, in dissensu autem summam sapientiam reperiemus. Verum hoc est in promtu et

multis quae supra allata sunt exemplis posset illustrari, si in sole faces adhibere quidquam interesset. Unum tantum adhuc videbimus et sua gravitate illustrissimum et plurimis nostra aetate potissimum dubitationibus vexatum. De consilio enim et effectis mortis Christi fuerunt haud pauci, qui multa secus docuisse Apostolos existimarent quam Domini ipsius sententia tulisset. Sed facile minui potest haec opinio. Apostoli enim de illa re gravissima multa quidem dixerunt, quae Dominus non dixisse reperitur, ob causas, quas in prima commentatione exposuimus; sed in eo, quod summum est, cum Domino plane consentiunt. Dicunt enim et ipsi pluribus locis, Christum mortem oppetiisse eo consilio ac fructu, ut qui fidem ei habituri fuissent, veniam peccatorum et salutem aeternam consequerentur; adeo ut hoc primarium fidei Christianae caput haberi debeat. Sed quemadmodum Dominus aliquo loco (Ioh. XVI. v. 7. sq.) mortis suae et discessus ad patrem fructus quosdam commemoravit, qui ad discipulos potissimum et tempora illa pertinerent, ita Apostoli quoque gravissimam doctrinam illam varie exposuerunt variosque mortis Christi fructos commemorarunt, qui etiamsi saluberrimi fuerint, tamen ad communem illius rei sententiam referri non possunt, veluti de abrogata sacrificiorum necessitate, de sublata κατάρᾳ τοῦ νόμου, de ἀποκαταλλαγῇ τῶν πάντων ἐν Χριστῷ, de expiata ira divina et alia, de quibus Christus nihil dixit, quoniam de morte sua non Iudaeos aut Graecos instituit, sed monuit tantum familiares in universum, aut homines cupidos salutis docuit, quae ad omnes omnium temporum homines pertinerent. In his autem Apostoli prorsus consentiunt neque dixerunt quidquam, quod Domini sententiam mutaret aut de morte Christi secus statuere homines cogeret, quam ipse de ea docuisset omnesque sentire asseclas suos voluisset. Illa autem, in quibus discrepant, ad disciplinam tantum et veluti formam referenda sunt, qua tunc quidem tradi illa res et spectari apud Iudaeos et Graecos debebat. Quodsi multi in hoc capite deprehenderunt nonnulla, quae vix conciliari invicem possent, ipsorum id culpa factum est, quod disciplinam Christi et Apostolorum non satis accurate distinxerunt.

Sed aliud est genus opinionum satis divulgatarum inter eos, qui sunt a doctrina divina alieni, quod vero illo discrimine observato facillime arceri posse arbitror. Inter eos enim, qui doctrinam revelatam impugnarent sic, ut quod huic detraxissent,

rationis imperio addidisse viderentur (cuiusmodi constat fuisse multos, rei invidiam honesto titulo minuendi cupidos), fuerunt haud pauci, qui dicerent, quae propria sint doctrinae christianae capita fidei, ea omnia temporanea esse neque ad religionem pertinere, sed illis tantum hominibus accommodata fuisse. Ex quo genere gravissima fidei christianae capita afferri solent, veluti de Iesu Christo servatore divinitus dato, de eius morte salutari de venia peccatorum, de imperio Domini et multa alia, quae quum negari non possit esse Evangelio propria, dicuntur tamen a quibusdam ad illa tantum tempora pertinuisse, nostrorum autem hominum nihil aut parum interesse. Doctrinam enim, quam Christus et Apostoli tradidissent, manifesto accommodatam esse illis hominibus, qui inertes tunc quidem multisque falsissimis opinionibus occupati doctrinam alia ratione et veluti forma traditam non fuissent suscepturi. Et Christum quidem hoc egisse, ut futuris seculis ex illo quasi semine aliquando purior doctrina nasceretur, postquam e superstitione et erroribus emersisset tandem ratio humana, sed hoc tamen eum dedidisse humanae imbecillitati, ut rebus quibusdam et opinionibus quasi imaginibus usus fuerit, quibus vera rerum species (liceat sic dicere cum Cicerone, quam ἰδέαν Graeci dicunt) vel exprimeretur vel conservaretur, donec illis non amplius opus esset futurum; Apostolos autem aut eadem prudentia usos esse, aut veram Domini sententiam non adsequutos res illas et opiniones pro religionis decretis et ipsos habuisse et tradidisse aliis. Quare quae propria sint doctrinae Christianae, ea omnia ad formam tantum pertinere, neque ad doctrinam ipsam nunc quidem diutius referenda esse. Vident omnes, arbitror, quam gravis sit et fere capitalis haec opinio: ea enim semel admissa, nulla mora est, quin abiectis decretis divinis omnibus doctrinam Christianam cum universali quam illi quidem dicunt religione commutemus. Sed illud quoque in promtu est, hanc opinionem, quemadmodum oriatur ex eo, quod forma doctrinae cum doctrina ipsa commiscetur, ita etiam si discrimen disciplinae Christi et Apostolorum observetur, facillime posse refutari. Oritur enim haec opinio ex eo maxime, quod disciplinam a rebus ipsis qui non satis distinguunt, his occurrere videntur multa non communibus naturae humanae rationibus apta et necessaria, sed certis tantum temporibus et hominibus accommodata; quae ubi cum aeternis rationis decretis comparantur, neque ad

stra tempora amplius pertinere neque ad ipsam referenda ctrinam videntur, si quidem haec semper et apud omnes hones valere debeat. Quae res multos eosque subtiles homines n ita pridem commovit, ut formulas verborum et quasi formas rum cum rationis decretis comparaverint imo nova decreta raonis ediderint, quibus illae formulae convenirent, atque sic ctrinam Christianam honore nescio quanto se affecisse existiaverint. Alii autem eo progressi sunt, ut illa fere omnia ae ipsis displicerent doctrinae christianae capita propria ex lorum temporum opionibus repetere, nonnulli etiam e somniis t commentis Talmudicis explicare voluerint, ne quid peculiare t proprium divinae institutioni relinqueretur. Quod quo iure fecerint, non huius loci est exponere; sed hoc tamen statim ies intelligere arbitror, si discrimen disciplinae Christi et postolorum observetur, locum habere non posse illam opinio. Sic enim demtis iis, quae ad disciplinam tantum pertinuet, vera ipsorum decretorum divinorum indoles et aeterna tio adparebit, eorumque salubritatem ac necessitatem intelligent nes, qui non e somniis suis et immodicis opinionibus, sed a et experientia de naturae humanae indole et necessitatibus icare consueverunt. Illa enim omnia decreta religionis Chriae quamquam olim tradi debuerunt sic, uti ferret ingenium rum hominum, habent tamen sententiam ad omnes homines ituendos, emendandos, erigendos et sanctissima spe beandos berrimam et efficacissimam ideoque ad omnes pertinentem, ibus contigit et contingere potest illud beneficium divinum; test autem πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν. Ac possemus quidem, si disputationis angustiae paterentur, singulis exemplis percurdis efficere, ut intelligeretur, capita illa, quae propria sunt angelio, si e summa Domini sententia spectentur, temporanea beri non posse, modo forma et modus docendi a rebus ipsis tinguatur. Nam ea quoque, quae Apostoli nova addiderunt, oniam, ut statim ab initio dictum est, doctrinam divinam uberius tradere ex mandato Domini debuerunt, quamquam tradita nt forma ea, quae illis temporibus aptissima esset, tamen cum omini sententia optime conspirant, et ad doctrinae divinae naram (οὐσίαν) necessario pertinent. Aeterna enim decreta sunt, ed modus tantum ea tradendi temporaneus fuit; quare illorum pinionem, qui ea omnia ad formam tantum referri iubent, sic

optime arcendam esse putamus, si discrimine disciplinae diligenter observato communem illorum et perpetuam sententiam proponamus doceamusque, illa eiusmodi esse, quae, nisi quis meliorem rationem subterfugere velit, tamquam immutabilia agnoscere debeat et perpetuo valitura. Quodsi quis vel sic putet formam a nobis cum rebus ipsis commisceri, eum meminisse oportet, religionis et rerum divinarum eam rationem esse, ut forma quadam ad imbecillitatem mentis nostrae accommodata et imaginibus carere non possint, donec nos eo pervenerimus, ut quae nunc obscurius praesentimus animo, ea aliquando πρόσωπον πρὸς πρόσωπον conspiciamus.

Sunt denique multi non ab ipsa quidem doctrina divina, sed a formulis quibusdam et rerum formis alieni, quos quoniam vulgaris ratio tractandi decreta divina offendit, adversus ipsam doctrinam crimina proferunt et, quum antiquae formae illae non amplius placeant, res ipsas, ut fit, saluberrimas contemtui habere solent. Et quemadmodum universa doctrina multos, ut supra dictum est, adversarios habuit, quoniam non recte ab omnibus intelligeretur, sic etiam multis criminationibus et ludibrio hominum obnoxia sunt haud pauca fidei christianae capita, propterea quod externa eorum forma et ratio tractandi nostris temporibus non satis apta est. Saepe enim vel praestantissima spernuntur ab imperitis, quum externa species non satis grata est. Im illud quidem ingenue profitemur, nos alieniores esse ab eorum studio, qui imperitorum hominum taedium vincere cupiunt sic, ut ad levitatem et male delicatam vanitatem popularium forment doctrinae divinae capita, atque ut ineptis indoctisve nova et splendida verba aperto ore captantibus placeant, docendi genere ab Evangelii ratione et indole prorsus alieno utuntur. Nam ut decet minime hominem gravem eiusmodi ambitiosa ostentatio, ita etiam operam perdunt imo rem ipsam indies pessumdant magis magisque, qui sic putant eam se commendare posse his, qui torpent ad omnem sensum religionis et rerum divinarum quippe inhiantes tantum rebus terrenis, τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦντες, ἀλλ᾽ οὐ τὰ τοῦ πνεύματος. Vana sunt enim haec omnia, si integer, immortalium appetens bonorum et ad invisibilia adspirans animus desit; aut quae spes reliqua est, si ad cupiditates hominum deflectatur divina doctrina et Lesbia, ut Graeci dicunt, nobis fiat regula? Imo hoc unum videndum est,

t cum Domini doctrina et Apostolorum vera sententia institutio ostra congruat, ut mentem et vitam Servatoris referat, ut sine mui ματαιολογίᾳ divinae sapientiae decretis animos imbuat. Sed quoniam id ipsum docet discrimen disciplinae Christi et Apostolorum, ut in commentatione secunda dictum est, facile intelligitur, eiusmodi offensiones facilius tolli atque ipsa doctrinae livinae capita felicius defendi non posse, quam si tractentur et xplicentur ea ratione, quam discrimen illud ostenderit. Sic nim non dubitamus, quin nullus amplius relinquatur obtrectandi ocus atque gravissima capita fidei tot vel imperitorum vel subilium hominum dubitationibus non sint obnoxia futura. Quas ui formularum auctoritate opprimere magis tentarunt quam certis Scripturae sacrae testimoniis refutare, hi idem plane egerunt, uod facere solent hi, a quorum partibus esse voluerunt, et dum lefendere, quae amplius defendi non possent, voluerunt cupidius, psam divinam doctrinam subtilium virorum suspicioni et levium ominum arbitrio exposuerunt. Ac profecto idem saepe accidit, uod legimus factum esse olim a physicis et astronomis, qui ut alsas rationes suas defenderent, innumeris coniecturae artibus usi sunt, quibus aeterna naturae lex ita obscurata est, ut dudum nte Copernicum meminerimus Alphonsum, Castiliae regem, iactare, e, si Deus ipsum consuluisset, melioris rationis ei auctorem futurum fuisse. Rident vero omnes illius hominis ineptam superiam; sed illud non omnes satis intelligunt, verum, si falsa forma t specie vitiatum sit, ineptissimorum hominum crimina incurrere edum contra doctorum et subtilium hominum dubitationes deendi posse. Scilicet eo iam res devenit, ut multis, qui non vident bonis humanis, universa disciplina Christiana ingentem ut fecisse ruinam aut factura videatur. Quod ne fiat, non exerna antiquae disciplinae specie effici posse videtur, ea enim et lim varia fuit neque unquam perpetua est futura, sed doctrina livina ad verum Christi consilium revocanda et exprimenda elaborandum est.

DE
NOTIONE SALUTIS HUMANAE.

Servatoris natalem celebraturi sumus, *Cives Carissimi*, quo maiorem et potentiorem generi humano neque dedit unquam numen divinum neque daturum est, qui postquam in his terrarum tenebris summa cum virtute vixisset, coelestem lucem repetiit, ut ad laetissimum exitum perducere omnia posset. In cuius mysterii pia recordatione quum nulla res aut frequentius mentibus nostris obversari aut gravius afficere animum possit quam salutis, cuius auctorem et vindicem veneramur Dominum, grata et assidua cogitatio, non veremur, ne ingrata futura sit brevis de salute humana disputatio, eo quidem consilio instituta, ut quod omnes petunt maxime atque exposcunt, id quale quantumque sit, in horum temporum perturbatione multorumque bonorum tristitia accuratius perpendant, qui salutis illius spem a Christo solo repetendam esse his ipsis diebus grati confitentur. Quid enim ad divini illius beneficii magnitudinem intelligendam ipsiusque Servatoris immortalia merita recte aestumanda praestantius, quid ad spem qua nos ille beavit laetissimam aut excitandam aut alendam confirmandamque efficacius esse potest, quam si festorum qui instant dierum verissima gaudia e sempiternae salutis, ad quam et ipsi adspiramus et contendit totum genus humanum, tacita cogitatione colligamus, huiusque mortalis vitae tristitiam et metum futurae incolumitatis coelestiumque gaudiorum exspectatione aut levemus aut depellamus. Nam a felicitatis quidem quam vulgus coeco impetu petit cupidine quamvis purgatos esse oportet omnes, qui in ipsam Domini vitam, quam olim in his terris gessit, intuentur, ipsumque ad sedes beatas reversum animo super res humanas elato prosequuntur; salutis tamen verae spe carere optimus quisque non potest, quin ad finem bonorum totum vitae cursum diriget, rerumque humanarum faustum exitum, quem deus solus daturus est, secure exspectabit. Sed quum vitae huius curae et calamitates ab recta ratione abducant animum atque in diversas partes aut metu aut lubidine rapiant, non mirandum est, multos rebus hisce mortalibus unice intentos, sed a vera salutis ratione alienos et beneficiorum Christi imme-

mores esse, nihilque magis appetere voluptate illa, quam ab omnibus qui ad veram salutem adspiraverint, sperni voluit ipse Dominus, neque meritum Servatoris ita ut par est aestumari ab his, qui ex huius vitae rationibus metiri omnia consueverunt. Nam qui sperarent, fore ut publicae privataeque calamitates, quibus συστενάζει πᾶσα ἡ κτίσις, ad religionem et pietatem reducerent aequalium animos, eorum vanam exspectationem fuisse tempus docuit: neque enim malorum multitudine et vitiorum ac scelerum impotentia, qui recti honestique sensu carent, moneri et corrigi possunt; imo quum perverti omnia vident praesentium malorum sensu torpentes et futuri exitus ignari, a verae salutis ratione magis magisque aberrant.

Neque vero fore quemquam putamus, qui salutis humanae notionem aut a natura in animis omnium perspicue impressam aut a theologis satis iam explicatam existimet, ut a communibus tantum vulgi opinionibus purganda sit. Quamquam enim de salute humana disputari debuerit ab omnibus, qui de religione christiana praeciperent, non veremur tamen, ne temere affirmare videamur, nondum ita expurgatum esse illum locum, ut vel de *notione salutis humanae* inter omnes recte constare videatur. Sunt autem tres potissimum errorum causae, quibus notio salutis humanae haud parum obscurata est, de quibus ante omnia breviter dicemus. Ac primum quidem haud pauci in eo errasse videntur, quod *salutem humanam* cum *felicitate*, quam omnes natura sua appetunt, commiscuerunt. Nam felicitas quidem praesentium bonorum, ad quae appetenda ipsa natura impellit, sensu constat, salus autem in eo cernitur, quod a malis quibus laboramus liberati ad finem summum contendere possimus. Quod si quis dicat eum, cui vera felicitas contigerit, salutis quoque potitum videri, contra a vera felicitate non alienum esse, qui ad finem extremum bonorum liberrime contendat: vera quidem videri haec dubitatio potest, si, quae sit vera felicitas quibusve modis vera salus constet, satis iam certum definitumque fuerit. Sed quoniam felicitatis notio sensu bonorum constat, quibus suaviter afficitur animus, intelligitur, veram felicitatem definiri non posse, nisi, quis sit finis extremus bonorum, explicatum fuerit; quod nulla alia ratione fieri potest, quam si quaeramus, quid necessario ab omnibus omni tempore expetendum sit, non autem quid naturae impetu omnes in hac vita exposcant: id enim tam

incertum est, ut si vel maxime omnem lubidinem voluptatemque a felicitatis exspectatione seiungamus, semper tamen sensus bonorum recurrat hisce tantum huius vitae rationibus aptus et accommodatus, ita ut qui severissime praecipere videantur, hi futuram felicitatem pro voluptatum, quibus in hac vita aut inviti caruerimus aut sponte nos abdicaverimus, supplemento et compensatione habeant. Quae res quantopere universam futurae salutis spem perturbaverit, scire omnes putamus, qui huius vitae incommodorum vulgaria solatia audiverunt. Accedit, quod salutis notio servatorem exposcit, felicitatis autem sensus bonorum usu continetur, ad quae perfruenda sua quisque natura vel invitatus vel aptus videri potest. Quare qui felicitatem cum salute humana (σωτηρίᾳ) commiscent, hi totam causam invertunt, et quantum sit de vera felicitate humana Servatoris meritum, neque ipsi assequuntur, neque aliis morborum et malorum vero sensu carentibus medicum, cuius vulneribus sanati sumus, ostendere possunt. Itaque in tota hac disputatione salutem ab ipsa felicitate ita discernendam existimamus, ut in salutis, cuius auctor, dux et vindex est Dominus, verae felicitatis rationem causamque quaeramus.

Sed alia errorum causa ex communi fere omnium opinione oritur, quod finem extremum huius vitae a futuri aevi rationibus ita segregant, quasi aliud in hac vita, aliud in vita futura tamquam extremum quaerendum et appetendum sit. Quamobrem satis prudenter praecipere videntur, veram salutem non in hac vita quaerendam, sed post mortem exspectandam imo nihil aliud nunc quidem curandum esse, quam ut honeste vivendi recteque faciendi consiliis ad futuram salutem nos praeparemus. Et quoniam ne eam quidem felicitatem, quae huic vitae propria esse videtur, paucissimi consequuntur, ut compescant humanam lubidinem, felicitatem veram salutemque statim post mortem ostendunt nihilque amplius desiderare iubent, quam ut salute frustra in his terris expetita aliquando potiamur. Sed haec de salute et felicitate humana disputandi ratio duabus potissimum de causis vituperanda videtur. Primum enim quum docent, aliud in hac vita, aliud olim tanquam extremum et ultimum expetendum esse, ipsam salutem fere totam ad vitam futuram referunt, ita ut beneficia servatoris, quibus iam in hac vita potiri possimus, aut prorsus negligantur aut non satis recte coniungantur cum rationibus vitae

futurae. Ex quo fit, ut salus, quae iam nunc contingere omnibus vere credentibus potest, fere tota evanescat, aut in merito quodam nostro quaeratur, cuius fructus post mortem demum simus percepturi. Enimvero ea est salutis illius ratio, ut his, qui Christo fidem habuerint, iam in hac vita debeat contingere, neque alia olim exspectanda alia nunc expetenda sit; nam gradu tantum, non natura sua huius vitae vera felicitas a vita beata, qua olim fruemur, differt, imo hic extremus huius vitae finis est, ut salute per Christum parta iam nunc potiamur. Licet enim tanta sit, ut in hac vita contingere plane non possit; tamen omnia vivendi agendique consilia ad hanc salutem iam in hac vita consequendam referenda sunt. Deinde vero et hoc intelligitur, si longe aliud in futura vita bonum ostendatur, quod nunc quidem contingere non possit, futuram felicitatem quasi forma terrena indutam mentibus hominum concipi; etiamsi maxime clament, nullam quae sensus suaviter afficiat in futuro aevo felicitatem locum esse habituram. Nam quae est illa felicitas, qua huius vitae incommoda et mala quae optimus quisque sentit compensentur, nisi suavium voluptatum copia non ex terrenis quidem sensibus ortarum, sed similium tamen his, quibus hac in vita aegre caremus? An quid aliud sibi volunt hi, qui futuri aevi sempiterna gaudia e longinquo ostendunt, ut malorum quae adiacent sensum leniant, hominumque lubidinem voluptatibus obtemperantem maioris et constantioris voluptatis spe coerceant? Quid enim? nisi sensibus ea felicitas suavibus constet, pro miseriae huius vitae compensatione quo pacto haberi poterit? Scilicet expetenda quidem est felicitas; natura enim ad eam quaerendam impellimur; sed non exspectanda est in hac vita imo in o acquiescendum est, ut illa felicitate qua nunc caremus digni imus; neque virtute salus constat, sed felicitate quadam a irtute seiuncta, qua quo quisque honestius vixerit, eo dignior idebitur. At vero quam dicunt felicitatem a virtute seiuntam neque in ipsius animae immortalis indole sitam, sed termi mundi legibus subiectam, quas cum aeterna rationis lege : voluptatum lubidine ipse nescio quis deus aliquando conciliat? Ergo in hac vita hoc tamquam summum expetendum est nice, ut digni simus felicitate, quam licet maxime appetamus, men consequi nunc non possumus? quin ne appetenda est quiem, ne felicitatis causa recte et honeste vixisse videamur, sed id

tantum virtutis studio quaerendum est, ut aliquando consequamu id, quod in hac vita expetiisse fuerit nefas? Fuit iam dudum graviter reprehensa eorum ratio, qui in fragilibus huius vitae bonis futuri aevi felicitatem quaererent; et sciunt omnes, quam superbę supercilia contraxerint nonnulli doctrinam christianam accusantes, quasi felicitatis spe ad recte honesteque vivendum alliceret, imo quod ad futuri aevi beatam vitam virtute adspirare iuberet. Sed hi quidem nihil aliud egisse videntur, quam ut pro praesentibus voluptatibus futuras monstrarent et quae nunc quidem expetere pudor vetaret bona, iis olim certissime potituros esse dicerent, qui dignos se reddiderint felicitate ea, quae virtuti insuper addita bonum consummatum efficiat. Sed istorum hominum falsissimam opinionem ipsius doctrinae christianae vera ratio redarguit, ut postea videbimus. Itaque ad tertiam errorum causam perveniamus, quae locum de salute humana, per Christum parta, mirum in modum obscuravit.

Etenim in definienda salute humana plerumque singulorum tantum hominum rationem habent, non autem totius generis humani, et dum cupidius hoc agunt, ut quomodo singuli salutem per Christum consequi possint, copiose ostendant, quam generi humano universo salutem Servator optimus maximus ostenderit paraverit atque daturus sit, aut obliviscuntur aut silentio praetermittunt. Scilicet de singulorum hominum salute olim in summum discrimen adducta sed per Christum vindicata multa ut par est, disputatio esse solet; sed qua ratione totius generis humani servator Christus exstiterit, aut prorsus negligunt aut ita ostendunt, ut singulorum vita vel naturali morbo inquinata vel propriis vitiis corrupta omnia metiantur. Unde fit ut gravissima Servatoris consilia et mortis quoque, quam ille ὑπὲρ τῆς ὅλου τοῦ κόσμου ἁμαρτίας oppetiit, fructus singulorum tantum hominum vitam salutemque referant satis habeant ostendisse, beneficia Christi omnibus omnium temporum et gentium hominibus contingere posse, licet non omnibus contingant, quoniam non omnibus innotuerint. Sed res ad salutem humanam demonstrandam valde incommoda est videtur duabus quidem de causis potissimum; primum quod illa quaestionem invidiae plenissimam peperit de salute eorum, qui fidem habere Christo non potuerunt, deinde quod magna ope Christi salutaris pars explicari plane non potest, nisi ad toti

generis humani rationes referatur, veluti mors Christi, cuius causae tales fuerunt, ut singulorum hominum salute minime contineri possint, et iudicium, quod vulgo extremum vocant; quod qualecunque fuerit ad universi generis humani exitum spectat, quoniam singulos sortem, quae vitae in his terris actae conveniat, statim post mortem nacturos esse et res ipsa demonstrat et ex ipsorum scriptorum sacrorum dictis haud obscure intelligitur. Quae quum ita sint, notio salutis humanae ita definienda videtur, ut singulorum hominum et totius generis humani ad finem summum perducendi liberatione constet, qua et in hac mortali vita et in sempiterno vitae immortalis cursu ad id, quod omnibus tamquam extremum propositum est, et contendere constanter et propius accedere possint.

Sed ad notionem salutis illius accurate definiendam, quibus ea rebus constet diligenter quaerendum est. Nam quum salutem nobis aut paratam aut monstratam esse dicimus, illud quidem non obscure significamus, a periculo, quod felicitatis iacturam aut afferret aut minaretur, nos beneficio cuiusdam esse liberatos; sed neque huius beneficii ratio neque periculi magnitudo satis intelligi potest, nisi, quid in discrimen adductum fuerit, penitus perspectum habeamus: nam qui ignorant vera bona sua, hi neque quid timendum sit neque quo modo depelli periculum possit, recte intelligunt, sed vana opinati boni cupidine decepti aut inanibus horroribus moventur, aut quod vitare cupiunt discrimen, in id ipsum temere incurrunt. Itaque in salute humana, cuius spem ad Iesum Christum, Dominum et Servatorem nostrum, referendam esse credimus et confitemur, haec tria potissimum spectanda sunt: primum quid sit, quod in discrimen abductum restitui generi humano debuerit; deinde quid attulerit periculum, a quo nos ille vel servaverit, vel effecerit ut servari possimus, denique qua ratione id effecerit aut effecturus sit, ut ex illo periculo erepti summo bono, quod unice expetendum est, potiamur. Sed quoniam, quid timendum sit maxime, incertum est, nisi, quid unice tamquam extremum necessario expetendum sit, certo constet; multi enim vana rerum suarum formidine exagitantur, quum quod temere lubido optaverit sibi, periclitari animadvertunt; intelligitur, universam salutis rationem ad summum illud bonum referendam esse, quod quum necessario expetendum sit, unice ne pereat verendum est; eo enim amisso vere nos miseros existimemus

necesse est. Iam vero statim sese offort illius felicitatis imago, cuius iacturam licet omnes maximopere doleant, tamen lubidine sua decepti paucissimi intelligunt. Et quum Servator optimus hoc egisse credatur, ut felicitate quam dicunt amissa potiri aliquando possimus, ad eamque adspirare omnes iam nunc iusserit, exstiterunt multi, qui vitio id doctrinae christianae verterent, quod ad felicitatem omnia huius vitae consilia retulerit. Quorum opinionem et recta ratio refellit ut ipsius salutis, quam Dominus generi humano paravit, demonstratio redarguit. Principio igitur summum bonum non iis rebus metiendum esse, quibus ad bene beateque vivendum in hac tantum vita opus sit, ab omnibus concedendum est; quin sponte intelligitur, de ea tantum felicitate cogitandum esse, quae necessario expetenda omni aevo sit, ut cui contigerit, is summo rerum suarum fine potitus videatur; neque dubitamus, quin eum tantum verum Servatorem veraeque salutis auctorem dicamus, qui effecerit, ut eo potissimum bono potiamur, quo qui caruerit, is summo fine excidisse putandus sit. Itaque id tantum in hac salutis causa spectandum bonum est, quod a naturae humanae rationibus sempiternis segregari non potest; neque aliud malum timendum est, quam quod illo bono aut nunc careamus aut olim potiri nequeamus, quod per naturae nostrae immortalis legem tamquam summum expetendum est. Quare qui de salute humana disputant, hos de nulla alia re cogitare oportet, nisi quam ipsa naturae aeterna lex demonstraverit, neque bonum aliquod quaerent, quod huius tantum vitae rationibus constet, sed quod in hac vita unice expetendum futuro aevo perdurare imo crescere in perpetuum augerique possit. Ergo abiiciamus opiniones illas, quibus vulgus moveri solet, atque ad immortalia illa bona contemplanda convertamus animum, ne ad felicitatem, quam maxima pars hominum expetit, natos nos existimemus, aut illa bona, quibus nunc quidem dum in hoc mortali corpore degimus, aegre caremus, olim exspectanda putemus. Salus enim illa non hisce bonis restitutis constat, sed immortalibus, quibus et in hac vita potiundum est et olim perfruemur, neque aliud quid servatum nobis est quam quod a summo et necessario naturae humanae fine segregari non potest. Quod quamvis omnes intelligere videntur, haud pauci tamen de hac salute ita loquuntur, quasi de vita in his terris beate agenda quaeratur, ut bonis, quibus nunc potiri nequeamus, futuro

evo fruamur. Scilicet felicitatem olim exspectandam eiusmodi ionstrare solent, quae gaudiis constet ab ipsius animae immoralis indole seiunctis, quibus insuper additis huius vitae incomioda compensentur, quibusve felicitatis iactura, quam in hac erra fecerimus, abunde resarciatur. Ex quo fit, ut doctrinam hristianam ob felicitatis propositae studium accusare nonnulli oleant; alii autem hoc tantum expetendum esse doceant, ut illa elicitate digni fiamus; quo nihil ineptius dici potest. Etenim si iusmodi felicitas nobis proponeretur, quae ab ipsius animi virnte vel cogitando separari posset, felicitatis a summo naturae iostrae fine alienae studio illi quidem recte offenderentur; sed iusmodi felicitate quo pacto digni evadere per virtutis studium ossimus tanto minus intelligi potest, quanto magis animi bona ib illa felicitate sunt aliena. Sed quum talis felicitas proposita uerit, quae immortalis tantum animi bonis constat, assequi non ossumus, quo iure doctrinam Christianam reprehendant, quod id hanc felicitatem adspirare huiusque consequendae causa recte et honeste vivere iusserit. Est enim haec felicitas cum ipsa naurae immortalis lege et indole ita coniuncta, ut qui eam expeat, is nihil aliud quaerat, quam quod quaerere optimum quemque oportet, quoniam nisi id assequutus fuerit, ipse animus imnortalis suis bonis careat necesse est. Itaque quum eiusmodi elicitas proponitur, ad id tantum quaerendum incitamur, quod mni studio expetere ipsa ratio iubet, neque aliud est felicitatis ausa honeste vivere, quam, quod unice et necessario expetenlum est, recte et honeste vivendo quaerere sive expetere id, quo it potiamur ipsius virtutis suprema lex est. Iam vero nihil facilius est, quam ut demonstremus, salutem, quam a Christo speamus, ad eiusmodi felicitatem unice referendam esse neque aliis onis restituendis et recuperandis constare, quam quibus animus mmortalis a vitiis purgatus viriumque suorum liberrimo usu beatus indiesque beatior futurus nunquam exsatietur, quibusque in sempiterno vitae cursu magis magisque perfruendis sola imnortalitas sufficiat. Sive enim supremam quam Servator tulit vivendi legem spectemus, hoc propositum esse omnibus intelligimus, ut fiant τέλειοι ὡς καὶ ὁ πατὴρ τέλειός ἐστι, i. e. ut quemadmodum supremi numinis natura est perfectissima, ita et homines ad suae naturae immortalis summam perfectionem contendant; sive felicitatem ipsam promissam contemplemur, nihil

terreni, nihil gratum lubidini, nihil nisi immortalia animi immortalis bona ostendi videmus, neque felicitatem, quae dolorum vacatione aut voluptatum copia constet, in hac vita promitti, sed animi integritatem, vitae puritatem, virtutis constantiam, ut et voluptatibus huius mundi sine dolore carere, et huius vitae incommoda, quae non paraverimus ipsi, animo super res humanas elato et ad immortalia bona adspirante perferre ipsamque vitam superare possimus. Quamquam enim vera felicitas, qua recuperanda et consequenda salus illa cernitur, in libris sacris saepius describitur imaginibus rerum, quibus vita haec mortalis beata putatur, veluti quum *βασιλεία, δόξα καὶ τιμή* et *κληρονομία* vocatur, tamen obscurum esse non potest, quid sub imaginibus illis quaerendum sit; neque desunt alia loca, ex quibus de vera felicitate vere existimare possimus. *Ζωή* enim *αἰώνιος*, cuius auctorem et sponsorem Servator se ipse professus est, quae sit felicitas proposita aperte declarat. Ut enim vera vita non voluptatum quibus pessimus quisque abundare potest fructu, sed animi recti sibi conscii et virium immortalium usu gaudentis vi et efficacia constat, ita etiam *ζωὴ αἰώνιος*, cuius auctorem se Dominus dixit, haec ipsa vita vera existimanda est. Neque ea *ζωή* temere *τῷ θανάτῳ* opponitur, quippe vita illis bonis privata vera mors putanda est; mors enim aeterna, cui nos eripuisse Dominus dicitur, non vitae aeterna privatione, sed vita misera constat, de qua etiam nunc improbis metuendum est; vitae beatae enim non mortis perpetuitas contraria est, sed miseria perpetua, seu *ἀνάστασις κρισέως*, quae manet impios, quemadmodum probos *ἀνάστασις ζωῆς*. Itaque Dominus ipse *ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων*, inquit *ἔχει ζωὴν αἰώνιον καὶ εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται, ἀλλὰ μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν*. Hanc enim *μετάβασιν* iam in hac vita locum habere proxime sequentia docent et loca similia aperte demonstrant. (Rom. XI, 15. Ephes. II, 1. col. v. 5. Coloss. II, 13.) Sunt enim vere *νεκροὶ* veraque vita privati, si in vita vitiosa et flagitiosa voluptatibus superfluerent, qui carent illa *ἐλευθερίᾳ*, in quam nos *ἡ ἀλήθεια* vindicabit. (Ioh. VIII, 32.) Nam *ἀνάπαυσις* illa, qua iam in hac vita veros cultores suos potituros esse dicit (Matth. XI, 29. 30.), non onerum laborumque immunitate constat immo in eo quaerenda est, quod *ἄραντες τὸν ζυγὸν τοῦ κυρίου* miserae illius militiae quam Paullus (Rom. VII, 14. sqq.) egregie de-

scripsit vacatione perpetua fruamur; quae quum nemini plane concessa sit, dum habitamus in hoc corpore *τοῦ θανάτου τούτου*, olim *τοῖς πιστεύσασι* certissime continget. (Hebr. IV, 3. sqq.) Ex quo intelligitur, salutem illam, cuius auctorem Dominus se haberi ab omnibus voluit, et huius vitae vera felicitate recuperanda cerni neque aliis contineri bonis, quam quibus necessarius naturae immortalis finis terminetur. Quid enim sibi volunt coelestium gaudiorum imagines, quid sedes beatorum apud patrem, quid illud imperium cum Christo, quid adspectus dei, quid bonorum omnium ipsorumque angelorum suavissima consuetudo? nempe id unice exspectandum esse, ut animus immortalis naturae suae perfectione beatus summo et necessario bono suo in vitae perpetuitate potiatur.

Sed quoniam rerum terrenarum voluptate ita plerumque ducitur animus, ut in illarum restitutione salutem quaerendam esse putet, illud quoque videndum est, quid sit, a quo liberati aut liberandi per Christum in scripturis dicamur; hac ipsa enim liberatione salutem constare necesse est; nam ubi salutis est desiderium, ibi oportet esse pericula et mala, quae verae felicitatis iacturam minentur; ergo ex his ipsis periculis aut malis vera salus cognoscitur. Itaque obscurum esse nemini dubiumve potest, in libris sacris universam salutem opponi miseriae quae ex peccato nascitur, hominesque servatos dici propterea quod a peccati pernicie liberati ad veram felicitatem adspirare possint. Nullum enim verum malum dicitur quam quod ex peccato natum sit, neque verum bonum ostenditur, quod cum peccato coniunctum esse possit; tota salus ad verae felicitatis iacturam refertur, quae ex peccatis et vitiositate oritur. Quemadmodum enim per unum hominem peccatum initium habuit et cum morte totum mundum invasit, quoniam omnes peccarunt, ita etiam per unum Servatorem salus restituta est atque omnibus peccato miseris contingere per fidem potest, neque aliam sperare licet salutem quam quae liberatione a peccati pernicie constet. Enimvero haec ipsa pernicies non rerum terrenarum iactura, sed animi malis cernitur; animus enim vel imperio peccati magis magisque corrumpitur vel ipsis vitiis et perversitate sua tanta sibi mala necessario contrahit, ut et in hac vita miserrimus sit et olim perpetuas impietatis poenas sit daturus. Quorum malorum magnitudinem et vim ipsius peccati natura et immortalis animi

vera felicitas ostendit; quamquam eam non omnes recte [illegible] quuntur ideoque quum morbum non satis norint, neque [illegible] ita ut par est aestumare solent. Nam illud quidem om[illegible] telligunt, mala quae ex peccato oriantur felicitatis iactu[illegible] stare; sed quoniam de hac ipsa felicitate non recte senti[illegible] malorum quoque illorum notione solent errare. Licet ei[illegible] gari non possit, externam quoque vitam peccato miseram [illegible] neque terrena mala reperiri, quin aut orta sint ex perve[illegible] hominum aut per eam fiant graviora, neque sine virtute [illegible] vere beatam cogitari posse, tamen non externae felicitatis i[illegible] peccati pernicies constat, sed animi corrupti, vitiorum [illegible] inquinati et a summo bono alieni miseria cernitur. Qua[illegible] nihil nos vere miseros reddere nisi peccatum dicitur, [illegible] huius vitae calamitatibus quamvis acerbis mali quidquam [illegible] immo maxima ex iis commoda nasci his, qui virtute [illegible] ad veram salutem constanter contendant. Ut enim nihil [illegible] nihil miserius eorum conditione esse potest, qui propter [illegible] sua habent quod de felici rerum suarum exitu desperent [illegible] que sanctitatem iustissimi numinis, a cuius voluntate et co[illegible] fuerint alienissimi; sunt enim ἐχθροὶ τοῦ θεοῦ οἱ νεκροὶ τ[illegible] παραπτώμασιν; ita etiam vera salus locum non habet, nisi [illegible] ctum fuerit ut miseria illa ex peccato oriunda prorsus tolli [illegible] quando possit. Itaque ex illorum malorum natura, a qu[illegible] Servator homines ut liberari possent effecit et ut liber[illegible] omnes aliquando efficiet, salutis ipsius notio quam supra ex[illegible] cuimus aestumanda est. Atque haec summa et communia v[illegible] felicitatis humanae impedimenta ac pericula cum ipso opere S[illegible] vatoris comparanda sunt, quod et olim in his terris peregit [illegible] nunc peragit et peracturus est usque ad finem rerum huma[illegible] rum. Nam quae Christus in hac mortali vita fecit et passus [illegible] ex voluntate patris, quemadmodum rationem unicam demonstra[illegible] qua, peccati miseria sublata, et singuli homines ad veram sa[illegible] tem adspirare possint et totum genus humanum, cui nova l[illegible] per Christum affulsit, ad altiora perducatur, ita etiam pote[illegible] summa et maiestas, qua nunc fruitur Dominus, in rebus huma[illegible] ad felicissimum exitum aliquando perducendis cernitur. Itaque ad salutis humanae notionem recte definiendam et quae sint vera[illegible] felicitatis impedimenta et quibus modis per Christum aut sublata fuerint aut tolli possint diligenter cogitandum est. Postremo

ipsius Domini exemplum intueri idemque felicitatis genus ille nunc fruitur exspectare iubeamur, vel sic obscurum esse potest, ad quam salutem adspirandum sit. Christus enim na maiestate potitus est, non ut otiosis gaudiis nunc fruatur, ut Servatoris munere plane perfungi omniaque consilia di- perficere possit; neque vitae summa cum virtute olim per- e aliis praemiis gaudere dicitur, quam hac ipsa plenissima ntia, qua ad beandos homines totumque genus humanum ad um rerum suarum exitum perducendum utitur et, donec sum- muneris sui finem consequutus fuerit, perpetuo est usurus. re homines quoque futuri aevi felicitatem par est non aliam ectare quam ut animi immortalis virtute, qua vel haec vita e est beata, olim ad summum naturae suae finem contendant um liberius et felicius id facere possint, salute vera in omni e perpetuitate magis magisque potiantur.

DE

METU MORTIS INTER CHRISTIANOS.

---

imum ad immortalia erectum quum omni tempore Christianos ere deceat, tum his diebus potissimum, *Cives Carissimi*, qui- Domini nostri Iesu Christi resurrectionem celebraturi sumus. ue quod saepissime mirari solemus, tantum esse inter Chri- nos mortis metum, ut spe futuri aevi carere videantur, id e fiat et quam indignum sit fide nostra, hoc festo tempore due perpendamus mentesque nostras aut praesenti rerum hu- arum facie perturbatas aut futuri temporis inertibus tenebris erritas ad spem beati rerum nostrarum exitus, quam coelitus tam mortalibus suo in vitam reditu Servator planissime de- istravit, laeti advertamus. Nam inter Christianos maiorem tis metum quam inter eos imperare, quibus aut nulla aut in- issima spes immortalitatis fuit, et populi lamentationes et rum magistrorum consolationes ostendunt. Et vulgus qui- hominum rebus praesentibus inhiantium hoc metu agitari o mirabitur; quamquam mens vana metu misera minime decet

Christianos, qui spe certissima immortalitatis a pueritia imbuti sunt; sed quos et huius vitae rationes et futuri aevi beatiorem conditionem accuratius perspexisse veriusque aestumasse oportet, hos, licet magnos nonnunquam animos sumant verbisque magnificis mentes hominum erigere videantur, tamen neque ipsos a metu mortis liberos esse, et aliis mortis, tamquam summi et extremi mali, solatia afferre, id vero neminem fore putamus, qui aequo animo ferre possit. Quod si quis temere illos accusari putet, legat orationum sacrarum volumina, evolvat deinde veterum poetarum et philosophorum libros, ut, quid de morte christiani magistri, quid pagani dixerint, cognoscat: reperiet is vero in uno christianarum orationum volumine tot et tam miseras de vitae brevitate mortisque violento imperio declamationes et querelas, quot in omnibus Graecorum Romanorumque libris frustra quaesiverit. Sed dicat aliquis, homines illos de morte eiusque causa et de futurae vitae rationibus non tam accurate cogitasse ideoque, quod certum esset omnibus, sprevisse, sed quod incertum videretur, non magnopere curasse. Quae excusatio etsi apud omnes ferri posset, sed frustra tamen ea uterentur magistri christiani. Nam quum illi, quos causam mortis ignorasse dicunt, mortem ipsam vel propterea non anxie metuendam esse putaverint, quod effugere ei nemo posset; qua tandem ratione vanum mortis metum hi excusabunt, qui nisi causam mortis melius cognitam habeant, certe hoc verius intelligunt, cur mors timenda non sit? nam inevitabilem moriendi necessitatem esse aeque atque illi perspiciunt. Deinde quum dicunt, futurae vitae rationes non accurate perspexisse paganos, frustra hanc nostram rerum futurarum maiorem curam obtendent, quum quo certiora sunt ea omnia, eo minus deceat mortem metuere, quam rebus hisce mortalibus tantum nos eripere sciamus: nam aut omnino non metui mors debet, aut propterea metuenda est, quoniam, quid post eam eventurum sit, aut incertum aut triste est. Sed ordine omnia persequamur, ut metus ille, quam vanus et homine christiano indignus sit, ab iis, quos *τὴν ἐλπίδα τὴν ἀποκειμένην ἡμῖν ἐν τοῖς οὐρανοῖς* certiorem habere oportet, ex ipsis huius metus causis intelligatur.

Primum igitur, quemadmodum omnis fere metus ex futuri mali incerta imagine nascitur, quae quo obscurior fuerit, eo maiori aegritudine animum afficit, ita etiam mortis metus haec

rima causa est, quod malum ipsum incertum est, quod mors fferre videatur. Plerique enim etiamsi negent, se aeternum itae interitum metuere, tamen mortem ipsam metuunt et unc metum excusant, quod malum tamen sit mors, licet aniıae non afferat perniciem. Sed hi aut prorsus vana imagine terrentur, aut quid metuant, ipsi ignorant. Nam si morem malum esse dicunt, aut quod moriendum sit, per se malum atent, aut quod mortem consequatur, malum metuant necesse st. Sed quum ipsi concedant, malum non esse, quod mortem onsequatur, propterea quod vitae perpetuitatem tollere mors non ideatur; nihil relinquitur, quam ut moriendi necessiatatem seu ortem ipsam malum quod metuendum sit, dicant. Nam aut niil plane in morte metuendum est, aut ipsa mortis necessitas: egant enim, se metuere, quod ex morte nascatur. Verum hanc psam moriendi necessitatem malum esse dicunt, eamque non som adversam naturae, sed propterea potissimum invisam, quod a non divinitus instituta, sed vitio hominum orta sit; ipsam utem mortem i. e. vitae huius interitum naturae maxime adersari, quippe ad vitam conservandam animalia omnia summo npetu ferantur. Sed hoc loco quid sibi velint ipsi nescire identur. Quum enim concedant, ex morte nihil mali nasci; eque possunt hoc concedere magistri christiani; intelligi on potest, qua de causa mortalitatem malum esse dicant, nisi, uod non simus immortales, miseros nos esse existiment. am moriendi necessitas malum dici per se non magis potat, quam necessitas nascendi, nisi ex morte miseria conequatur. Ergo, quum de mortalitate conquerimur, aut nois ipsis repugnamus et contraria metuimus his, quae credere os iactamus, mortem animae nullum damnum afferre, aut psum huius vitae interitum seu animae a corpore seiunctionem etuamus necesse est. Multi igitur incerto metu agitantur, ive quod moriendi necessitatem cum morte ipsa mens eorum aeco metu perterrita confundat, sive quod mortis dolores versentur; quod tamen pauci sunt qui velint fateri. Itaque ortem metuunt maxime, qui, quid in morte metuendum sit aut etui possit, non distincte cogitant; quoniam eorum animis conusa rerum futurarum imago et mortis dolorum praesensio obersatur, qua quum reliqua animalia careant, parum abest quin omines brutis miseriores videantur. Quod si hoc dolorum cum

animae corporisque separatione coniunctorum metu tantum ipsi mortis metus constaret, aequius hunc ipsum metum ferrent, qi diuturnas vitae calamitates timide et impatienter recusant: se quum omnes mortem tamen metuant, certum est, eorum animi incertam quandam et confusam imaginem insidere, quae partim illorum dolorum sensu, partim earum rerum, quae mortem sequuturae sint, coecis tenebris eos terreat, atque eos quoque morti metu excruciet, qui spe immortalitatis maxime glorientur. A ipsa haec moriendi necessitas malum est, quoniam mors est cum doloribus coniuncta. Ergo etiam nascendi necessitas, et ipsa vita malum est, quippe quum illa mortem haud raro et parienti bus et nascentibus afferat, vita autem saepius sit miserrima morte miserior. Sed ut stultum dicant omnes, qui quod nescit quantum sit, tamquam summum malum metuat, ita etiam dolorum illorum timore mortis metus excusari non potest, quum, quanti futuri sint dolores illi, neque ex moribundorum quorundam vultu, eiu lationibus et palpitationibus certe coniiciatur, neque eorum intelligi exemplis possit, qui inter cruciatus animam efflant. Nam ipsis medicis auctoribus sensus animae iam ablatus esse creditur ut corporis moribundi motus doloresque non sentiantur amplius neque cruciatus illi naturae lege nascuntur, quum paucissimi naturae lege moriantur. Denique quum corpus aut vita delicata et a naturae simplicitate aliena aut voluptatibus corruptum non sine doloribus dissolvatur, non mortem ipsam, sed vitia nostra accusare oportet, quibus, ut omnia vera mala nascuntur, ita etiam efficitur, ut mors caedi quam somno placido similior videatur. Enimvero fanaticorum illorum somnia, qui in morte summam voluptatem sentiri dixerunt, quippe quod anima omnibus vinculis soluta summam libertatem subito sensura esset, longe tolerabiliora videntur eorum sententia, qui quod nesciunt quantum sit futurum, id tamquam summum malum metuendum esse existimant. Ridentur enim quidem a nonnullis Stoici, quod negaverint, dolorem esse malum. Sed hi potius ridendi imo deplorandi videntur, qui dolores, licet maximos, brevissimos tamen futuros, tamquam extremum malum metuunt, et quum Christiani ἐλπίδα ἔχοντες dici velint, tamen ob dolores, quos non norunt, vitam, quam neque sapienter neque prudenter pertulerant, morte, si numen summum iusserit, finire recusant. Licet enim corporum, quae

et sensu gaudent, ea lex sit, ut dolorem aversentur, nemo tamen humano quidem sensu praeditus, nedum τῷ πνεύματι imbutus, mortem propterea malum esse putabit, quod cum doloribus coniuncta sit. Nam si vere quidem malum dicitur, quod naturae cuiusque fini summo et necessario repugnat: neque dolores malum dici possunt, quoniam finem, quem in corporibus vita praeditis natura sequitur, non tollunt, neque mors ipsa, etiamsi cum maximis doloribus coniuncta sit, malum haberi potest: non est enim corporum naturae contraria; quippe omnium corporum vita non ad perpetuitatem, sed ad interitum, sua ipsorum natura necessario feratur. Quod si quis malum dicere velit, quod naturae impetum reprimit et a quo brutorum hominumque lubido abhorret, etiam fortitudinem, temperantiam, castitatem, ipsamque virtutem malum dicere oportebit; sunt enim naturali lubidini non minus quam corporis dolor contraria. Sed haec quidem omnia apud scriptores, quos profanos dicere consueverunt, tam praeclare exposita leguntur, ut pudori sit, ea repetere apud homines christianos. Quamquam neminem esse putamus, qui vere affirmare possit, se ob dolores tantum cum morte coniunctos mortem ipsam metuere, quin fateri cogatur, se mortem vel placidissimam somnoque simillimam aversari. Ex quo intelligitur, mortis metum nullo depelli pacto posse, nisi, quid metuatur aut metuendum sit, accuratius cogitemus animoque ab illis confusis sensibus liberato veram mortis imaginem concipiamus.

Sed quoniam haec communis potius causa videri potest, cur omnes mortem metuant, quum non Christiani tantum, sed omnes mortales dolorem aversentur incertisque futuri mali terroribus exagitentur, nunc eas causas exponamus, cur Christiani potissimum mortem metuere videantur. Sunt autem tres potissimum illius metus causae, de quibus singulis breviter dicemus. Ac primum quidem satis constat, omnia, quae mortem hominis aut antecedunt aut sequuntur, longe tristiorem apud Christianos quam apud Graecos et Romanos faciem habere, ita ut Christianorum animi a pueritia truces imagines concipiant tetroque mortis vultu per totam vitam terreantur. Erant enim quidem apud Romanos et Graecos quoque planctus mortuorum, lamentationes, conclamationes, lacrymae, funerumque tristia solemnia; sed haec omnia ex pietate, amore, desiderio potius, quam ex magni mali, quod ipsi mortuo accidisset, cogitatione oriebantur; non mortuum esse

illum plerumque dolebant, quasi mali quid ille passus esset, sed quem diutius vivere vel amoris vel publicae utilitatis causa voluissent, eum rebus suis ereptum esse querebantur: et licet florem aetatis praematura morte periisse merito deplorarent, neque tamen illi lumen vitae ademtum, sed sibi non diutius splenduisse dolebant. Pleni sunt veterum poetarum et philosophorum libri huiusmodi querelis; neque fore quemquam putamus, qui hanc potissimum luctus causam apud Graecos et Romanos fuisse ignoret. Denique ipsa mortis imago quam suavis fuit, quam grata iuvenis forma, quam blanda appellatio! (Iliad. π, 681. 682.) Sed secus omnia apud Christianos habentur. Nihil ibi laeti, nihil quod sensum propriae iacturae dolore affectum erigat; tristia, horrenda, foeda omnia; ipsa mortis teterrima imago. Atque haec mortis imago, a qua veteres, licet ipsam mortem satis tristibus verbis descripserint, tamen prorsus abstinuerunt, (vid. Lessing de imag. mort. apud Veteres, in Opp. Tom. X. p. 105. sq.) a pueris terret animos, et larvae nudis ossibus cohaerentis adspectus tacito horrore mentem perfundit. Nemo est enim, quin eiusmodi imaginibus, quas olim puer conceperit, magis minusve commoveatur, postquam timere eas dudum desierit. Sed id ipsum mirum videri potest, qui factum fuerit, ut Christiani potissimum tristiores, imo foediores, mortis imagines habeant metuque mortis vehementius hanc ipsam ob causam exagitentur. Itaque eius rei causas alias quaerere necesse est.

Est vero communis haec fere omnium opinio, moriendi necessitatem mortemque ipsam non naturae lege divinitus imperatam, sed vitio hominum exortam poenamque peccati esse. Quae opinio quum ex ipsa Scriptura sacra petatur, non mirandum est, Christianos magis mortem timere, quam tamquam poenam peccatorum aversari ab ipsis magistris edocti didicerint. Nam quam mortem poenam esse putamus, eam metuere necesse est, quum nemo non poenam metuere possit. Itaque hanc gravissimam illius metus causam esse putamus, quod mortem peccatorum poenam esse Christiani credant ipsique magistri demonstrent, ut parum absit, quin ipsam doctrinam divinam, quamvis ad hominum animos immortali spe imbuendos revelata fuerit, mortis metum auxisse dicamus. Concedunt omnes enim et ad mortis metum excusandum defendunt, non naturale malum, sed vitio hominum natum, sed poenam peccatorum mortem esse; a qua quidem opinione pagani omnes

alienissimi fuerunt. Nam licet nonnulli veteres philosophi vitam ipsam, quam in hoc mortali corporis carcere anima agere cogatur, poenam dixerint, nemo tamen mortem poenam peccatorum esse putavit. Terret igitur Christianos illa opinio, terret poena haec peccatorum, terret mors ipsa, quam maius malum peccato ipso existimant. Ergo mortis metus, quo plerorumque vita perturbatur, culpam habere Christi et Apostolorum doctrinam dicemus? ergo coelestem doctrinam, qua homines, ab harum mortalium rerum cupidine et metu liberati, ad spem immortalem excitandi erant, accusabimus, quod misero metu vitam humanam perturbaverit, quod mali inevitabilis cogitatione perterritos animos, vix ac ne vix quidem consolari possit? Sed absit hoc, per Deum immortalem, ipsumque Dominum, vindicem spei nostrae immortalis; absit ut, quo miseriorem vitam reddere nihil potest, metus illius culpam in laetissimam Evangelii doctrinam conferamus. Quid enim? etiamsi concedendum fuerit, moriendi necessitatem vitio hominum exortam esse, num mors ipsa maius malum haberi poterit? Licet enim illum communem mortis fontem esse putemus, nulla tamen causa est, cur ipsam mortem, nisi ipsa malum sit, magis metuendam censeamus, quam si naturae lege moriamur. Neque enim dolores mortis augentur, neque ipsa mors maius videri malum potest, etiamsi ex peccato orta fuerit. Nam quod poenam dicunt malum, quod ex peccatis nascitur, ideoque mortem, tamquam malum, metuendam esse, id quam vere dicant, non intelligitur. Etenim quum id tantum malum dicendum sit, quod naturae fini contrarium est, mors, quamvis ὀψώνιον τῆς ἁμαρτίας habeatur, tamen malum haberi non potest, nisi ipsi naturae immortalis summo bono eam adversari demonstratum fuerit. Sensum enim iniucundum et dolores mortis non magis quam vitam ipsam malum dicere licet. Sed poena mors est, ergo malum est. Imo ne poena quidem, sed peccatum malum est; poena enim, ut aiunt, ad homines a peccatis purgandos divinitus infligitur, neque malum est, quo id, quod naturae nostrae fini contrarium est, peccatum depellendum est. Ergo neque mors, licet τέλος τῆς ἁμαρτίας sit, malum dici potest; est enim ad animum immortalem ab huius vitae sordibus purgandum nihil morte praestantius. Quodsi hominem, impure et flagitiose viventem, voluptatibus, quibus se beatum putat, vel invitum eripi, nemo malum esse existimat, etiamsi aegerrime hoc ab initio tulerit, quidni mortem pro

beneficio habeamus, quae, nisi turpi et inhonestae, ce coecae et lubricae vitae nos omnes eripiat, animamque, immortalia natam, rebus hisce dubiis exemtam, in veram lib tatem vindicet. Denique, quum peccati miseria in eo qu renda sit, quod animam a summo naturae immortalis fine ducit et vera vita privat hominem, intelligi nequit, q pacto mortem malum dicamus, quod ex peccato oriatur; que enim mortis et animae quaedam societas est, neque qu peccatum est, corporis interitum sequi necesse est; mens en non corpus, peccat. Itaque si verum esset, quod vulgo as runt, moriendi necessitatem ex peccato ortam esse, inde tam non sequeretur, mortem eiusmodi malum esse, cuius cogi tione metum mortis excusare queamus, nisi mortem mal aliquod afferre animae putemus; quod quantopere τῇ πίστει, ᾗν ἐκλήθημεν, repugnet, nemo non intelligit. Sed facile monstrari potest, opinionem illam Christi et Apostolorum auc ritate frustra defendi. Nam illos quidem in Geneseos libris lo non veremur, ne quis nobis obtendat, qui fidei christianae c sas, non ex libris Iudaeorum, sed ex Apostolorum scriptis re tendas esse sciat, et, quam ambigua sit illorum locorum in pretatio, intelligat. Quamquam sine magno labore ostendi pot hos locos, etiamsi verba omnia premantur, veterum theologor sententiam nullo pacto comprobare. Docuerunt enim, corpus hu num, antequam Adamus peccasset, immortale, certe non huic m obnoxium fuisse, sed per Adami illud unum peccatum mortale c pus factum, omnibusque posteris Adami, vel propter naturae c ruptae hereditatem, vel propter peccati consortium, moriend esse. Enimvero minae illae, licet verissimae habeantur, tamen illos modo homines, imo ad Adamum tantum, ne ad mulier quidem, pertinent; sed omnes Adami posteros per illud peccat mortales factos esse, nullo modo ex iis concludi potest. Ne temere mortem futuram deus praedixisse narratur; sed causa dita, quae corpus Adami natura sua mortale fuisse clare dem stret. Dicitur enim, Genes. III, 19.: non sine multo lab victum quaeres, donec in terram redieris, ex qua formatus (Genes. II, 7.) *nam pulvis es, et in pulverem redibis.* Q enim veteres theologi dixerunt, nisi Adamus peccasset, hom certe non huic morti subiectos futuros, sed alio modo ex vita migraturos fuisse, id neque quale sit, intelligitur, neq

ipturis potest demonstrari. Nam si anima sola, relicto corre, ad deum reditura fuisset, quid corpori eventurum fuisset, n perspicitur; corpus enim, anima privatum, desinit esse corpus manum; sin animam cum ipso corpore ad sedes beatiores evoaram credamus, verendum est, ne corporis certe reliquiae quaem et crassiores particulae, quae afferri in coelum non possint, putredinem abiturae fuisse videantur. Verum haec de immoritate hypothetica, quam dixerunt, opinio, nullo scripturae sae testimonio defendi potest; nullus est enim locus, ex quo ncludi queat, homines, nisi Adamus peccasset, alio modo ex c vita fuisse decessuros. Sed quum viderent theologi, etiamsi amus non peccasset, tamen fieri non potuisse, ut omnes homis semper in hac terra remanerent, quoniam vitae humanae in terris perpetuitati, corporisque verae ἀφθαρσίᾳ, ipsa natura ugnaret, certe de suaviori discessu et migratione commodiori gitandum, imo somniandum esse putarunt. At vero in libris T. docetur, mortem, per peccatum ortam, esse τέλος et ὀψώον τῆς ἁμαρτίας, atque hoc maximum esse Christi beneficium, od a mortis tyrannide nos liberaverit, certumque fecerit, resurtione sua, quemadmodum cum Adamo omnes moriantur, ita m omnes in vitam esse cum Christo redituros. Sed salva est. Quamquam enim haec omnia dicuntur in libris N. T., nen, si accuratius examinantur et cum universa ratione beneorum Christi comparantur, longe aliam sententiam produnt, et nime probant id, quod ad mortis metum excusandum afferre ologi consueverunt. Et quoniam vulgaris opinio est, Christi summum beneficium esse, quod a morte aeterna nos liberait, ne quis minus magnifice de merito Servatoris nos sentire et, ante omnia videamus, quale sit hoc beneficium Christi. mum igitur θάνατος saepissime τῇ ζωῇ αἰωνίῳ opponitur; ic Christus nobis paravit; ergo a morte quoque nos liberavit. l ζωὴν αἰώνιον, si θανάτῳ opponatur, non vitae perpetuitai, sed vitam beatam, denotare, in promptu est. Neque enim Christo beneficium tribuitur, quod perpetuo vivamus, sed d beate aliquando vivere possimus. Ergo ne mors quidem intum corporis, aut aeternam vitae privationem, sed futuram t mortem miseriam, ex peccato oriundam, significat. Neque unt loca, in quibus θάνατος huius vitae, peccatis inquinatae, ditionem miseram, ζωή autem beatiorem earum vitam denotat,

qui iam in hac terra a vitiis sunt purgati. Quemadmodum enim Paullus ad Rom. VII, 24. hoc corpus *σῶμα τοῦ θανάτου τούτου* vocat, non quod mortale sit, sed quod sit sedes lubidinum et *τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας*, (*τὸ γὰρ φρόνημα τῆς σαρκὸς θάνατος* VIII, 6.) ita Ioannes 1. Epist. III, 14. *μεταβεβήκαμεν*, inquit, *ἐκ τοῦ θανάτου εἰς ζωὴν, ὅτι ἀγαπῶμεν τοὺς ἀδελφούς*, ita ipse Dominus Ioh. V, 24. verissime affirmat: *ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων ἔχει ζωὴν αἰώνιον, καὶ εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται, ἀλλὰ μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν*. Sed ad Rom. VI, 21. sqq. Paullus *θάνατον* et *ζωὴν αἰώνιον* opponit, illum *τέλος τῆς ἁμαρτίας*, hanc *χάρισμα τοῦ θεοῦ ἐν χριστῷ* appellat. Enimvero *ζωὴ αἰώνιος*, verissimum hoc beneficium dei, quod per Christum nobis contingit, non est vita aeterna, sed perpetua futuri aevi beatitudo; nam non in vita, sed in beata vita beneficium quaerendum est. Itaque *θάνατος, τὸ τέλος τῆς ἁμαρτίας*, non est mors naturalis, sed miseria illa, ex peccato oriunda, quam neque in hac vita effugere omnes possunt, neque effugiet quisquam in vita futura. Haec est enim *ἀνάστασις κρίσεως*, quae imminet improbis, illa *ἀνάστασις ζωῆς*, non ea quidem ad vitam resurrectio, sed ad vitae beatitudinem. In his igitur locis, in quibus *ζωὴ αἰώνιος* tamquam beneficium Christi celebratur, et liberatio a morte promittitur, nihil aliud inest, quam quod unumquemque Christianum certissima fide amplecti oportet: homines beneficio divino per Christum a miseria peccati liberatos, ad veram huius et futuri aevi beatitudinem adspirare posse. Ergo Christus nos non a morte eaque aeterna liberavit? ergo de hac morte naturali nullum est meritum Servatoris, qui ipse dixerit, se esse *τὴν ἀνάστασιν καὶ τὴν ζωήν*; Imo maximum est, sed non eiusmodi, de quo cogitant hi, qui metu mortis agitantur. Nam quum ipsa mors non sublata sit, sed eadem lege omnes moriantur, concedendum est, Christum hoc tantum effecisse, ut mors aut non sit amplius malum, aut malum non habeatur. Iam vero nulla ratione demonstrari e Scripturis potest, mortem per se malum esse, etiamsi per primum peccatum in mundum venisse dicatur, neque ullo N. T. loco Christus ipsam naturam mortis mutasse dicitur. Sed cogitant hoc loco de morte aeterna, et corporis resurrectionem obtendunt. Bene quidem hoc facerent, si vellent ostendere, mortem non esse malum; sed quum malum esse mortem putent, resurrectionem silentio praetermittere satius

fuerit. Nam si neque anima morte perit, et ipsis corporibus olim vita reddetur, quo pacto mors poena malumve dici possit, non intelligitur. Quod si hoc ipsum per Christum effectum esse dicant, ut mors non aeternum corporibus interitum afferat; videant, ne, quod olim efficiendum est, id iam effectum dicant; aut, quid morti ipsi ademtum additumve fuerit, ostendant, quod mortis metum excuset. Enimvero Christus effecit primum hoc, ut nulla mortem miseria sequi debeat, deinde ut mors non sit amplius timenda. Nam quum mors per se malum dici non possit, sed propterea tantum metuenda sit, quoniam id, quod eam sequitur, aut incertum aut malum videatur: Christus primum certissima ostendit omnia, quae post mortem eveniant, dum et animae immortalitatem doctrina sua, vita, morte et resurrectione clarissime demonstravit, et de corporis quoque interitu solatium attulit; deinde effecit, ut miseriam, quae post mortem metuenda est, effugere homines possent. Et illud quidem non copiosius demonstrare necesse est, quoniam Servatorem generi humano spem certissimam futurae incolumitatis coelitus attulisse, omnes intelligunt; quamquam non ignoramus, a quibusdam non satis aestumari hoc Domini beneficium, quoniam ratio humana sua sponte ea omnia comprehendere possit. Sed hi vero obliviscuntur, rationem humanam ante Christum adeo incertam in his rebus, quasi in tenebris trepidasse, ut sapientissimi olim homines in dubio reliquerint, de quo nunc quidem Christianis omnibus est persuasissimum. Verissime enim Apostolus scripsit in Epist. ad Hebr. II, 14. 15., Christum mortali natura indutum fuisse, *ἵνα ἀπαλλάξῃ τούτους, ὅσοι φόβῳ θανάτου διὰ παντὸς τοῦ ζῆν ἔνοχοι ἦσαν δουλείας.* Nimirum ab hoc miserrimo rerum futurarum metu vitam hominum liberavit, quoniam per mortem suam *κατήργηκε τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, τουτέστι τὸν διάβολον.* Quod qua ratione per mortem effecerit, obscurum esse non potest; siquidem morte Christi, per quam *ἐτελειώθη*, omnis spes futurae salutis continetur. Nam si quid est mali, quod post mortem timendum videatur, hoc ut effugerent homines, Christus vixit in his terris et mortuus est et resurrexit *εἰς τὴν δικαίωσιν ἡμῶν*, et qua ratione effugere possent, institutione et exemplo demonstravit. Est vero post mortem metuenda miseria, quae ex peccato nascitur, neque aliud malum mors afferre potest, quam poenam peccati. Nam quum certissime maneat unumquemque post mortem sors ea, quae

vitae in his terris actae conveniat: necesse est, ut mortem metuant, quibus, ob flagitia, vitae misera post mortem sors metuenda est; neque enim possunt non mortem malum putare, quae non solum omnibus voluptatibus τοὺς τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦντας exuat, sed etiam in eam conditionem perducat, in qua errorum, vitiorum, flagitiorumque suorum fructus percipiant. Ergo quum Christus effecerit, ut peccati miseriam effugere atque ad salutem veram adspirare possent, et illud κράτος τοῦ διαβόλου fregit, et ne haberent homines, quod mortem metuerent amplius, effecit: nihil est enim mali, quod post mortem metuant hi, in quibus fuerit vera fides; ideoque a mortis tyrannide verissime nos Christus liberavit. Licet igitur cum Paullo interrogare: ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; ποῦ σου, ᾅδη, τὸ νῖκος; τὸ δὲ κέντρον τοῦ θανάτου, ἡ ἁμαρτία. Licet cum Paullo gloriari: κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος, imo decet gratias agere deo, τῷ διδόντι ἡμῖν τὸ νῖκος διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Διὸ καὶ θαῤῥῶμεν, καὶ εὐδοκῶμεν μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν Κύριον· καὶ φιλοτιμώμεθα, εἴτε ἐνδημοῦντες, εἴτε ἐκδημοῦντες, εὐάρεστοι αὐτῷ εἶναι. Tantum igitur et tam divinum de morte, non amplius metuenda, meritum, quum Christus sibi comparaverit, tanto facilius eorum locorum sententiam intelligemus, in quibus cum peccato mors coniungitur. Est autem primarius ille ad Romanos V, 12. locus, in quo per unum hominem peccatum, et per peccatum mors in mundum venisse dicitur. Sed hoc loco ante omnia eorum opinio refellenda est, qui ex illis Paulli verbis concludunt, unius hominis peccatum esse causam, cur omnes homines moriantur. Potest vero a Paulli sententia nihil illa opinione cogitari alienius. Nam verba illa, δι' ἑνὸς ἀνθρώπου εἰσῆλθεν ἡ ἁμαρτία καὶ ὁ θάνατος, non causam peccati et mortis, sed auctorem et initium denotant; quod verba postrema clarissime demonstrant. Dicitur enim ὁ θάνατος ad omnes homines pervenisse, non quod Adamus peccavit, sed quoniam ipsi omnes peccarunt. Atque haec Paulli sententia quemadmodum in tota illa disputatione imperat; referuntur enim omnia ad ipsorum hominum culpam: ita etiam planissime ostendit, neque Adamum causam esse, cur omnes peccent, neque homines morti obnoxios esse, quod peccaverit Adamus: imperat enim ὁ θάνατος omnibus, quoniam omnes peccarunt. Ergo illud εἰσῆλθεν ἡ ἁμαρτία καὶ ὁ θάνατος, non causam indicat, quasi

per Adamum factum fuerit, ut omnes peccent et moriantur, sed peccati et mortis initium demonstrat: nam per unum hominem coepit esse ἁμαρτία καὶ θάνατος, atque pervasit ad omnes; quoniam omnes peccarunt. Itaque primum hoc ex illo loco non recte concluditur, per Adamum homines omnes factos esse mortales. Relinquitur alterum, τὸν θάνατον venisse διὰ τῆς ἁμαρτίας, et quoniam omnes peccaverint, θάνατον quoque ad omnes pervenisse. Quod si verum est, certe hoc concedendum est; mortem esse poenam peccati. Cui sententiae quoniam recta ratio repugnare videretur, multi eam Iudaeorum opinionibus annumerandam censuerunt, quas Apostolus haud raro sequutus fuerit, sive quod ipse easdem opiniones habuerit, sive quod ad opiniones popularium sese accommodaverit. Non est autem, quod ad Paulli sententiam defendendam hac excusatione utamur. Tota enim Apostoli disputatio ostendit, eum non de morte naturali tantum, ne praecipue quidem, sed de miseria cogitasse, quae, ex peccato oriunda, post mortem potissimum hominibus metuenda est; quam saepissime θάνατον dici supra demonstratum est, et locus simillimus ostendit ad Rom. VI, 21—23. ubi τέλος τῆς ἁμαρτίας θάνατος, τὸ δὲ χάρισμα τοῦ θεοῦ ζωὴ αἰώνιος dicitur. Sed in illa disputatione θάνατον non mortem solum, seu moriendi necessitatem, sed inprimis miseriam, quae post mortem imminet impiis, atque cum ipsa morte coniuncta est, denotare, ipsa celeberrima et ab interpretibus varie agitata comparatio demonstrat, quam in sequentibus Apostolus instituit. Nam quum δικαίωσιν ζωῆς et τὸ κατάκριμα opponat, atque in illa quidem Christi beneficium et χάριν θεοῦ, in hoc autem hominum perversorum miseriam quaerat; obscurum esse non potest, quale sit illud κατάκριμα, quod τῷ χαρίσματι sublatum esse dicatur. Quemadmodum enim ζωὴ non est vita, sed vita beata, ad quam qui certa spe adspirare possunt, δικαίωσιν ζωῆς consequuti dicuntur, ita etiam τὸ κατάκριμα, θάνατος, non ipsa morte, sed miseria illa constet necesse est. Regnavit ὁ θάνατος: (v. 14.) ea autem sublata quid effectum est? ut ne moriamur amplius? imo moriendum est; ut vivamus post mortem? imo vero ut ἐν ζωῇ βασιλεύσωμεν, (v. 21.) id est, ut beate vivamus. Neque verendum est, ne quis vocabula illa, κρίμα, κατάκριμα, de sola morte naturali propterea explicanda esse putet, quoniam v. 14. Paullus dicat, mortem καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώ-

ματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ imperasse, et v. sequenti: *τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον*, et v. 17. *τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσε.* Nam v. 14. non propria peccata hominum excluduntur; *πάντες γὰρ ἥμαρτον:* neque *propter unum* hominem omnes mortui dicuntur (v. 15.) sed miseri facti *inde ab uno*, quoniam omnes peccarunt; repugnant enim illa: *εἰς πάντας ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.* Regnavit igitur ab uno Adamo miseria peccati, imo peccatum *ἐβασίλευσεν ἐν τῷ θανάτῳ* (v. 21.) i. e. vim suam exseruit in omnes per miseriam, in quam omnes inciderunt, quoniam omnes peccarunt; quemadmodum *ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε.* Neque vero, ut supra demonstratum est, per Christum hoc effectum esse dicitur, ut ne moriamur amplius, sed ne miseri morte fiamus. Etenim etiam nunc *βασιλεύει ὁ θάνατος* ille naturalis, sed *ἡ χάρις βασιλεύει διὰ δικαιοσύνης εἰς ζωὴν αἰώνιον*, nimirum ut miseriam post mortem fugere et beate olim vivere possimus. Sed cogitat tamen Paullus etiam de ipsa morte naturali, eamque cum peccato tamquam cum causa sua coniungit, certe quod singuli homines semina mortis, quae per Adamum naturae humanae insita sunt, peccatis suis foveant, et ad conservandam mortalitatem plurimum conferant. Verum etsi non negamus, Paullo de miseria, ex peccatis oriunda, cogitanti, mortis quoque imaginem obversatam esse, tamen non concedere possumus, peccatum mortis causam dici, quoniam omnes *ob* peccatum moriantur: imo miseriae cum morte coniunctae causa in peccato quaerenda est. Sed singulos homines peccatis suis propriis ad mortalitatem conservandam plurimum conferre, quomodo dicant, aut defendere queant, non potest intelligi. Nam si mortalis facta est natura humana per Adami peccatum, non necesse est, ut suis peccatis efficiant homines, ut moriantur; quod infantum praematurae mortes ostendunt, (in quibus etiamsi insit vitium originis, tamen propria peccata non habent locum): sin peccatis propriis opus est, ut singuli moriantur, sequitur, Adami peccato naturam non factam esse mortalem. At vero in priori Ep. ad Corinth. C. XV, v. 21. 22. diserte Paullus, de morte naturali loquutus, dicit, *δι' ἀνθρώπου ὁ θάνατος καὶ δι' ἀνθρώπου ἀνάστασις νεκρῶν. ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσιν, οὕτω καὶ ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται.* Ergo mors illa naturalis per unum hominum orta

, ' quippe per Adamum omnes moriuntur. Sed bona verba
eso: nihil ab Apostoli sententia illa interpretatione potest esse
gis alienum. Primum enim, quum dicit δι' ἀνθρώπου ὁ θά-
τος καὶ δι' ἀνθρώπου ἀνάστασις νεκρῶν, supplendum est
bum quoddam, et potest ex illo ad Romanos loco optime sup-
ri εἰσῆλθεν. Sed Apostolum non de causa, sed de tempore
gitare, et antecedentia (ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων Χριστὸς
νετο) et sequentia ostendunt: καὶ γὰρ ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ
γματι ζωοποιηθήσεται· ἀπαρχὴ Χριστὸς, ἔπειτα οἱ τοῦ Χρι-
οῦ. v. 21. Ergo non causa, sed initium mortis demonstratur,
emadmodum Christus primus est resuscitatus. Deinde sequentia,
τῷ 'Αδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσιν, ita quidem interpretantur,
asi praepositio ἐν, quam cum διά in praecedenti versu com-
rant, causam significet. Dicunt enim, per Christum omnes re-
scitatum iri, ergo etiam omnes mori per, i. e. propter Ada-
um. Sed non est, quod multis verbis demonstremus, illud ἐν
N. T. saepissime nihil aliud quam σύν, i. e. non causam, sed
cietatem denotare, quum in 2. Ep. ad Corinth. C. VIII, v. 4.
serte Paullus scripserit: καὶ γὰρ καὶ ἡμεῖς ἀσθενοῦμεν ἐν
ριστῷ, ἀλλὰ ζησόμεθα σὺν αὐτῷ ἐκ δυνάμεως θεοῦ. Quam
quendi rationem vulgo dicunt ab hebraicae praepositionis ב la-
ssimo usu potissimum repetendam esse; quamquam eadem plane
tio in lingua graeca obtinet; (vide Hermannum nostrum ad
igerum p. 813.) denotat enim praepositio ἐν duarum aut plu-
ium rerum nexum et societatem, ex qua veluti communi notione
eliquae omnes significationes, a Lexicographis sine omni certa
atione coacervatae, oriuntur. Sciunt omnes enim, quam teme-
aria sit in Lexicis fere omnibus praepositionum descriptio. Ita-
ue quod Paullus dicit, ἐν Χριστῷ ζωοποιηθήσονται, nihil
liud est, quam quod *cum* Christo, i. e. uti Christus, resuscita-
buntur, quemadmodum ἐν 'Αδὰμ ἀποθνήσκουσιν, i. e. cum
Adamo, seu uti Adamus moriuntur. Quam veram esse interpre-
tationem, ipsum Paulli consilium demonstrat. Neque enim cau-
sam, sed spem resurrectionis nostrae, a Christi in vitam reditu
repetit, quippe quod certum sit, quemadmodum Christus in vitam
redierit, ita etiam olim omnes in vitam esse redituros; Christum
enim primum et principem esse τῶν κεκοιμημένων, qui resurre-
xerint, reliquos omnes homines suo ordine et tempore resuscita-
tum iri. Est enim Christus ἀρχὴ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν,

ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων (ad Coloss. I, 18.). Ex quibus intelligitur, in hoc ad Corinthios loco non tradi sententiam illam, quam vidimus non inesse in illo loco epistolae ad Romanos. Sed concessimus tamen, Paullum hoc ipso loco docere, mortem sequutam esse peccatum: ergo docere videtur etiam hoc, mortem malum esse et poenam peccati. Restat igitur, ut videamus, quo pacto mors, peccatum sequuta, malum dici possit. Enimvero supra negavimus, mortem per se dici malum posse; neque Paullus de morte sola cogitavit, sed de miseria cum morte coniuncta, seu de morte ea, quam miseria sequatur. Sed quid est, quod mortem tamen poenam malumve dicamus? Scilicet malis mors metuenda est; malis enim post mortem malum imminet; et quamquam nemo vitam, recte et honeste institutam, si deus iusserit, morte finire metuit, quum sciat, nihil sibi post mortem timendum esse ab indulgentia divina; tamen improbus quisque non potest non mortem tamquam malum et veluti initium miseriae suae metuere, quoniam ei verendum est, ne flagitiorum suorum fructus mors allatura sit. Et verissimum hunc timorem esse, nemo non intelligit; neque vituperare quisquam Paulli sententiam potest, mortem, quae vitiosam turpemque vitam finiat, cum miseria esse coniunctam, et peccatum miseriam sequi, cuius initium mors ipsa faciat. Neque vero mors per se malum est, sed si mortem miseria consequatur; certe improbos mortem tamquam malum poenaeque imminentis initium spectare et metuere necesse est. Hanc autem Paulli sententiam fuisse, quum ipsa eius disputatio ostendit, tum plurimi loci demonstrant, quibus mortem tamquam beneficium celebravit, et sine metu, imo hilari animo, se eam exspectare dixit. Sed interpretationem nostram ipsum beneficium Christi confirmat, de quo ab initio dictum est. Quatenus enim mors malum afferre videtur, eatenus Christus de morte quoque nobis prospexit. Effecit enim, ut nulla miseria mortem sequi debeat, neque mors metuenda sit ab his, qui hanc mortalem vitam, doctrinae coelestis lumine illustratam, divina gratia adiuti, pie et honeste instituerint. Itaque malo, quod post mortem metuendum fuerit, Christi Servatoris beneficio medicina parata est; neque scripturae sacrae sententia quisquam, nisi improbus, mortis metum potest excusare.

Sed haec ipsa est tertia causa, cur Christiani potissimum mortem metuere videantur, de qua restat ut pauca dicamus.

ilicet Christiani, quum futurae vitae rationes certius perspiant, et, quid aut sperandum aut metuendum post mortem sit, arius intelligant: mirum videri non potest, eos mortem vehementius reformidare, quum nemo sit, quin ob vitam aut temere erditam, aut flagitiis inquinatam, aut certe levitate et inertia missam, multa, post mortem quae metuat, habere videatur. Sed nte Christum, de futurae vitae rationibus, praesertim de aeternae ustitiae vindicta, aut nulla, aut levissima cogitatio inter homines sit. Et quamquam ad mentes improborum terrendas multae de artaro fabulae narrabantur, tamen huius et futurae vitae arctissimam coniunctionem adeo non perspiciebant plurimi, ut vix stuidissimae plebi illa fuerint inania terriculamenta, dum maxima ars hominum futuram vitam parum aut nihil curabat. Sed postquam per doctrinam christianam et huius vitae finis et futurae atio omnibus manifesta facta est, ut, quid omnibus propositum it, quidve a summo rerum suarum fine animum immortalem abucat, verius omnes intelligant: fieri non potuit, quin mors ipsa, ebus hisce ereptura homines et ad ultimam sortem vocatura, agis terreret eos, qui certius quidem, quid post eam sperandum aet, sed verius quoque, in quo discrimine res suae essent, intelligerent. Nemo est enim, quin, etiamsi divina omnia et humana, dum floreret vita, contemserit, ubi mortem instare viderit, futurae vindictae exspectatione perturbetur, et ipsam mortem, quasi vindicem, furiis comitatam, abhorreat et aversetur, atque ad indulgentiam divinam, impie olim spretam, certe in ipso vitae mortisque discrimine trepidus confugiat. Sed quum etiam optimus quisque habeat, quod severum de vita sua iudicium metuat: mortem quoque, quae in iudicium quemque vocare videatur, ut omnes pertimescant necesse est. Quamobrem negari non potest, hanc veluti propriam Christianis mortis metus causam esse, quod peccati turpitudinem et miseriam accuratius cognitam habeant, ideoque huius vitae exitum incertamque rerum suarum sortem timidi prospiciant. Sed quis non videt, ob illum metum, non doctrinam Christianam, quae vitae futurae rationes clarius ostenderit, sed ipsam hominum perversitatem accusandam esse? Nihil enim haberent, quod post mortem metuerent, nisi ipsorum aut temeritate aut improbitate fieret, ut futuram sortem non ita laetam exspectare deberent. Nimirum omnia pervertit nequitia hominum; nihil, ne divina quidem et immortalia, integra relinquit,

sed summa vitae mortalis bona, ipsamque spem immortalitatis, in malum poenamque mutat. Itaque ut nemo illam metus causam necessariam dicere potest, quippe sola hominum culpa fiat, ut, quod ad spem laetissimam erigere animum possit, id misere timore omnes terreat: ita etiam, ad illius excusationis vanitatem demonstrandam, non praetermittendum est, de sorte, quae omnes statim post mortem maneat, falsam plerorumque animis opinionem insidere, mortisque metum inter Christianos potissimum acuere atque exacerbare. Scilicet aeternae sortis discrimen statim post mortem cuique imminere creditur, ita, ut ipsum mortis momentum de aeterna salute aut miseria decernere videatur. Unde fit, ut mortem ipsam tanto pertimescant vehementius, quo verius sentiant unumquemque oporteat, se vita, in his terris vel optime gesta, tamen ad perfectam beatitudinem percipiendam nullo modo idoneum aptumque factum esse, imo verendum esse, si ex huius vitae rationibus aeterna sors in perpetuum definiatur, ne salutis summae iacturam facere debeat. Quid potest enim maiori terrore mortem induere, cogitatione illa, simulac vita haec finita fuerit, aeternam sive beatitudinem sive miseriam unicuique decerni? Sed quamquam omni modo cavendum est, ne homines nihil aut parum referre putent, qualem in his terris vitam egerint; qua temeritate nihil potest esse perniciosius: illam tamen opinionem, quum recta ratio convincat, quoniam intelligi non potest, quo pacto ex paucorum annorum vita, cuius magna pars vel diligentissimo pereat, aeterna sors decerni queat, tum ipsa Scriptura sacra luculenter redarguit. Illud enim extremum iudicium non statim post mortem, sed olim, in fine rerum humanarum, unumquemque subiturum esse, haec ipsa corporum resurrectionis laetissima spes demonstrat, quam suo in vitam reditu mortalibus confirmavit Servator divinus. Licet igitur verissimum sit, statim post mortem eam nobis conditionem exspectandam esse, quae huic vitae conveniat, tamen non est, quod salutis aut beatitudinis, per omne aevum augendae, spem, hac vita mortali finiri existimemus.

DE
MISERIA PECCATI.

Ad natalem domini nostri, Iesu Christi, pia mente celebrandum
ulla res magis impellere animos potest, quam infinitae quae ex
eccato nascitur miseriae acris et attenta cogitatio. Nam quum
ervator divinus, relicta qua apud patrem ante mundum condi-
um fruebatur beatitudine, humanae vitae sortem eo consilio sub-
rit, ut genus hominum peccatis inquinatum et miserum ad feli-
s rerum suarum exitus laetam certamque spem reduceret, omnibus-
ue ad immortalia bona incerta cupiditate adspirantibus veram
lutis consequendae viam et rationem ostenderet atque muniret:
telligitur, tanti beneficii neque magnitudinem neque causas satis
cte percipi posse, nisi ipsius cuius causa Christus se pro ho-
inibus devovit, miseriae rationem perspiciamus. Verissime enim
ugustinus aliquo loco dixit, morbos qui non satis norint suos,
os neque medicum ut par sit aestumare posse. Omnis autem
iseria, qua res humanae omni tempore oppressae fuerunt et nunc
otissimum vexantur, ex peccato nascitur: homines enim quot-
uot de huius vitae aerumnis et calamitatibus iure conquesti sunt,
ut sui aut alieni peccati culpam tulerunt; neque in tanta malo-
um quae nostra aetas vidit, multitudine reperiuntur, quae neque
ominum perversitate orta neque nostro vitio facta fuerint acer-
iora. Nam quae humano generi divinitus immitti mala credun-
ur, ea quidem, si exitum spectemus, divino numini subiecta vi-
entur; sed eorum causae in erroribus et peccatis hominum quae-
endae sunt. Itaque quum et officium nostrum et pietas postulet,
t ad memoriam natalis Iesu Christi his diebus qui proxime in-
tant recolendam vos cohortemur, non alienam a tanti beneficii
ivini recordatione esse putamus brevem *de miseria peccati* dis-
utationem, quam ne iis quidem superfluam visum iri speramus,
ui quum futuram perniciem reformident, quid mali potissimum
eccatum afferat, ex metu suo iudicare consueverunt. Est enim
mnium quidem, quibus mens recta suique sibi conscia inest,
ommunis haec sententia, peccatum miseros reddere homines et
ius vitae fructu futurique aevi beatitudine privare imo gravis-
mis poenis divinis obnoxios reddere, neque esse quemquam, qui

mala vel naturali quadam necessitudine cum peccatis coniuncta, vel a divina iustitia sive ultionis sive emendationis causa insuper immittenda per aeternum vitae cursum effugere possit. Sed quae sint illa mala, non omnes clare perspiciunt et ignorantiam suam imaginum, quibus poenae peccatorum in libris sacris describantur, ambiguitate excusant. Sciunt fugienda esse peccata, ne felicitatis futurae iacturam faciant, sed causam cur adversum felicitati peccatum sit, ignorant; metuunt poenas, sed quae sit ea merces peccatorum, non intelligunt; credunt, liberationem a miseria peccati merito Christi constare, sed quae quantaque sit illa miseria, incerto metu perturbati sentiunt, non autem recta ratione assequuntur. Non veremur autem ne quis dicat, miseriam peccati in futura demum vita exspectandam esse, sed quae post mortem aut metuenda aut speranda sint, incerta esse omnia; satis esse, quod mali mala eaque sempiterna futura metuere debeant. Nam postquam poenarum infernalium metus aut prorsus excussus aut certe minutus est, pauci sunt, qui eorum bonorum iacturam metuant, quorum magnitudinem non capit ὁ ψυχικὸς ἄνθρωπος, aut leniorem indies vel consuetudine diuturna miseriam illam evasuros desperent. Neque levis nobis suspicio insidet, multos, qui rebus suis ita superbiunt, vix ut opus esse sibi Christo servatore putent, valde demissuros animos esse, si miseriae, quae ex peccato oritur, naturam et magnitudinem rectius aestument. Sed hanc unam excusationem magistri qui populum erudiunt, habere videntur, quod in tanta dogmaticarum quaestionum farragine, de natura illius miseriae plerumque ieiune praecipiatur. Quamobrem quamquam disputatio nostra superflua visa fuerit viris eruditis, eam tamen non ingratam fore putamus his, qui discere cupiunt, quo pacto et ipsi e miseria peccati emergere et populum christianum ad eam fugiendam cohortari debeant.

Sed in principio huius disputationis peccati ipsius natura accuratius explicanda est. Sunt enim, qui hoc loco de avito illo vitio per Adami peccatum orto cogitent, et quum de miseria peccati loquuntur, illud quoque damnum admisceant, quod primi parentis peccato hominibus illatum esse creditur. Ex quo fit, ut tota de miseria peccati disputatio ambigua reddatur, quoniam quae propria nos culpa patimur mala, commiscentur cum his, quae veluti hereditate ad Adami posteros transmissa videntur. Enimvero etiamsi concedendum sit, post lapsum Adami vitii quid inhaerere

nibus secundum naturam propagatis, tamen hoc loco, quum de seria peccati quaeritur, de his tantum malis cogitandum est, ae sua quisque culpa sibi contrahit. Quidquid enim vitii per amnum ortum videri possit, licet fons peccati habeatur, tamen opria cuiusque culpa fit, quod ex hoc fonte miseria nascitur. mo enim iacturam felicitatis facit, quoniam hoc modo natus :, sed quia, quum ita natus esset naturae lege, non usus est portunitate emendandi naturam, imo coeca lubidine abreptus :it τὸ θέλημα τῆς σαρκός. Καὶ εἰς πάντας ὁ θάνατος ῆλθε, non quod Adamus peccavit, sed ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον· om. V, 12.). Neque causa necessaria peccati ipsiusque miseriae natura, sed in prava malorum voluntate, ut verissime Me-ichthon dixit, (Aug. Conf. Art. XIX.) quaerenda est. Sed di- aliquis, partem miseriae, quae ex peccato oriatur, illud naturae ium esse, quod ex Adami peccato natum sit, hominemque ipsum tura sua miserum esse, quod ita natus sit, ut probari ob hanc urae indolem deo non possit. At vero in libris N. T. omnis seria, a qua redemit homines Servator divinus, a propriis ho-ıum peccatis repetitur. Quod quum per se rationi rectae con-iiat, tum concedendum est ab omnibus, qui hanc gravissimam rae doctrinae partem neque ex incerta unius loci interpreta-ne neque ex Iudaeorum vanis opinionibus explicare consueve-ıt. Enimvero quemadmodum is tantum felix aut beatus est, id consequutus fuerit, quod per naturae suae finem tempore oque consequi debuerit, ita etiam miserum vocare non licet n, qui aliquo tempore non is sit, qualem eum esse olim opor- sed qui non talis fuerit, qualis hoc ipso tempore esse possit. ierum infantem sibi natum parentes dicent, si monstrum natum rit, aut si iis corporis partibus puer careat, quibus opus est, omnibus animae officiis corpus postea satisfaciat; nemo autem erum se puerum suscepisse queretur, quod is quum nascere-, ne loqui neque pedibus uti potuit. Sed ut virtus non in-ci potuit hominibus (constat enim exercitatione et studio); ita m miseria non innata est, sed hominum culpa oritur, quia uram suam non ita ut poterant ac debebant, excoluerunt et ndarunt. Itaque si de christianis hominibus quaeritur, recte tur indoles illa mortem aeternam afferre his, qui non renascun- per baptismum et spiritum sanctum. Est enim in natura no- ı fons quidem peccati: omnes enim quum nascimur, σαρκικοί

sumus et coeco naturae impetu τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦμεν; sed causa, cur per hanc naturae indolem peccemus et pereamus, in voluntate prava sita est eorum, qui mediis emendandi naturam non recte usi sunt. Recte igitur in hac de miseria peccati disputatione illam de originis peccato quaestionem omittimus: omnis enim vera miseria ex iis peccatis nascitur, quae ipsi homines commiserunt. Sed horum peccatorum quae sit natura breviter explicandum est.

Est autem peccare (quod eadem imagine usi ἁμαρτάνειν et παραβαίνειν Graeci dicunt) proprie a via recta, quae ad finem ducit, deflectere ideoque ab ipso fine aberrare, sive, ut Ciceronis verbis utamur, (Paradox. III, 1.) transilire lineas. Itaque qui peccat, facit, quod non licet; non licet autem, quoniam si id faciat, ad finem propositum neque progredi neque pervenire recte quisquam potest. Ergo peccatum est, ubi a via, quae ad finem ducit, aberratum est; quod etsi duplici potissimum vitio fieri potest, sive quod finem ipsum, ad quem contendere debemus, ignoremus, sive quod alia quam licet via ad eum pervenire studeamus; tamen peccata omnia in eo conveniunt et paria sunt, quod factum est, quod a fine consequendo alienum est. Sequitur igitur, ut peccata sint omnia, quae fini naturae proposito sunt contraria: finis est autem, ad quem pervenire quisque ob naturae suae indolem debet: ergo peccatorum ea est natura, ut qui peccet, is a summo naturae suae fine aberret. Atqui ut ad summum naturae finem contendamus et ratio et ipse deus postulat: haec enim summa lex rationis est, ut ad illum finem perveniamus; deus autem eo consilio homines creavit, ut, dum tales fierent, quales per naturam suam fieri possunt, veram felicitatem consequerentur: ergo peccatum est, quod a rationis aeterna lege abhorret, et quod contra voluntatem divinam factum est: nam et rationis legi et voluntati divinae peccatum contrarium est. Sive igitur in ipsa ratione summam legis causam quaeramus sive in divina sanctitate, eadem tamen peccati natura est. Verissime enim Paullus non distinxit peccata eorum, qui sine lege divinitus revelata fuerunt, a peccatis Iudaeorum, qui gloriabantur lege divina. Nam si quis sciat credatve, deum ipsum peccato interdixisse, is quidem quum summi rerum gubernatoris sanctitatem non curat, gravius peccat, sed eadem tamen peccati natura est, quoniam quod non licere sciebat, ab eo factum est. Restat, ut breviter

dicamus, quae vera miseria humana dicenda sit. Quamquam enim, cur miserum se quisque beatumve dicat, ipse omnium optime intelligere videtur, tamen plerique et miseriam humanam et beatitudinem cupiditate potius quam recta ratione metiuntur. Sed ut miser proprie Varroni dictus videtur, qui minus quam opus est habeat, ita miseriae verae quae sit natura, facillime assequemur, si quid maxime omnibus opus sit recte teneamus. Nam si miserum dicamus, qui bono quodam careat, verendum est, ne optimus quisque miserrimus videatur, pessimus contra, quoniam in vita vitiosa et scelesta abundet voluptatibus, beatissimus habendus sit. Enimvero non quod suave est, bonum est, neque quod dolet malum; sed quod necesse est, bonum est, quo si careamus, miseri simus necesse est. Est autem necessarium omnibus, quo omnes indigent, ut finem summum consequantur, quo qui carent, miseri dicuntur, quoniam consequi non possunt id, quod qui consequutus est, is demum vere beatus dici potest. Vera igitur miseria earum rerum absentia constat, quae sunt ad summum naturae humanae finem consequendum ita necessariae, ut qui iis careat, is summo bono excidere debeat. Quae quum ita sint, sponte intelligitur, qui peccet, eum etiam miserum necessario esse (nam qui a fine summo aberrat, quo pacto possit esse beatus?), atque miseriam peccato in eo cerni, quod qui peccet, illorum faciat bonorum iacturam, quibus ad naturae suae summum finem consequendum carere nemo potest.

Erunt fortasse, quibus haec omnia in vulgus nota videantur. Enimvero non illa excusatione utemur Senecae, nunquam satis dici posse, quae nunquam satis discantur; imo rogamus omnes, ut paullo attentius considerent, quae, licet a nemine sui sibi conscio ignorentur, tamen vanis imaginibus aut verborum formulis ita plerumque obscurantur, ut incerto metu potius agitati quam recta ratione commoti peccata fugere mortales soleant. Quis est enim finis ille summus ab omnibus expetendus? Scilicet felicitatem omnes expetere se dicunt; sed quae sit vera felicitas maxima hominum pars ignorat. Plerique in animi voluptatibus eam quaerunt; multi supercilia contrahunt eamque felicitatem se expetere dicunt, quae nisi oriatur ex virtute, certe sine virtute imperfectum tantum bonum haberi possit: sunt etiam, qui felicitatem non in ipsa quidem virtute sitam sed quae cum virtute conveniat, summum bonum esse dicant. Hinc fit, ut quum incertum sit,

quid tamquam summum bonum expeti debeat, de ipsa miseria quoque, quae ex peccato oriatur, incerta opinio animis insideat. Et quoniam paucissimi sunt, qui, si honestis nescio quibus voluptatibus careant, beatos se esse posse putent, miseriam quoque e peccato oriundam in doloribus potissimum et sensu ingrato quaerunt plurimi; et externorum quoque bonorum iactura pro poena peccati habetur. Quemadmodum enim virtute sua id effici posse vulgus putat, ut bonis externis, id est alienis (τοῖς οὐκ ἐφ᾽ ἡμῖν), nisi potiantur, certe digni suo ipsorum deique iudicio videantur, ita ut, licet in hac vita bonis illis destituantur et voluptatibus, quibus solus probus ac sapiens recte ac merito fruatur, carere debeant, in futura tamen vita omnibus bonis certissime potiantur et per omne aevum abundent voluptatibus: ita etiam peccato miseros se fieri putant, quoniam neque huius vitae incommoda futurae felicitatis compensatione lenire neque olim gaudia, quae probos maneant, sperare possint. Quam opinionem Iudaeorum quidem animis imperasse non mirandum est; constat enim, hanc gentem externa tantum virtutis et pietatis praemia quaesivisse, et coelestium voluptatum iacturam unice metuisse: sed Christianos et spem subliminiorem mente concipere et veriorem metuere iacturam oportet. Christus enim non doctrina et praeceptis tantum, sed vitae quoque suae exemplo demonstravit, neque virtutis praemia voluptatibus constare, et longe aliam peccati miseriam esse quam homines huius vitae bonis unice inhiantes metuere solent. Nempe inter innumerabilia divini Servatoris merita hoc potissimum referendum est, quod, dum in verissimam et certissimam salutis spem mortales adduxit, quid unice timendum sit, ostendit et sanctiori metu animos imbuit.

Sed quoniam miseria peccati in libris N. T. imaginibus potissimum et verbis improprils describitur, priusquam illius naturam veluti per partes explicemus, de illis ipsis formulis recte intelligendis dicendum est. Primum igitur inter omnes constat, verborum omnium originem a sensibus repetendam esse, rerumque, quae non sunt subiectae sensibus, signa omnia ab initio rebus his, quae sensibus tanguntur, designandis inserviisse. Itaque non mirandum est, in libris sacris peccati miseriam iisdem imaginibus ac verbis designari, quibus miseria humana, quae sensuum incommodo ac doloribus constat, cogitari et describi solet. Sed magnopere falleretur, qui Dominum eiusque legatos, quod eius-

modi formulis usi sunt, de caducorum et terrenorum bonorum iactura cogitasse crederet: imo has formulas ita intelligere et interpretari oportet, ut et recta ratio desiderat, et ipsius doctrinae christianae natura postulat. Quamquam enim Christi et Apostolorum institutio a subtilioribus disputationibus aliena esse debebat, tamen imaginibus quibus usi sunt, quae sententia insit, non obscurum esse potest, si eas cum locis iis comparemus, in quibus salutis verae ratio diserte demonstratur. Itaque quae vere sit illa miseria, partim ex ipsius peccati vi partim ex ipsorum beneficiorum Christi natura discere studeamus. Illa enim vulgo obvia *ὑπάρχειν ἐν βασάνοις*, *εἰσέρχεσθαι εἰς κόλασιν αἰώνιον*, *θλίψις καὶ στενοχωρία*, *ζῆλος πυρὸς*, *ἀπώλεια*, *ἀπολέσαι ἐν γεέννῃ*, *ὄλεθρος*, *φθορά* et similia, quibus miseria, quae improbos post mortem manet, describitur, malum quidem metuendum esse declarant, sed quae sit illius mali natura non demonstrant. Est vero solemnis quaedam imago, qua ad miseriam peccati designandam et Christus et Apostoli utuntur, quae quum haud parum ambiguitatis habeat, paullo accuratius explicanda est. Scilicet illa miseria plerumque describitur sic, ut *mors* dicatur poena peccati. Sed quo sensu mors peccati poena dici et cogitari possit, ex ipsius peccati natura facile intelligitur. Nam si de naturali morte seu de communi moriendi necessitate cogitemus, ea quidem, quum ab Adami peccato repetatur, non potest eorum peccatorum poena haberi, quae ab ipsis posteris Adami committuntur. Etenim si in Adami peccato causa quaerenda est, cur omnibus hominibus moriendum sit, non ob sua quisque peccata moriuntur, sed quoniam peccavit Adamus; ideoque non propriorum peccatorum, sed primi peccati poena mors habenda est. At vero diserte Paullus dicit, mortem ad omnes transiisse, non quod Adamus primus peccavit, sed *ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον*, i. e. quoniam ipsi Adami posteri omnes peccarunt. Sequitur igitur, ut quidquid in morte mali sit, eius causa non in Adami peccato, sed in singulorum hominum perversitate quaerendum sit. Hanc autem perversitatem non naturae, sed voluntatis esse, ex eo intelligitur, quod in tota Paulli disputatione peccato propria hominum arguuntur. Quam enim in verbis illis: *ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον*, sententiam inesse putarunt nonnulli *), quasi homines ob

*) V. c. *Storrius*, *über den Zweck des Todes Jesu* p. 64 *Lehrbuch der christl. Dogm.* p. 481. Dicunt nimirum, verborum illo

naturalem perversitatem ab Adami peccato ortam ita spectentur, ac si ipsi peccassent, ea quidem sententia et rectae rationi ipsique divinae sanctitati repugnat, neque ullo alio scripturae N. T. loco defendi potest: omnis enim vera miseria ab ipsorum hominum culpa repetitur, neque ob alienum peccatum felicitatis iacturam facere quisquam dicitur, sed quoniam ipse peccavit. Sed etiamsi concedamus, ex Paulli sententia moriendi necessitatem ab Adami peccato et naturae humanae vitiositate repetendam esse; tamen mors naturalis non eorum peccatorum poena haberi potest, quae ab Adami posteris committuntur. Itaque totam illam de morte naturali disputationem nunc quidem omittamus: quaeritur enim de ea miseria, quae ex peccatis propriis nascitur. Enimvero de hac ipsa miseria scriptores sacros mortis imaginem saepissime adhibere, inter omnes constat neque multorum locorum testimoniis indiget. Sed quam apta sit haec imago ad illius miseriae quae ex peccata nascitur naturam designandam, nemo non intelligit. Ut enim vera vita virtute constat, ita etiam vita scelesta ipsa morte peior verissimam immortali naturae nostrae mortem affert, ideoque *τὸ τέλος τῆς ἁμαρτίας* elegantissime mors vocatur. Etenim verae vitae fructu non olim tantum carebunt, sed nunc quoque carent, qui vitiis indulgent: sunt vere *νεκροὶ τοῖς παραπτώμασιν*, etiamsi omnibus bonis et voluptatibus abundent, et licet iis quoque exitus pateat, tamen non *ἐκπορεύσονται εἰς ἀνάστασιν ζωῆς*, i. e. ad novam vitam beatam, sed *ἀνάστασιν κρίσεως*. Verissime igitur ipse Dominus dixit: *ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων καὶ πιστεύων τῷ πέμψαντί με, ἔχει ζωὴν αἰώνιον· καὶ εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται, ἀλλὰ μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου* (Rom. VII, 24.) *εἰς τὴν ζωήν* (Ioh. V, 24.). Est enim hic *ἄρτος ὁ*

rum hanc sententiam esse: erant tamquam peccatores. Provocant ad versionem Alex. Genes. XXXIX, 9. et XLIV, 32. ubi hebraica: חָטָאתִי לְאָבִי כָּל־הַיָּמִים vertuntur: *ἡμαρτηκὼς ἔσομαι εἰς τὸν πατέρα πάσας τὰς ἡμέρας*. Sed longe alia est ratio participii in hoc loco quam indicativi in loco Paullino. Nullus enim scriptor graecus indicativo uteretur hoc sensu, quem fert tantum ratio participii. Hebraicum חָטָאתִי autem habet vim futuri perfecti, quam Alexandrinus participio expressit, imo exprimere debuit. Sed huic formulae *ἡμαρτηκὼς ἔσομαι* non inest haec sententia: volo spectari tamquam peccator, licet non peccaverim, sed haec: ero, qui peccavit, peccavero, seu: concedam, me peccasse contra patrem: peccavero enim. Nam quum nolenti patri suasisset, ut Beniaminum cum fratribus dimitteret, dissimulans periculum, sane peccaturus fuisset contra patrem, atque is filium tamquam peccatorem tractare potuisset, quoniam vere peccasset.

ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβαίνων, ἵνα τις ἐξ αὐτοῦ φάγῃ καὶ μὴ ἀποθάνῃ (Ioh. VI, 50.), nam qui praeceptis eius obtemperaverit, θάνατον οὐ μὴ θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα (Ioh. VIII, 51. col. XI, 26.). Hinc etiam miseria, quae in futuro aevo improbos exspectat, θάνατος ὁ δεύτερος appellatur (Apocal. II, 11. XX, 6. 14. XXI, 8.). Denique quum quodvis peccatum ad animum, non ad corpus pertineat (animus enim, non corpus peccat), sequitur, etiam miseriam peccati non in corporeis malis sed in animi calamitate quaerendam esse. Itaque quamquam externa quoque mala peccatis contrahuntur, tamen pro vera miseria, quae ex peccato oriatur, haberi non possunt. Nam neque virtutis neque peccati necessaria est cum rebus externis coniunctio; unde fit, ut quibus optimus caret terrenis bonis, iis haud raro pessimus quisque beatissimus videatur. Haec igitur suprema lex esto, ut quidquid miseriae ex peccato nascatur, id in animae immortalis natura ac fine quaeratur. Quod salutis per Christum partae ratio luculenter demonstrat. Illa salus enim non liberatione ab huius vitae aerumnis et calamitatibus aut bonorum terrenorum voluptatumque, quibus sensus suaviter afficiuntur, comparatione constat; neque mortem ipsam Christus sustulit, sed effecit, ut ne mors amplius sit malum; imo animae immortalis bonis restituendis et vindicandis et spirituali natura ab nostra interitu servanda τὸ χάρισμα cernitur. Atqui saluti verae vera miseria contraria est (vera salus enim in miseriae sublatione cernitur); oritur autem omnis miseria ex peccato (neque enim ab alia miseria liberasse homines Christus dicitur, quam ab ea, cuius fons et causa peccatum est); sequitur igitur, ut peccati miseria in anima immortali quaerenda sit. Quemadmodum enim summus naturae nostrae finis non in corporis incolumitate sed in animae virtute situs est, ita etiam peccati haec est vis, ut animam, non corpus miseram reddat. Itaque ut beneficia Christi non satis norunt, qui externam felicitatem ab eo exspectant, ita etiam miseriam, qua tollenda meritum Christi constat, non recte aestumant, eam qui in aliis rebus quam in immortalis naturae humanae calamitate quaerere consueverunt. Quae quum ita sint, qualis et quanta sit miseria peccati, facile explicari poterit.

Ac primum quidem, quum in hac vita hoc unice expetendum sit, ut animae nostrae immortalis vires quantum fieri possit excolamus, id est, ad id, quod vere bonum est, faciendum quam

aptissimas reddamus, sponte intelligitur, qui peccato indulgeant, eos etiam summo vitae fine excidere debere. Nam qui peccant, hi animae vires non exercent, ut ad rectum honestumque faciendum indies fiant magis idoneae, sed, dum iis ad τὰ φρονήματα τῆς σαρκός perficienda utuntur, eas depravant debilioresque reddunt; ex quo fit, ut ipsa natura, quae perfectior fieri debet, indies peior evadat, donec omnis ei libera vis eripiatur. Verissime enim Theologi miseriae peccati partem in imperio peccati posuerunt, sed hoc ipsum imperium qua de causa miserrimum esset, non perspicue docuerunt. Enimvero qui naturae viribus uti non potest, ut quod consequi debet, vere consequatur, is sane miser est, quoniam vel invitus ad id quod malum esse scit, impellitur. Quamquam enim ad naturam suam emendandam iis quisque mediis indiget, quibus divina gratia adiuvat emendandi studium, tamen spiritualis naturae vis propria peccato magis magisque imminuitur, ita ut ne divinis quidem beneficiis uti aut velit aut possit. Itaque duplex e peccato malum oritur, quod et libertas rationis vi sua naturali privatur, et natura ipsa deterior peiorque redditur. Nam quum summus huius vitae finis in eo situs sit, ut ad rectum honestumque quam liberrime faciendum aptissimi reddamur, sequitur, qui peccet, eum fine vitae misere excidere, quoniam illa vi ac libertate privatur, qua sola virtus cernitur. Ex quo intelligitur etiam hoc, non tantum perpetuam peccandi consuetudinem miseros reddere homines, sed singulorum quoque peccatorum vim pessimam esse, quoniam et tempus et vires peccato absumuntur. Constat autem verus vitae fructus virtute; virtus autem vi animi cernitur rectum et honestum quam liberrime faciendi: sequitur igitur, ut, quum quoque peccato vis illa minuatur, vitae verae fructu ac fine excidant, qui vel semel peccaverint. Sed quoniam tanta est peccatorum necessitudo, ut aliud ex alio peccatum oriatur; intelligitur, in singulis peccatis eandem vim inesse, ac si saepissime peccatum fuerit. Rectissime enim Paullus praecepit, si quis contra unam legem peccaverit, idem esse ac si omnes violasset. Itaque in naturae depravatione et in iactura libertatis, qua ad summum finem contendendum est, proximum quod ex peccato oritur malum quaerendum est. Sed alia non minor peccati miseria est, quod qui vitiis indulgent, eorum mens ita obscuratur, ut quid unice expetendum sit, non amplius videant, aut si meminerint nonnunquam, de eo conse-

endo desperare debeant. Et illud quidem tanto gravius malum bendum est, quum si quis ignoret summum bonum, nullo id cto consequi possit [non temere enim casuque contingit cuiam, sed studio et labore quaerendum est,] etiamsi felicitatem pidissime expetat. Quamquam enim omnes non quod malum, d quod bonum ipsis quidem videtur, natura expetunt (nemo im sponte fertur ad suam perniciem, neque quod malum sibi ferat, solet quaerere); tamen haec ipsa vis est peccati, ut, ıum natura rebus externis intenta ab initio vitae, quid tamquam ımmum bonum expetendum sit, ignoremus, postea, aut lubidinis adsueti aut ταῖς τοῦ βίου μεριμναις circumventi, τὸ ἓν, οὗ ?εία ἐστίν, ex oculis amittamus. Hinc fit, ut primum quidem, ıid eligendum expetendumque sit, dubitemus, deinde vero alinoties decepti lubidine coeco impetu ad id quod suave est, feraıur, postremo nihil desideremus amplius quam externis fruamur onis. Unde illud malum nascitur, quo plurimorum vita miserima redditur, ut quod sibi elegerunt, eo non potiantur, sed inertis votis frustrati superbae cupidinis poenas dare cogantur: am quem sibi proposuerunt finem bonorum non consequuntur, ed quod et recta ratio monstravit et deus ipse proposuit sumıum bonum, quale sit ignorant. Sed illud maximum, quod si tellexerint aut meminerint aliquando, quid unice expetendum t, de eo consequendo desperare cogantur; quo nihil miserius ›gitari potest. Nam quum is demum beatum se existimare pos:, qui ad summum bonum adipiscendum aptum se esse sentiat, ›n potest non miserrimus esse, qui, quod virtute careat, ineptisnum se esse intellexerit. Nam quum summum bonum virtute nstet, sequitur, ut qui careat virtute, de felici rerum suarum itu desperare debeat. Haec autem desperatio summum malum , non solum quod vexat animum terretque metu perpetuo, sed am quoniam, quibus deest spes e tanta miseria evadendi, hi am consilio viribusque carent, quibus evadere vere possint.

ille quidem verissimus est metus poenarum: nam quae maior tui poena potest, quam summi boni iactura; sed tamen non : λύπη κατὰ ϑεόν, ut Paullus verissime dixit, quoniam, quum itum non videamus, neque divino numine sperare possumus id, od contingere non nisi bono potest. Etenim felicem rebus suis itum a deo datum iri, is tantum sperare potest, qui sciat, se n adversatum esse consiliis divinis; adversatur autem deo, qui

peccat: facit enim, quod adversum est sanctissimae dei voluntati; ergo de felici rerum suarum exitu ei, qui vitiis indulget, desperandum est. Haec igitur vera pravae conscientiae quam dicunt vis est, quod naturam nostram peccato deteriorem redditam ad summum bonum consequendum ineptiorem factam esse sentiamus. Neque enim miseriae quidquam in hac prava conscientia esset, nisi ab ea via, quae ad summum finem ducit, peccando nos aberrasse ideoque futurae incolumitatis spe excidisse intelligeremus. Sed illa desperatio novum etiam malum afferat necesse est, quod, si spes defuerit ex tanta miseria evadendi, etiam consiliis viribusque careamus, quibus ad felicem rerum nostrarum exitum contendere possimus. Metus enim animum perturbat privatque fortitudine, ut neque capere consilia recta neque perficere possit; ex quo fit, ut hoc ipso metu virtus quotidie minuatur. Quae quum ita sint, vix opus esse videtur, ut moneamus, Servatorem divinum, ab his omnibus malis ut liberari homines possent, institutione, exemplo, vita, ipsaque morte effecisse. Nam non solum quid tamquam summum bonum unice expetendum sit, idque certissime sperari posse ostendit, sed etiam quo pacto consequi illud homines possint, demonstravit, ita ut, qui fidem ei habuerint, nunquam habeant, quod de felici rerum suarum exitu desperent; manifestum enim certumque fecit omnibus, unam esse sed certissimam viam, qua fugere miseriam peccati atque ad huius et futuri aevi veram felicitatem adspirare possint. Ex his autem illud denique intelligitur, miseriam peccati in hac quidem vita initium habere, sed per totum aevum futurum perdurare neque unquam prorsus tolli posse. Et illud quidem quamquam a multis parvi habetur, minime tamen contemnendum est, poenam seu miseriam peccati iam in hac vita incipere, neque fieri posse quin pessimus quisque etiam miserrimus habendus sit. Scimus quidem, plerosque peccatorum poenas in futura demum vita quaerere, et impunitatem, qua multi scelesti homines in hac vita fruuntur, futurae miseriae gravitate excusare. Sed quemadmodum iam nunc vere beatus est sapiens et probus, etiamsi omnibus terrenis bonis careat, ita etiam qui vitiis indulget, miserrimus est, licet omnibus nequitiae suae fructibus, dum vivat, abunde fruatur. De quo neminem futurum fuisse arbitramur qui dubitaret, nisi illa quam supra refutavimus opinio infixa esset multorum animis, miseriam peccati etiam corporeis quibusdam malis constare. Haec opinio

quum falsissima sit, tum propterea maxime fugienda est, quoniam perturbare quidem animum delicatum mollemque non autem vero peccati horrore imbuere potest. Imo haud pauci reperiuntur, qui voluptatibus tanto cupidius fruuntur, quoniam sciunt, iis post mortem esse carendum. Esto igitur animis nostris alte infixa haec sententia, qui peccent, eos iam in hac vita miserrimos esse, probos, etiamsi gravissimis calamitatibus vexentur, beatissimos. Postremo, quum anima nostra morte non interire, sed perpetuo vivere credatur, illud quidem ab omnibus conceditur, miseriam peccati post mortem perdurare, imo in futuro aevo certissime manere malos; sed an perpetua futura sit, a multis dubitatum est. Enimvero non dubitassent, quibus mitior sententia placuerat, si ab illorum cruciatuum imaginibus, quibus affici improbi a deo putantur, revocassent animum. Quamquam enim sine contentione concedendum est, scripturae sacrae loca, quibus aeterni cruciatus describuntur, ex vulgi potissimum sensu et opinione explicanda esse, tamen hoc quoque intelligitur, animam humanam, nisi per miraculum aut, quod Pontificiis placet, per purgatorium ab omnibus huius vitae sordibus liberata fuerit, damnum, quod peccato contractum est, per omne aevum sentire debere. Nam vitae brevissimae, cuius pars maxima aut levitate perit aut socordia amittitur, nequitiam aeternis cruciatibus puniri, id quidem iustitiae divinae non satis convenire videtur; sed hoc tamen et natura animae nostrae immortalis et vis peccati postulat, ut vitae flagitiosae et scelestae vestigia nunquam prorsus evanescere posse arbitremur. Nam etiamsi minui naturae perversitas aliquando possit, tamen qui vitam hanc perdiderit, is hanc iacturam perpetuo sentiat necesse est; tempus enim amissum est, cuius opportunitate qui recte usus est, is in futuro aevo felicius et celerius ad finem summum bonorum contendere poterit. Est enim aeterna futura illa beatitudo, cuius certissimnm aeternumque pignus habemus Servatoris vitam, mortem, reditumque ad patrem, qui ipsum misit in hanc terram, ut hominibus miseris propter peccata veram salutem ostenderet, afferret atque pararet; sed aeterna est etiam iactura, quam immortalis anima peccando factura est. Neque opus est, ut homines, qui perseveraverint in peccato, exempli causa poenas aeternas daturos esse existimemus, neque de poenis extraordinariis, quas dicunt, curiosius quaerendum est. Sed cavendum tamen est, ne miseriae futurae exspectationem ita minua-

mus, ea ut post mortem quam celerrime prorsus tolli posse videatur; imo credere necesse est, scelus nullum miserrimo eventu olim cariturum esse, quemadmodum quodcunque honestum factum nunquam prorsus interiturum sit.

DE

NATURA REVELATIONIS CHRISTIANAE EX VITA DOMINI IESU CHRISTI RECTE COGNOSCENDA.

Exemplum Domini, qui summa cum virtute olim inter homines vixit, in huius vitae mortalis tenebris tamquam sidus clarissimum intueri, quum omni tempore decet Christianos, *Cives Carissimi*, tum tamen his diebus maxime, quibus laetissimi exitus, quem divini Servatoris vita habuit, memoriam pia mente sumus celebraturi. Nam quum duabus potissimum rebus perturbari vita nostra soleat, aut vana spe lubidinis, aut inani metu rerum futurarum, ad animos mortalium erigendos vitamque vera sapientia imbuendam nihil efficacius et salubrius cogitari potest, quam quod illius exitus, quem vitae suae Dominus habuit, meditatione intelligamus, nobis quoque felicem rerum nostrarum exitum dari, sed nulla alia nobis illum via quaerendum esse, quam qua divinus magister ingressus est, atque hanc viam patere omnibus, non coeca amplius superstitione obscuratam, sed luculentissimo Domini exemplo illustratam atque munitam. Quo divino beneficio quantopere auctae fuerint res humanae, etsi multi non satis recte perpendant (plerique enim bonis, quorum usui inde a pueris adsueverunt, tamquam suis superbiunt, sed cui ea accepta referre debeant, paucissimi recordantur); tamen, quae fuerit hominum ante Christum conditio non veremur ne quis vestrum ita ignoret, quin lubenter concessurus sit, Christum, etiamsi ne verbo quidem instituisset homines, vel ob solam vitam suam habendum esse pro Servatore generis humani. Sunt autem haud pauci, qui de vita Domini ex praeceptis scholae potissimum iudicant et satis habent, illustri vitae hominis cuiusdam exemplo demonstrasse, quid facien-

dum et fugiendum, quidve unice expetendum sperandumque sit mortalibus, ut, quod ab iis postuletur, id etiam fieri posse omnes intelligant. Itaque vitam Domini tamquam perfectae virtutis humanae exemplum inspicere iubent, et quamquam recte praecipiunt, humanae, non divinae virtutis exemplum quaerendum esse, ut homines hominem imitari discant, tamen quae divina sunt in vita Domini et super omnium hominum vitam elata, ea silentio praetermittunt, sive quod, quanta illa sint, ipsi ignorant, seu quia verentur, ne non merum hominem Servatorem fuisse concedere cogantur. Quae res quum in multis aliis locis manifesta sit, tum in ea disputatione maxime, ubi de natura revelationis christianae disseritur. Agitur autem in hac disputatione non de veritate earum rerum, quae a Christo et Apostolis traditae sunt, sed de totius instituti, cuius auctor Christus est, origine; neque illud quaeritur, quo pacto intelligi possit, doctrinam christianam mereri fidem, sive quod capita eius cum ratione recta conveniant, sive quod nihil certe contineat, quod legibus rationis certo cognitis repugnare videatur; sed an doctrinae et ecclesiae institutio divinitus facta sit, id est numinis divini efficacia, cuius causae summae non pendeant ex legibus naturae viribusque humanis. Qua de re nondum convenire inter theologos etsi mirari quis possit, quoniam, si divino magistro fides habeatur, dubitari nequit, an christianae doctrinae et ecclesiae institutio divina habenda sit, tamen desinent mirari, qui sciunt, qua ratione disputatio illa inde a viginti fere annis instituta fuerit. Nam olim quidem in eo acquiescebant theologi, quod manifestum facere certumque possent, multa eaque clarissima facinora a Christo et Apostolis edita esse, quae luculenter ostenderent, illos homines adiutos fuisse singulari efficacia dei, neque in universa doctrina christiana quidquam reperiri, quod etiamsi non penitus perspici possit, tamen fidem summam non mereatur. Et poterat ea ratio sufficere illo tempore, quo cum adversariis revelationis divinae eodem fere modo disputandum erat, quo primi magistri christiani adversus Iudaeos et gentiles non inepte usi fuisse reperiuntur. Sed postquam de imperio rationis humanae eiusque finibus acrius disputari coeptum est, fieri non potuit, quin historica illa argumenta a miraculis et vaticiniis petita parum viderentur idonea his, qui nullam rem probandam esse ab ratione existimarent, nisi quam ea prorsus perspexisset, id est, cuius causas ex legibus suis explicare plane

posset. Ex quo factum est, ut iudicium de doctrina ipsa non iis tantum legibus regendum esse praeciperent, quibus omnino constat veri falsique discrimen, sed ut abhorrere ab ratione existimarent, si quis singulari divini numinis efficacia quidquam effectum esse crederet. Hinc orta sunt Rationalistarum et Supranaturalistarum invisa nomina. Nam illi quidem Rationalistae dici voluerunt, quod non tantum rationi humanae vindicarent summum veri falsique iudicium etiam in causa revelationis, sed potissimum propterea, quod omnia, quae vera haberi possent, ex ipsius rationis fonte tantum haurienda esse existimarent; eos autem, qui, etiamsi concederent, nihil pro vero haberi posse, quod falsum esse certis rationis legibus cognitum esset, tamen contenderent, fieri posse, ut numinis divini efficacia singulari hominibus quidquam traderetur, atque huic institutioni fidem habendam esse, si modo constaret, nihil in ea inesse, quod rectae rationi repugnaret, Supranaturalistas appellarunt. Quae nomina plus invidiae habent quam perspicuitatis ad causam de qua agitur recte intelligendam. Nam quum Rationalistae Supranaturalistis opponantur, facile intelligi potest, diversas causas commisceri: Rationalistis enim non Supranaturalistae adversi sunt, sed hi qui negant, summum veri falsique iudicium rationis rectae legibus constare: Supranaturalistae autem falso accusantur, quod obtrudere rationi humanae, quae ipsi repugnent, velint, imo in eo tantum ab Rationalistis, (qui rectius olim Naturalistae vocabantur) dissentiunt, quod fieri posse contendunt, ut innotescant hominibus res quaedam eiusmodi efficacia divina, cuius causae summae non pendeant ex legibus consuetis naturae et viribus humanis, ut supra dictum est, ideoque praeter leges rationis humanae alium esse fontem cognitionis rerum divinarum, singularem institutionem dei, quae revelatio appellatur. Ac vellemus semper observatum esse ab omnibus, non de eo disceptari, an summum veri falsique indicium rationis legibus certo cognitis constet, sed an eiusmodi institutio divina locum habere possit, neque id agi a Supranaturalistis, ut institutionem, quae ab legibus rationis abhorreat, obtrudant hominibus, sed ut monstrent alium fontem cognitionis rerum divinarum e singulari summi numinis efficacia oriundum, ostendantque quae facta sint supra naturam, ea non contra naturam aut ipsam rationem facta haberi posse. Sed hoc quam vere a Supranaturalistis affirmetur, non

huius loci est neque consilii nostri ut demonstremus; imo hoc tantum agemus, ut intelligatur, quae vera sit natura revelationis christianae, ex vita Domini rectissime cognosci posse.

Sed quum natura revelationis cuiuscunque in eo constet, quod summa eius causa quaerenda sit in efficacia dei supranaturali, i. e. eiusmodi, quae non pendeat ex legibus viribusque rerum creatarum, ante omnia, qualis cogitari eiusmodi efficacia debeat, accuratius explicandum est. Quamquam enim modus eius intelligi non potest, ut ab omnibus conceditur; hoc tamen obscurum aut ambiguum esse non debet, quid factum cogitemus, quum revelatione facta aliquid supra naturam factum esse dicamus. Omnia autem, quae facta cogitari possunt, aut per naturam aut per vim superiorem facta cogitantur. Et per naturam quidem factum creditur, quod factum est per eas vires, quae insunt naturae rerum creatarum, veluti nasci hominem mentemque eius ita excoli, ut instituere alios doctrina salutari possit. Licet enim illae quoque vires ad deum, tamquam summam rerum omnium causam, referendae sint, tamen naturae vires sunt rerum creatarum, in quibus ratio et causa, cur illa facta sint, quaerenda est; ideoque per naturam, non per deum facta proprie dici possunt. Male igitur docent, qui quum de divina quadam efficacia in hominibus instituendis educandisque maxime conspicua loquuntur, nihil amplius cogitari volunt, quam quod illae vires, ex quibus oriantur omnia, divinitus insitae olim naturae fuerint. Scilicet ne quis putet nos subterfugere velle invisum multis nomen Supranaturalistae, supranaturalem efficaciam dicimus, quae non per naturam, sed per vim eandem orta est, quae ipsius naturae viriumque eius causa esse creditur. Est igitur supranaturalis efficacia ea habenda, cuius causae summae non sunt in viribus naturae insitis, sed in vi divini numinis, per quam ipsa natura omnium rerum orta cogitatur. Itaque quum dicimus, revelationem factam esse supranaturali efficacia, concedimus eam factam esse per eandem vim, quae ipsius naturae causa olim exstitit. Non differt igitur eiusmodi efficacia ab illa, per quam ipse mundus seu natura exstitisse creditur; haec enim aut non creata a deo aut supranaturali efficacia producta cogitanda est. Et sane mirandum est, eos, qui supranaturalem efficaciam negant, non intelligere, se omnem omnino divini numinis efficaciam ex mundo tollere. Etenim si qua est dei efficacia

eam naturae vi potentiorem esse necesse est; neque intelligi potest, quo pacto ipsius mundi causa esse deus possit, si nulla alia efficacia dei cogitari debeat, nisi quae per ipsas naturae vires operetur. Quin manifestum est, Supranaturalistas nihil aliud affirmare, quam quod ab omnibus, qui deum esse credunt, conceditur, esse vim quandam infinitam vi naturae superiorem. Itaque naturam revelationis in eo ponendam esse putamus, quod eadem dei efficacia orta sit, per quam ipse mundus creatus esse credatur; quae vis quum prior fuerit ipsa natura et naturae vim superet, recte dicitur supranaturalis. At dicat aliquis, quae nunc quidem fiant supra naturae vires, ea contra naturam fieri, quoniam fieri non possint nisi neglectis perturbatisve legibus naturae. Sed facile convelli potest haec opinio. Primum enim intelligi non potest, quod per vim supremam fiat, non per vires naturae insitas, id necessario fieri contra leges naturae. Aliud est enim effici quidquam per naturae vires, aliud secundum leges naturae insitas; ideoque quum dicimus, revelationem non factam esse per vires naturae, negamus tamen, eam contra leges naturae factam esse. Deinde si verum esset, quamcunque efficaciam, cuius causa non sita sit in ipsius naturae viribus, contra naturam esse, illud quoque concedendum esset, nullam omnino dei efficaciam cogitari posse, nisi contra naturam; nam ubi deum ipsum operari quidquam cogitamus, ibi concedendum est, vim, quae naturam superet, in natura operari, neque naturam esse quae operetur, sed ipsum deum. Denique si quis dicat deum operari tantum per naturam, is vere omnem efficaciam dei tollat e mundo, ut modo dictum est; nam si fieri non posset, ut deus vi quadam supranaturali uteretur, neque in natura operari quidquam posset.

Sed haec quidem brevius eo tantum consilio disputata sunt, ut intelligeretur, quamnam dicamus veram naturam revelationis christianae, scilicet primas causas ex quibus orta est, qua[illegible] das esse in supranaturali efficacia dei. Hanc autem esse [illegible] ram revelationis christianae, quamvis aliis quoque modis i[illegible] gitur, in primis ex ipsius divini magistri dictis, quippe qu[illegible] coram populo tantum, sed apud amicos neque credentibus [illegible] laribus, sed maxime obstrepentibus et repugnantibus const[illegible] affirmaverit, se a patre, apud quem ante mundum conditum [illegible] set, missum esse, ut edoceret homines, atque doctrinam [illegible] traderet, non esse suo ingenio excogitatam, sed eam se de [illegible]

in terram attulisse, nihilque aliud se tradere, quam quod ab ipso deo accepisset; tamen verissime etiam ex ipsa vita Domini cognosci posse putamus, quod brevi oratione demonstrabimus.

Hic primum quidem hoc non est praetermittendum, quod ab omnibus conceditur, vitam Domini eiusmodi fuisse, quae homine a deo legato ac singulari efficacia instructo dignissima videri debeat. Nam si quid in ea desideraretur, quod ad perfectissimi hominis imaginem fingere mens humana sibi potest, verendum esset, ne valde minueretur fides eius, qui quum ipse vitiis quibusdam laboraret, non tantum divinam sibi auctoritatem vindicasset, sed etiam cum divino numine omni ex parte se consentire affirmasset. Oportebat enim hominem quidem esse servatorem generis humani, ὅμοιον κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς, sed χωρὶς ἁμαρτίας, τέλειον, ἄμωμον, qui dum perfectam naturae humanae imaginem referret, ostenderet mortalibus etiam imaginem dei. Itaque ex vita Domini hoc primum intelligitur, nihil esse quin credamus, hominem unum ex omnibus perfectissimum et sanctissimum divini numinis consilio et efficacia inter mortales vixisse, praesertim quum reliquorum vita hominum alia omnia doceat. Etenim hoc quoque in votis maxime esse debebat, ut si quis a deo ipso mitteretur ad tollendam miseriam peccati, is etiam exemplo suo demonstaret, fieri posse ut homines, quod ab iis postuletur, etiam faciant futurique aevi incolumitatem huius vitae laboribus consequantur. Decebat enim τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας hanc ipsam praeire et monstrare viam, qua homines, a peccati miseria liberi, ad felicem rerum suarum exitum contendere et summum naturae suae bonum consequi possint. Erat sane in ipsa vita Domini quaedam revelatio divina; manifestum enim omnibus factum est, quae sit vera ratio salutis aeternae. Quod si quis ad pietatem potius aptum hoc existimet, quam ad intelligendam divinam originem institutionis Christianae, eum recordari necesse est, nullam magis desiderabilem revelationem cogitari posse, quam verissimae et perfectissimae virtutis humanae, cuius clarissimum exemplum frustra semper expetitum a vita sanctissima Domini conspiciatur. Certum est enim omnibus factum, non vanis consiliis mentem humanam agitari; nam qui propositus est finis omnibus, eo ille vere potitus est.

Sed quamquam maximum hoc est et plane divinum beneficium, quod manifestum hominibus factum est, de quo qui dubi-

tat aut desperat, is vero miserrimus habendus est, tamen vitam Domini veluti ex altiori contemplari loco oportet eos, quicunque et divinam, quae in ea inest, virtutem conspicere et veram naturam revelationis christianae cognoscere ex ea cupiunt. Nam quum revelationis cuiuscunque ea natura sit, ut divina efficacia humano generi ostendat, quod neque sensibus percipere neque in hoc mortali rerum humanarum cursu reperire quisquam potest, intelligitur, per vitam Domini naturam instituti divini, quod doctrina et ecclesia christiana constat, mirifice illustratam esse. Scilicet per vitam Domini cognoscitur, quod nulla alia cognosci ratione potest, imo rebus certissimis demonstratur, quod si quis argumentis cognoscat, is verendum est ne aut huius vitae rationibus aut sibi ipsi diffidere cogatur. Etenim vita Domini certum factum est, divini numinis consilia vitaeque nostrae fines non hoc mortali circulo contineri, sed immortalis aevi spatium amplecti. Apparuit enim ἐν τῷ κόσμῳ, quod oculis humanis cerni non potest, etiamsi maxime desiderat mens nostra immortalis, divinam efficaciam et naturae nostrae vim non solum amicissime conspirare, sed etiam causas suas summas finemque suum in iis potissimum rebus habere, quae sensus nostros et aevum hoc mortale superant, ideoque πίστις, ἐλπιζομένων ὑπόστασις, facta est πράγμασι πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Nolumus hac in re miracula spectari potissimum, quibus vita Domini illustris fuit, sed quod humanum quidem est, id est, humanae naturae rationibus quidem accommodatum, sed super mortalem spem elatum, quod immortalia vitae consilia suadeat divinaeque naturae vestigia ostendat. Est enim in vita Domini conspicua vis quaedam et efficacia, cuius origo et finis non his rebus, quae oculis cernuntur, neque in hoc mortali aevo continentur, sed in infinito atque immortali bono, quod omnes expetunt, quamquam nemo id consequitur, dum ἐν τῷ σώματι τοῦ θανάτου τούτου versatur. Itaque natura revelationis divinae per ipsam vitam Domini manifesta facta est, quippe quod haec ipsa vita luculentissima vestigia ostendat divinae ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ efficaciae, id est eiusmodi, quae finem exitumque suum non habeat in his rebus humanis. Nam ad illam quidem fidem non argumenta sufficiunt, sed πράγματα desiderantur; est enim ea τῆς πίστεως natura, ut huius vitae rationibus nullo pacto acquiescere possit, sed fines rerum mortalium excedat, aut incerta

agatur. Sed vita Domini humana quidem illa, sed vere divina, id est immortalis infinitisque naturae nostrae finibus accommodata, verissime demonstrat efficaciam numinis supremi, cuius origo finesque huius mortalis aevi spatium excedunt imo in immortali rerum cursu quaerendi sunt.

Nam vita Domini ipsa pro revelatione divina habenda est, eiusque doctrina veluti summam tantum earum rerum continet, quas ille, dum in his terris viveret, luculentissime τῷ ἔργῳ demonstravit. Nihil est enim in doctrina Christi, quin vita eius illustratum sit, neque spes quaedam ostensa est, quin suo exemplo divinus Servator certissimam fecerit; atque mysteria τοῦ κόσμου τούτου vita Domini manifesta facta sunt mortalibus. —

DE
REBUS AFFLICTIS ECCLESIAE EVANGELICAE IN GERMANIA.

Trecentesimum paucis diebus annum ingressuri sumus, *Cives carissimi*, ex quo Lutherus, immortale Germaniae decus, ecclesiae Christi perversis hominum studiis corruptae tantam beneficio divini numinis lucem attulit, ut rerum maximarum ab illo gestarum fructus uberrimos non solum ii qui partes eius sequuti sunt, sed adversarii quoque perceperint et, si sapiant utrique, etiam in posterum percipere possint. Sed in ea tempora incidimus, quibus valde verendum est, ne fata ecclesiae evangelicae ab initio ad nostram aetatem percurrentes, pro maximis de rebus olim gestis laetandi causis, multiplicem doloris et tristitiae materiam inveniamus. Quamquam enim ab eorum ratione alieni sumus, qui de rebus humanis, quibus ipsi neque consulere nec succurrere possunt, desperandum esse putant: scimus enim, de providentiae divinae, qua omnia reguntur, sapientissimo consilio non iudicandum esse ex incertis et fallacibus consiliis hominum, imo pleraque eaque gravissima tunc praeclarissime et ad veram hominum salutem optime geri, quum minime gerantur ex voluntate eorum, qui generis humani tutelam aut sponte susceptam aut fato dela-

tam administrant: tamen eorum etiam levitas et socordia vituperanda est, qui de ea potissimum re, qua nulla unquam salubrior data est mortalibus, parum solliciti in diem vivere consueverunt ipsiusque veritatis coelestis interitum securi prospiciunt. Ob quam socordiam si quis maximam eorum partem vituperaverit, qui tutelam illam quum maxime affectant, imo divinitus sibi eam delatam esse gloriantur, non veremur, ne is iniuriam illis facere videri peritis possit. Etenim concedimus quidem lubenter, fieri non posse, ut hi, quorum regnum est huius mundi, de coelesti pietatis et virtutis regno inter homines amplificando prius consilia ineant, quam de civibus ab externa iniuria defendendis et ab internis hostibus, veluti caritate, fame, egestate, peste, liberandis satis prospectum fuerit; neque ignoramus, legibus et imperiis humanis non regi aut conservari ecclesiam dei. Sed tamen omnium fere seculorum experientia docuit, ab eo inde tempore, quo magistratibus civilibus subiecta est ecclesia, plerosque maiestate ecclesiae ad sua consilia potius perficienda usos esse, quam potestate divinitus ipsis concessa (Rom. XII, 1.) ad ipsius ecclesiae veram utilitatem. De quo ipsum Lutherum saepius gravissime conquestum esse satis constat*). Et erat tamen illius aetate recens sensus malorum, quae ex neglecta cura publica religionis oriuntur, intelligebantque principes fere omnes, reipublicae salutem moribus civium contineri, mores autem ad quaevis vitia labi, contemta religione et pietate erga deum, neque divitias avide congestas quidquam proficere aut militum copias, si illud omnium virtutum fundamentum convulsum eversumque fuerit. Postea vero quam per Augustanam pacem certis legibus constituta est ecclesia Germanica, theologi quidem ad rixarum studium non diu intermissum redierunt, principes autem libertatis Mauricii potissimum virtute denuo servatae bonis ad suum imperium augendum usi sunt. Erat tamen libertas illa sapienter constricta legibus imperii, quae licet ad externos hostes repellendos minus validae videri possent, tamen ad civium ipsorum libertatem tuendam ipsamque ecclesiam a superstitionis et avaritiae consiliis defendendam saluberrimae fuerunt. Quod nostra adhuc aetate experti sumus, quum evangelicae ecclesiae libertas in comitiis imperii principis nostri potissimum auctoritate felicissime defendere-

*) Vid. v. c. *eius Praefat. ad Ordin. Eccles. Leisnicens. Tom. X. Opp. p. 1149. ed. Hal.*

tur. Sed inciderunt illa tristissima tempora, quibus labefactata primum omnia, principum consilia turbata, civium mores aut pessimis exemplis corrupti aut maximis calamitatibus profligati sunt, ipsum denique eversum Germaniae imperium. Fuit illa cruenta tempestas ecclesiae perniciosior, quam vulgo existimant hi, qui res divinas humanis consiliis aestumare consueverunt. Et illa quidem aliis relinquamus observanda vulnera, quae Romanae ecclesiae inflicta sunt non solum reipublicae Gallicae conversione, sed etiam rupto vinculo, quo ecclesia illa olim continebatur, inprimis in ludibrium versis sacris publicis, animis fidelium ab religione aversis, desertis scholis ipsisque templis. Quamquam ea mala tanta sunt et tam atrocia, nostro quidem iudicio, ut pessima consilia suadere videantur, qui de opibus restituendis et de externo ecclesiae illius splendore instaurando unice cogitant. Sed evangelicae quoque ecclesiae tanta illud tempus damna intulit, quibus nisi omnes, quorum consilio imperiove res sacrae administrantur, omni studio succurrant, verendum sit, ne irreparabilem iacturam fecisse videamur. Itaque postquam communis ille gentis Germanicae hostis divino beneficio debellatus erat, quum primum ad pacis morem legesque redeundi copia facta esset, sperare omnes boni poterant, fore ut de ecclesiae quoque restituendis rationibus serio cogitarent, quorum virtute servata Germania videretur. Quam spem ad hunc diem vanam fuisse non mirabuntur quidem, qui in summa consiliorum humanorum vanitate nullam esse spem certam sciunt ideoque coelesti ecclesiae gubernatori confidunt, qui in coelum ascendit, ut omnia perficeret. Sed tamen nos omnes diligenter considerare mala nostra oportet et circumspicere causas morborum, quibus laborat ecclesia evangelica; decet publice obtestari fidem et curam eorum, quos in coelestibus bonis conservandis tuendisque non minori virtute, quam in restituendis amplificandisque finibus regnorum expellendoque superbissimo hoste usuros esse confidimus; decet nos hortari invicem et monere, quoniam manifesto adest tempus, *quo ad radicem arborum admota iam est securis, et exscindetur omnis arbor, quae non facit fructum bonum, ut purgetur vinea Domini.* Proinde proximis diebus cum laeta priscorum bonorum nostrorum recordatione praesentium malorum sollicitam cogitationem iungamus, et quae vera, et quae necessaria sunt, palam dicamus hoc maxime tempore, de

quo Paulus vaticinatus esse videtur, quum scriberet: (2. *Ep. ad Timoth. IV*, 3. 4.) ἔσται καιρὸς ὅτε τῆς ὑγιαινούσης διδασκαλίας οὐκ ἀνέξονται, ἀλλὰ κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τὰς ἰδίας ἑαυτοῖς ἐπισωρεύσουσι διδασκάλους, κνηθόμενοι τὴν ἀκοήν· καὶ ἀπὸ μὲν τῆς ἀληθείας τὴν ἀκοὴν ἀποστρέψουσιν, ἐπὶ δὲ τοὺς μύθους ἐκτραπήσονται.

Est autem non una causa malorum, quibus nunc quum maxime vexatur ecclesia evangelica; alia enim externa sunt, alia interna, alia nulla culpa nostra orta sunt, alia vitio nostro nascuntur, imo dudum nata crescunt indies eoque perniciosiora sunt, quo diutius latent imperitos. Neutrum vero genus malorum dissimulare licet; de utroque prospiciendum est.

Primum igitur ecclesiam evangelicam imperii Germanici legibus exstinctis gravem iacturam fecisse quisque intelligit et nuper a viro peritissimo accurate demonstratum est*). Itaque paucis tantum ea de re dicemus. Hoc autem loco ante omnia, quae legum illarum in ecclesiae evangelicae statu publico conservando vis fuerit, diligenter observandum est, ne illis abrogatis vanum metum concipiamus. Nam eo quidem tempore, quo illae leges conditae sunt, magis etiam necessariae videri poterant quam nostra aetate, qua, communi fere omnium populorum christianorum consensu, libertas concedenda est singulis civitatibus res sacras et cultum publicum secundum eam doctrinae formulam instituendi, quae cuique visa fuerit verissima. Constat enim, olim leges civiles humanis de religione christiana opinionibus ita imperasse, ut qui dogmata aliqua aut ab imperatoribus confirmata aut a summo ecclesiae pontifice probata deseruissent, hi iure civitatis in Germania privarentur, adeo ut civitates quoque in haereseos crimen incurrentes vi et armis peterentur. Itaque tunc quidem pacti sunt principes mutuum ius circa sacra, quod dicitur, ne cives religionis causa vexarentur aut rixis et controversiis de doctrina christiana iura civilia turbarentur. Quae res statum Germaniae publicum tam feliciter immutavit, ut si nullam aliam causam haberemus, certe ob hanc solam celebranda esset virtus eorum, qui ab haereseos crimine animos civium ipsasque civitates liberarunt. Neque verendum est, ne soluto imperii Germa-

*) **Plank** *über die gegenwärtige Lage und Verhältnisse der katholischen und der protestantischen Parthey in Deutschland, Hannover* 1816.

ci vinculo illud ius iterum in discrimen veniat. Numquam enim incipes ipsique populi libertatem christianam semel restitutam ipi sibi patientur. Itaque leges illas abrogatas esse non proerea querimur, quasi bella, populorum persequutiones, princiım exsilia, religionis causa denuo metuenda sint. Neque aliıem fore putamus ita stolidum, quin intelligat, eo rem devesse, ut legibus vel crudelissimis effici non amplius possit, quod ne summa iniuria nullo pacto fieri potest. Et ipsi principes re omnes bellis perpetuis eo redacti sunt, ut etiamsi animus ›s ad religionis studium ferat, de populis ad certam doctrinae ›rmulam adigendis ne cogitare quidem possint, imo pacis vel aximc diuturnae otio ad vires civium suasque reficiendas uti ›beant. Praeterea quoniam a vera christiani hominis et princis quoque indole alienissimum videri debet, ad religionem suspiendam aut vi cogere aut artibus seducere cives; nam quum ›rrenum dominum alienum invitis hominibus, ceu gregibus patorem imponere minime christianum haberi possit, qua tandem atione christiano nomine se excusaverint, si ad coelestem dominum suo ipsorum lubitu colendum cives suos cogere voluerint: non verendum est, ne tam atroci iniuria populos affecturi sint, qui divina iustitia moniti ad normam praeceptorum Christianorum se in posterum regnaturos esse publice spoponderunt.

Sed fuit tamen in illo statu publico ecclesiae christianae vis eximia, qua cum legibus illis sublata valde verendum est, ne magnam iacturam fecerit et multo magis in posterum factura sit ecclesia evangelica. Et primum quidem quum necesse sit, quamcunque societatem, quae certis legibus coierit, publica cura regi sustentarique, tum ecclesia quoque auctoritate quadam indiget, qua ab malevolorum consiliis leviumque hominum ludibriis tuta videatur. Nolumus enim liberam religionis vim legibus et arbitrio magistratuum coerceri; nolumus hominem homini capita fidei praescribere formulasque et cerimonias, tamquam necessarias ad aeternam salutem, imperare; nolumus divinam doctrinam ex hominum arbitrio pendere. At male tamen cum ecclesia agi existimamus, quae a principibus aut prorsus deseratur, aut pro humano tantum instituto habeatur, cui quisque imperare sibi licere putet ut velit. Quid enim, ut de hoc primum expostulemus, populum putabimus de sanctitate religionis iudicaturum esse, quum videat, nihil fere aliud agi quam ut templa dei bellorum

pompis splendeant, et paganorum more resonent supplicationibus ambitiosis, dum ministri ecclesiae civilibus negotiis vexati exactionibus, militum hospitiis aliisque sumtibus magna redituum suorum exiguorum parte privati perpetuum rerum diversissimarum praeconium facere cogantur? Norunt omnes, quid per illam atrocissimam tempestatem actum sit, et sciunt periti, quanta vulnera religioni et moribus inflicta fuerint. Iam quid superest, quum nonnisi de finibus regundis, de animarum quas dicunt rationibus subducendis, de bonis terrenis restituendis videat populus consilia iniri, sed de ecclesiae maiestate revocanda, de religionis sanctitate servanda cogitare neminem? Errant sane qui credunt, populum externis malis oppressum ab illarum rerum cogitatione alienum esse. Videt enim et sentit et tanto gravius afficitur, quo magis se ipsum inopem consilii esse intelligit. Neque in patria nostra adeo sunt excordes cives, ut rerum, quas ipsi cum primis sanctas habent, contemtum aequo animo ferant, praesertim quum undique audiant querelas eorum, qui ecclesiam in pessimo statu esse imprudenter proclamant. Est enim maius ab eiusmodi rebus periculum timendum in gente exculta quam in rudi et superstitiosa. An nos tam stultos Germaniae incolas existimemus, ut statum ecclesiae miserrime turbatum externo templorum et cultus publici splendore augendo emendari posse credant, quin sentiant plurimi, non de coelesti regno Christi inter homines stabiliendo et defendendo agi hoc seculo, sed de consiliis dominationis humanae? Verum haec non sola causa est, ob quam, soluto imperii Germanici vinculo statuque publico ecclesiae evangelicae sublato et ad hunc diem neglecto, magnam iacturam fecisse haec ecclesia nostra videatur; quin hoc gravissimum malum inde ortum est, quod ecclesiae, quae evangelicae seu Protestantes dicuntur, nunc ita dissolutae et in partes plurimas dilapsae sunt, ut careant omni communi vinculo, neque habeant, a quo consilium auxiliumve petere et sperare tuto possint. Nam Romana quidem ecclesia, quae caput visibile habet, nunc non destituitur communi rectore et praeside, cuius auctoritate singula eius membra contineantur, Evangelica autem ecclesia iam sibi relicta, destituta a principibus Germanicis et cuiusvis arbitrio vel ludibrio permissa est. Quamquam enim illius collegii, quod, dum staret imperium Germanicum, Corpus Evangelicorum dicebatur, non ea potestas fuit, quae a plerisque ec-

clesiis catholicis, quae dicuntur, conceditur pontifici Romano, plurimum tamen illius auctoritas profuit non legibus frequentioribus, sed sua maiestate. Constat enim, plus saepenumero verecundiam valere quam leges et metum poenarum. Et erant illi inter ordinis imperii veluti vigiles et curatores status publici, qui viderent, ne quid ecclesia evangelica detrimenti caperet, eratque tanta illius collegii auctoritas, ut post pacem Westphalicam haec sola plerumque suffecerit ad reprimenda consilia adversariorum. Neque vero quemquam fore putamus, qui eiusmodi vinculo non amplius opus esse existimet. Primum enim sponte intelligitur, ecclesias, quae tali necessitudine destituantur, longe deterioris esse conditionis quam societatem eorum, qui quantumvis dissimulent, tamen communi consilio regantur. Illae enim et singulorum hominum studiis distrahi facilius possunt neque habent, qui communi utilitati prospiciant, imo pati omnia coguntur, dummodo ne laedantur iura principum. Quod si tunc, quum incolume adhuc esset corpus Evangelicorum, nonnunquam ab omni iniuria defendi non potuit ecclesia evangelica, quin templa sibi erepta magnumque hominum numerum armis ad aliena sacra suscipienda coactum frustra conquesta est, cuius rei exemplum non ultimum praebent conditiones pacis Rysvicensis*), quis putet fieri aliquando non posse, ut singulae ecclesiae communi principum consilio auxilioque destitutae similem iniuriam pati debeant? Quamquam igitur non in ea sententia sumus, ut ad securitatem ecclesiae evangelicae tuendam eiusque iura defendenda aequales singularum ecclesiarum vires civiles necessarias esse existimemus; putamus tamen, evangelicam quoque ecclesiam in Germania tutoribus publicis et communi principum consilio indigere. Nondum enim exstinctae sunt irae necdum consumta materia iniuriarum; imo verendum est, ne denuo licentius se efferant, quos morem suum et consilium mutaturos esse credi non potest, inprimis quum videant, quanta socordia apud nos omnia gerantur. Nam hoc quidem vitio verti nulli societati potest, quod vires suas augere et nova membra sibi conciliare studeat; sed hoc a nobis quoque cavendum est, ne nostra nobis bona eripiantur. Neque dubitari potest, quin evangelica ecclesia ma-

*) Vid. Pütteri *systematische Darstellung der pfälzischen Religionsbeschwerden*, p. 107 sq. et Spittleri *Würtembergische Geschichte*, p. 294 sq.

gis vituperanda sit, quod id neglīgentius omiserit, quod studiosius Romanam facere temere reprehendimus. Nam quaecunque ecclesia quum iura sua conservare studet, non iure solum suo utitur, sed etiam officio suo fungitur, quod fieri non potest, nisi videat, ne altera ecclesia sibi bona eius comparet. Sunt autem bona ecclesiae evangelicae neque in opibus terrenis sita neque in civili potestate clericorum; sed ea cum vero ecclesiae christianae fine ita coniuncta sunt, ut nunquam sine exitiali discidio possint segregari, in veritatis divinae liberrima propagatione, in christianorum vera evangelii doctrina imbutorum crescente indies scientia et fide, in superstitionis et impietatis feliciori exstirpatione, denique in maximo numero eorum, qui per doctrinam divinam vere beantur. Sed haec bona qua tandem ratione conservari augerique possunt, nisi prospiciat ecclesia nostra, ne divinorum decretorum loco iterum obtrudantur animis imperitorum commenta humana, numerusve hominum, qui Evangelio obtemperant, indies minuatur, nisi tantum nos fecerimus pro causa nostra, quantum pro sua illos facere reprehendi non possit? Quod quum a nobis prorsus negligatur, non illi quidem accusandi sunt, sed nostra socordia et negligentia gravissime reprehendenda est. Quis igitur improbet, quod in conventu illo Vindobonensi de repetundis bonis ecclesiae Romanae actum est, etiamsi id tunc quidem neque tempestive nec sine ambitione factum videri possit? Sed de nostris bonis conservandis neminem nostrum cogitasse quis tandem probaverit? Sed hic audire videor quosdam obstrepentes: Quid? tu principum singulorum fidem et sapientiam pro nihilo habes, ut communi potius consilio et mutuo timore ecclesiam tutam fore credas? Ego vero, qui iustissimi et sapientissimi principis nostri virtute plane singulari ecclesiae evangelicae iura in patria nostra integra conservata esse sciam, qui, quantum confidere cives principi vere christiano possint, admirabundus ipse intelligam, nec dum vivam, praedicare desinam, licet his miserrimis temporibus atque in hac atroci suspicionum tempestate cives Germaniae omnes optima quaevis sperare sibi et posteris suis malim, in tanta tamen sortis et voluntatis humanae inconstantia, quum legibus potius et nobilissimae gentis communi consilio quam singulorum hominum arbitrio rem sanctissimam commissam velim, neminem malorum nostrorum gnarum fore puto, qui inani humilique metu affectum me captumque

existimet. Quid enim? gentem Germanicam non nisi foedere communi satis tutam putamus ab iis hostibus, qui et longius absunt et quorum nota est malignitas, et qui eo genere nobis adversantur, quo potuimus ipsi semper plurimum, armorum contentione; sed adversus eos hostes, qui in cervicibus nostris sunt, qui imperitos potissimum adgrediuntur, qui malis artibus, quibus semper obnoxia fuit Germanorum simplicitas, adversus nos utuntur, singulorum principum mortalium voluntate defendi posse credamus ecclesiam evangelicam inermem, in plurimas partes discissam, ab omni violentia alienam, denique extrema prius pati assuetam quam vim vi repulsuram? An exspectabimus, ut diuturnis vexationibus defatigata quaedam Germaniae civitas fortioris principis auxilium imploret, ut is religionis causa bellum inferat ipsorum civium sumtibus gerendum? Nimirum capiet is lubenter hanc causam diu quaesitam bello aliquem opprimendi, restituet civibus ereptas scholas, opes, aedes; reddet iura et sacra turbata, scilicet ut illa omnia cedant in potestatem suam. Quid vero miserum magis et exitiale cogitari potest, quam sanctissima iura in id discrimen adduci, ut contra principem suum cives alienum auxilium petant et in bella civilia ruant? Neque aliarum gentium exemplum opponat aliquis, quarum status ecclesiasticus unius principis consilio et auctoritate regatur. Illae enim uni tantum principi obtemperant, iisdem legibus reguntur, unius imperio vel sponte vel inviti parent; quamquam nostra quoque aetas vidit, quanta crudelitate, certe non impediente principe, saevitum fuerit in eos, qui secundum divinam scripturam colere Christum malunt, quam secundum commenta et traditiones humanas. Sed longe alia est gentis Germanicae conditio. Est enim ea in plurimas divisa civitates, quae etsi diversis sacris in duas partes abierunt, tamen ita sunt consociatae, ut qui diversissimas de religione opiniones habeant, iisdem tamen civilibus iuribus utantur. Itaque inde a Sec. XVI. singularum civitatum Germaniae necessitudo duplex est, altera civilis, altera ecclesiastica, quorum mutua coniunctione moderanda plus sapientiae constat, quam ii existimant, qui apparatus bellici magnitudine salutem populorum aestumare consueverunt eamque gentem felicissimam putant, quae ad bellum inferendum, depellendum, ad maximas copias unius nutu principis cogendas maxime idonea, denique ad quaevis ambitionis aut avaritiae consilia promtissima et

aptissima habeatur. Neque errare nobis videntur, qui in hac ipsa duplici necessitudine praecipuam causam quaesiverint, cur gens Germanica ab aliis gentibus saepissime delusa per tria post Lutherum secula tanta incrementa ceperit, ut in nullo genere earum rerum, quibus vera hominum felicitas et dignitas censetur, ab aliqua gente superetur. 'Fuit enim hoc singulare beneficium foederis Germanici, quod ecclesiae quoque status publicus certis legibus esset stabilitus, ita tamen ut ipsi cives liberrimi essent, et ab omni iniuria quam maxime tuti. Est igitur instauranda illa necessitudo, est novo foedere ecclesia evangelica quoque stabilienda in patria nostra, ut, quoniam ipsa ab omni vi externa aliena est, imo hoc tantum propositum habet, ut quae neque terrenis parari opibus neque potestate hominum defendi possunt, vitae sanctioris et ad immortalia aspirantis beneficia et ornamenta inter christianos conserventur, hoc certe legum civilium auctoritate caveatur, ne vis ei ultro inferatur. Quod Germaniae principes sedulo curaturos esse tanto certius sperari potest, quo magis illi pro sua sapientia intelligunt, res publicas legibus certis tutiores esse quam incerta singulorum voluntate. Nobis autem, ne gravissima tempora et foedissimas calamitates frustra pertulisse videamur, nihil aliud quod optemus relictum est, quam quod inter ipsa illa comitia Augustana, in quibus Lutheri virtus mirifice eminuit, unice se optare scripsit verissimus ille Germanus, Ulricus Huttenus, *ut nunc maxime agnoscat se Germania.*

Sed haec non est sola causa malorum, quibus nunc affectae sunt res nostrae; neque fortuna tantum adversa patriae accusanda est. Nam gravissima mala nostro vitio nata sunt, de quibus, quamquam dici vix potest sine invidia multorum, tamen, quod verum est, dicere oportet; est enim deo magis quam hominibus obtemperandum. Negari enim non potest, in ecclesia nostra multa commissa esse, quibus non solum veritas evangelica iam in summum discrimen adducta videri debeat, sed etiam ipsa ecclesia labefactata et concussa brevi, ut nonnulli ominantur, tristissimam ruinam sit factura. Quis enim res nostras integras esse putet quin misere afflictas existimet, quum divinam scripturae sacrae auctoritatem minutam, Christi maiestatem ad humanae sapientiae sortem deiectam, subtilitatis curiosae ieiunitatem cum somniis mysticis indies superbius se efferentem, ipsamque illam

iscam barbariem reditum in scholas nostras parantem videat? uod quum ingenue fatemur, negamus tamen illa vitia ex nara et ratione ecclesiae evangelicae orta esse aut oriri debuisse, nonnulli criminantur, qui Lutherum totamque sacrorum chriianorum instaurationem, Sec. XVI. factam, contemtae religios et pietatis christianae praecipuam causam exstitisse dicunt, quidquid ἀπιστίας post illud tempus natum est, id nostrae clesiae vitio dare consueverunt. Scilicet quod ecclesia nostra divina doctrina constituenda solam scripturam sacram audienm esse praecepit, hinc librorum sacrorum contemtus ortus est; od ecclesiam dei hominis tamquam vicarii et interpretis Christi bitrio subiectam esse negamus, ipsius Domini maiestatem laesias; quod in causa religionis non hominum auctoritati cedenm, sed omnia diligenter et religiose exploranda esse docemus, mae illi disputationum ambitioni locum dedimus; quod animum erarum bonarum studio quam maxime excultum a superstitione tissimum et liberrimum esse cum Luthero putamus, nostra ilpa est, quod multae scholae pessime constitutae reperiantur. aimvero non ecclesiae nostrae decreta accusanda sunt, sed via hominum, qui saluberrimis rebus haud raro ad suam aliorumae perniciem pessime abutuntur. Neque enim quod scripturae crae tamquam unicae normae fidei studium indefessum commenatum est, factum videri potest, quod omnes iure exprobant, sed uod scripturam sacram non ex mente et consilio Christi, sed e a sententia interpretati sunt, quod a simplicitate, qua sola reum divinarum veram imaginem concipimus, recesserunt, quod a quid Christus et Apostoli dixerint, sed quod ipsi illos dixisse allent, quaerere coeperunt, quod divina omnia ad fabulas ablegare nihilque aliud in religione relinquere consueverunt, quam raecepta legesque rationis humanae, denique quod linguarum t literarum veterum studium aut ipsi contemnunt, aut ad antiam superstitionem quae illis videtur ostendendam superbe adibent, ipsique scripturae divinae minorem, quam cuicunque libro mano, fidem habere didicerunt. Quam perversissimam multom rationem si quis dicat ex ecclesiae evangelicae decretis orm esse, is maxima eam iniuria afficiat idemque fere agere viatur, quod faciunt hi, qui philosophiam et rationem humanam cusant, quoniam pessimi philosophi sunt nonnulli, neque ream rationem omnes sequuntur. Immo enim vero ecclesia evan-

gelica vel maxime propterea periclitatur, quod, scripturae auctoritate imminuta, primarium illius decretum abrogat. Quid enim obstat, quo minus labefactatam dicamus ec nostram, cuius fundamentum prope iam eversum est, quid restat, quum indies latius propagari eorum licentiam vi qui scripturae sacrae vix apud vulgus imperitum locum quunt, neque dubitant quin aperte profiteantur, fabulas i sacris traditas non convenire nostrae aetati, quippe quae iam rationis usu gaudeat neque puerilis institutionis vincu tius contineri possit. Nimirum ecclesia nostra hoc veluti mento suo nititur, quod Deus, pater Domini nostri Iesu rationem consequendi salutem in libris N. T. revelaverit, et spes certa salutis et vero etiam media ipsa, quibus a dis illa salus constat, ex Apostolorum scriptis unice c possint. Sed ab hac ecclesiae nostrae sententia quantum nostrae aetatis superbia, non est quod multis verbis dem mus. Constat enim, eos, qui verbum dei in libris sacris neri putant, aut tamquam superstitiosos rideri aut eoru haberi, qui pueris iamiam sapere audentibus fabulas dud plosas pro vera historia vendere velint. Et intelligunt optimi quique, nihil magis optandum esse, quam ut libr veniant in manus omnium Christianorum; neque nos sum scii, quantae gratiae debeantur iis, qui eo ipso consilio tes coierunt. Sed verendum est tamen, ne illi maximam partem perdant, dum non adsint magistri in ecclesia, qu pturae sacrae veram et genuinam sententiam populo ex qui doceant verbo dei uti pie et modeste, animosque i reverentia librorum sacrorum, divino et perenni fonte σω παντὶ τῷ πιστεύοντι, imo dum plurimi loco evangelii h sapientiae laudes praedicent, dum vix nomen Christi honori audiatur in plerisque sacris concionibus, sed de beneficiis sti, de gratia dei, de immortalibus bonis generi human Dominum redditis, de vera naturae nostrae emendatione, certa futurae incolumitatis rarissimi sermones fiant inter fr tes et ambitiosas declamationes politicas vanasque de reb manis querelas templa dei personantes, dum indies augeat merus eorum, qui quum multa librorum sacrorum exempla possint, ipsi ne uno quidem uti volunt. Sanabilibus aegr malis; ultro medicina est parata: sed adest tempus oppor

ırationi; nunc consilio, studio, opera indefessa opus est, ne ısanabilis morbus et exitialis evadat. Qui differendum hoc neotium putant, donec sedati fuerint et obliti malorum animi, hi ideant, ne tempus frustra datum elabatur, et caveant, ne ıando cum Propheta cogantur dicere: vae nobis quod tacuimus. am pietatem christianam non exstinctam esse in ecclesia nostra soque populo, luculentissima exempla demonstrant. Quae, ıne Deus, et quanta acta sunt ante oculos nostros ad animos ıqualium summo iustitiae pietatisque contemtu imbuendos! quam ustria vidit populus perfidiae et crudelitatis exempla, quot avatiae, superbiae et impiae simulationis! Et tamen fervent animi ıque exstinctum est desiderium Evangelii. Querimur de fuga mplorum, de neglectis sacramentis, de licentia indies superus grassante? Quin miramur, non prorsus deserta esse tema pompis ethnicis temerata, et sacras cerimonias a tot hominiıs pie celebrari, quamvis nulla alia iis sanctitas relicta sit quam ectaculis, quae vulgus adstupet. Accusamus aequalium levitam? quin nostram socordiam et licentiam culpamus eorum, qui ıum sibi succedere omnia ex votis vident, deo tamquam consiırum suorum sedulo ministro gratias agere iubent populum, sin ıenorum vitiorum poenas dare populus cogatur, supplicationes perant, quasi regnum Christi sit huius mundi. Mittant tandem mia, quibus polluuntur sacra christiana; redeat verus honos uci, aeterno monumento salutis humanae; audiatur in aedibus ıcris non nisi vox evangelii, celebretur tantum regnum coelom, quod constat *iustitia, et pace et laetitia in spiritu sano;* tradatur verbum dei graviter *ἐν πνεύματι καὶ ταπεινοφροὑνῃ*, et brevi mutabuntur omnia; redibit templorum frequentia, ıcrorum religio, fugata pietas civium. —

DE

ESU CHRISTO RERUM E CONSILIO PATRIS PERAGENDARUM VERE SIBI CONSCIO.

mnes homines, qui communi naturae lege nascuntur, ut inim vitae, ita et exitum incertum habent; quod medium est, iam diligentissimis prius plerumque perit, quam vivendi causas

invenerint. Nam quicunque res gesserunt maximas, hi, aut sua aetate inclaruerint aut posteritatis memoria celebrei raro tamen ea egisse deprehenduntur, quae vel ipsi maxime spectassent et voluissent, vel credidissent hi, qui vitae e(nutritores et comites fuerunt. In qua re utrum humana soc(potius accusanda an divinae providentiae sapientia laudanda dubitari non potest. Nam quum nemo non sit errori obno in vitae genere eligendo gerendisque rebus, quas et sibi et maxime profuturas putaverit, sapientissime institutum est, ut usus vitae errorem correxerit, quisque tamen vel temere inv ve agat ea potissimum, quae etiamsi non suis ipsius con conveniant, immo vitae rerum terrenarum studio dicatae rati saepissime turbent, tamen communi utilitati inserviant, aut sint posteris, quibus optimus quisque lubentissime consulat dem, sed rarissime prospicere possit. Quamquam igitur (muni hac vitae humanae sorte opprimi non par est recte et neste agendi studium: videt enim quisque et intelligit, q omniscientia negari mortalibus debuerit, in solo hoc studio v simum vitae praesidium et virtutis proprium ornamentum qua(dum esse: tamen omnes, quibus hoc divinitus contigit, ut sibi nec aliis frustra vixisse et posteritati quoque profuisse q quam videantur, numinis divini providentiam et benignitatem nerari aequum est, non autem suam ipsorum sapientiam et tutem iactare oportet, quae quam fallax et imbecilla sit, quemque experientia docuerit. Quod quum omni tempore no cum reputare pia mente deceat, Cives Carissimi, tum laetissimis qui instant diebus maxime, natalibus Domini no Iesu Christi, qui ad salutem generi humano recuperandam, ı cta maiestate, qua ante mundum conditum usus fuerat, homo ctus est, et vitam vixit in his terris prorsus humanam, ı quod unus ille omnium hominum expers peccati fuerit, et sapi tissimo benignissimoque consilio patris sui coelestis, a quo ı sus erat, sciens summa cum virtute plenissime satisfecerit. I dubitabitis enim quin servatori divino hoc maxime contigisse tetis, ut nullo tempore incertum vitae consilium habuerit, non fecerit solum, quod e patris consilio faciendum erat, sciret quoque, quid esset faciendum, vitaeque suae terrestris tiones et causas in perpetuum duraturas planissime perspex(ita ut res omnes et gravissimas ex mandato patris sua o]

peragendas certissime cognoverit, et quid in posterum futurum esset, verissime praeviderit. Scilicet quod nemini mortalium concessum est, id Domino divinitus datum erat; fuerat enim apud patrem, eiusque consilia cognoverat, et venerat de coelo in terram, ut perageret, quae sciret peragenda esse ad salutem humanam, deinde rediturus in coelum ut omnia perficeret (*Ephes.* IV, 10.). Neque vero mirabitur aliquis, hanc veluti praerogativam fuisse Domini, cuius immortali merito immutatae et auctae fuerint res humanae, et augeri beariqne debeant etiam in posterum, donec exacto earum cursu, novus ordo ipso domino auctore et vindice instituetur. Quin apertum manifestumque oportet esse omnibus, si certum esset, Dominum ignorasse consilia patris, non tantum plurimum dignitatis ei detrahi, quod quibusdam non ita magnum nefas videri possit, sed etiam incerta reddi omnia, et totam vitam Domini, utcunque illustrem studio rerum divinarum, somnio similem habendam esse, cuius exitus sive casu et fortuna oblatus sive divini numinis conatus hominum regentis provida cura quadam datus videatur, nullo tamen pacto referendus ad ipsum Dominum foret. Et quoniam hominis non est, ex rerum, quas homines moliuntur, incerto eventu de consiliis divinis iudicare, intelligitur, nisi Dominus vere conscius fuisset consiliorum divinorum, etiam dubium videri posse, an non multa ab ipso nolente gesta fuerint, et plurima immo maxima secus evenerint, quam ille in animum suum induxisset.

Sed fuerunt tamen nostra aetate, qui hoc contenderent negarentque Dominum, quae sua opera vel ipso tantum auctore primo eventura essent, praevidisse et evenire voluisse, aut unquam eventura sperasse, sed Iesum popularium et aequalium suorum rebus unice intentum utpote hominem generosum et liberalem, hoc tantum egisse, ut illos ab avita superstitione liberaret, puriora quaedam morum praecepta traderet, et Iudaeos, quorum ingenia optime nosset, a pernicie imminente revocaret. Itaque Dominum aut aequalibus tantum aut proximae aetati consulere voluisse; de toto genere humano beando, de ecclesia per totum orbem terrarum certe maximam et cultissimam terrae partem propaganda, de ingenti rerum humanarum per doctrinam suam conversione, de nomine suo ubique invocando, de perpetua cura rerum humanarum eum non cogitasse neque cogitare potuisse; Apostolos ipsos magistri postremis fatis et inopinato successu

Evangelii commotos ipsius consilium amplificasse; quae postea facta fuerint, temporum opportunitate orta et adiuta esse, Christo nihil tunc, quum viveret, suspicante aut volente; denique providentiam divinam coecos illorum hominum conatus ita direxisse, ut longe alia et maiora, quam illi vel divinare potuissent, nascerentur. Scilicet quod ipse Dominus dictis factisque demonstravit, se conscium fuisse consiliorum divinorum, quorum perficiendorum causa in terram missus esset, id quidem tanto minus curandum esse putaverint nonnulli, quibus omnia, quae de Christo in Evangeliis narrantur, ita incerta videntur, ut quid Dominus ipse dixerit, quidve Apostoli aut incerti auctores illius nomine scripserint, non nisi ex huius seculi sapientia cognosci et aestumari possit. Sed dum veram divini magistri et servatoris sententiam ex libris Novi Testamenti, in primis e sermonibus eius, qui leguntur in Evangeliis, cognosci posse putabimus, non obscurum esse poterit, Iesum rerum sua opera ex patris consilio peragendarum conscium fuisse; quod qua ratione intelligi et aestumari debeat, nunc quidem paucis exponamus.

Ante omnia vero observandum est, ad mentem Domini recte intelligendam sermones quidem eius, quibus *τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν* aperuit, inprimis consulendos, sed etiam totam vitae rationem diligenter inspiciendam esse. Nam in sermonibus, quas inter populares habuit, quamquam minime dissimulavit sententiam suam, quin omnes, qui animum ad vincendam vitae lubidinem promtum fortemque haberent, quid ille sibi vellet, intelligerent: debebat tamen ea moderatione uti, quam et ingenia illorum hominum postulabant, et vero etiam flagitabat tunc quidem obscurus eventus. Usus est igitur Dominus apud populum ea ratione, quae postquam ipse rediisset ad patrem, ad veram eius mentem et divina consilia intelligenda maxime accommodata esset; amicis autem magis quidem perspicue manifestavit decreta dei de salute generis humani, ita tamen ut illorum veram magnitudinem, ut par erat, demum post ipsius Domini mortem cognoscerent. Praeterea sunt multi, qui in singulis verbis et formulis, quibus usus est Dominus, nescio quid ambiguitatis quaerant, iisque eam sententiam tribuant, quae homini Iudaeo, qui sibi plurima, nonnulla etiam Essenorum aliorumque disciplinae deberet, maxime convenire videatur. Itaque quum legunt, Dominum de toto mundo, de omnibus gentibus beandis, de do-

rina sua ad omnes homines proferenda, de perenni imperio suo quutum esse, ea omnia e stultis Iudaeorum opinionibus interetantur, et quo sensu ea grex populi perceperit, eodem etiam Domino dicta esse arbitrantur. Sunt etiam qui putent, Iesum sum et gentis suae miseria gravius commotum et futurae spei agnitudine subito, ut fit in hominibus fervidi ingenii, percul:m, ad magnifica illa verba abreptum fuisse, eique multa alia mere excidisse, quibus postea eventus ex parte non inepte reondisset. Postremo Apostolos dicunt, postquam spem suam imum quidem frustratam postea vero longe superatam intellexisnt, sermonibus et dictis magistri, quae ipsorum memoriae utnque inhaererent, talia verba commodasse, quae maxime apta sent rebus praesentibus, ad quas moliendas ipsi temporum oprtunitate potius invitati et abrepti quam certo et prudenti conio ducti fuisse videantur. Has vero opiniones vanas esse inligemus, si cum dictis et sermonibus Domini totius vitae eius stitutum et rationem comparaverimus. Etenim nisi quis ita sit 'ετικός, ut narrationes de vita Domini, non magis certas pu:, quam vetustas illas de Romulo et Remo fabulas, facile et »enter cognoscet, totam vitam Domini, non illam puram tann et innocentem (quod, maximum sane, nunc unice fere lauri in divino servatore solet), sed ad aeterna dei de totius geris humani salute decreta optime compositam, dictis illis et omissionibus plane convenisse, et Iesum Christum ita vixisse, qui verissime sciret, quarum rerum causa in hanc terram miss esset et quae decreta de genere humano pater coelestis ceset, et quae post dicessum suum ipso auctore et rectore evenra essent usque ad finem rerum humanarum.

Sed vident omnes, perperam nos facturos esse, si rerum Domino in his terris peragendarum cogitationem ab iis, quae st reditum eius ad patrem perficienda erant, ita seiungamus, t faciunt quidam, qui consilium Domini huius tantum vitae terstris limitibus circumscriptum fuisse putant, et quae mortem is sequuta fuerint et in posterum fortasse eventura sint, neque i voluntate Christi neque in perpetua quadam eius cura et efficia causam aliquam habere existimant. Ac theologos quidem eteres non negamus in describendo opere Christi salutari haud ro errasse, quod singulas eius partes ita diviserint, quasi uno erove negotio Domini absoluta fuerit pars quaedam salutis ge-

neris humani; unde factum est, ut non satis cohaerere videretur, quae de praesenti et futuro negotio Christi docebantur secundum scripturas, immo sapientiae aeternae in Christo mittendo conspicuae cogitatio invidiosis de salute singulorum quaestionibus perturbaretur. Sed magis etiam et gravius errasse videntur, qui rerum a Christo ex consilio patris peragendarum magnitudinem, eorum, quae olim in his terris gessit aut ut gererentur auctor fuit, eventu aestimandam esse putarunt, ipsumque Dominum quippe hominem dum viveret in his terris, hoc tantum egisse, ut quantum posset et sciret prodesset aequalibus, posteritati autem, ex illius virtute egregios fructus percepturae ipsum quidem deum consuluisse, sed Christo ne suspicante quidem, quantarum rerum causa olim esset exstiturus. Nam quo nihil magis in votis habere virum bonum oportet, ut vitae suae fructus quosdam relinquat, quibus etiam posteri laetari possint, id veremur tamen, ut de Christo dici solum possit, quum constet e scripturis, eum summa quidem cum virtute in his terris vixisse, sed huius virtutis verissimum fructum secum in coelum retulisse, ut salutem generis humani in aeternum curare posset. Sed haec omnia ordine breviter exponemus, sic, ut ostendamus, Iesum res ex mandato patris ab se peragendas plane cognitas habuisse, ideoque non huius tantum vitae suae causam perspexisse, sed totius instituti divini, quod ad totum genus humanum pertineret, rationem intellexisse. Quod quum brevius tantum fecisse videbimur, facilem excusationem nos apud eos habituros esse confidimus, qui libris sacris, in quibus verissime descripta est imago Servatoris, uti malunt quam infinitis et ambitiosis disputationibus theologorum.

Ac primum quidem Dominus omnia se e sententia patris facere tam diserte declaravit, ut nisi cum Iudaeis existimemus, eum furore quodam tacito incensum fuisse, dubitari non possit, quin vere ille dixerit, se, qui apud patrem fuisset, atque ab eo missus esset in hanc terram ad salutem hominum, scire, quid ex voluntate patris esset faciendum, se nihil facere, nisi quod vidisset et audisset facere et velle patrem, se cognita habere τὰ ἐπουράνια, quoniam fuisset ἐν τῷ οὐρανῷ, ideoque se totam vitam suam huic uni rei dicasse, ut negotium sibi a patre demandatum perficeret. Ergo sciebat tamen Dominus, quid pater a se peragi vellet, et conscius erat consiliorum divinorum, ha-

bebatque certum vitae propositum ex cognita sibi voluntate patris. Haec tam sunt manifesta, ut dum ulla fides vel humana tantum libris sacris habebitur, negari nullo modo possint. Nam Apostoli, utcunque rudes et indocti fuerint, ut ne scribendi quidem artem callerent, tamen planissima et minime ambigua verba Domini, non privatis tantum sermonibus dicta aut in animi contentione imprudenter effusa, sed publice apud populum omnia alia credentem et inter ipsas adversariorum insidias saepissime et summa cum gravitate repetita, ipsiusque vitae ratione luculentissime confirmata, percipiebant, et quae eorum vera sententia esset, non poterant dubitare. An quis ad veram hominis integerrimi et familiaris sententiam perspicue declaratam recte intelligendam magna eruditionis copia et critica subtilitate opus esse existimet, quin sponte intelligat, integrum ab omni arte animum et ingenii recti simplicitatem ad hominis probi mentem cognoscendam valere plurimum? An non ex animi sui sententia dixisse Dominum, sed ad Iudaeorum opiniones sese accommodasse putemus? Scilicet haec prudentis magistri accommodatio fuisset, non autem vani hominis turpissima iactatio et mendacium. Dicat vero aliquis, Iesum quidem non obscure intellexisse, se ad magnas et praeclaras res natum, si homines emendare studeret, nihil aliud facere, quam quod ipse deus optimum quemque facere maxime vellet, ideoque quum sensisset, sua opera, illis temporibus potissimum, fieri id posse, vere dixisse, sibi hoc a deo datum esse negotii et a deo se missum esse, quoniam ab eo habuisset vires et opportunitatem bene de aequalibus suis merendi; sed verbis illis longe excellentiorem sententiam vel ipsos Apostolos vel theologos quoque subiecisse, postquam vidissent, quantae res ex illo Domini studio ortae essent; ipsum autem Dominum nihil aliud cogitasse, quam quod quisque vir honestus viribus non exiguis ad bene merendum de hominibus instructus et sibi et aliis sine iactatione persuadere possit. Sed rogamus omnes per hanc ipsam reverentiam, quae summo numini debetur, ut, quid haec sibi velint, accuratius perpendant. Ergo de se dicere et persuadere aliis, quod ipsum paucissimi fuerint qui sine arrogantia, etiamsi cogitent, profiteri publice possint, idem est quod dixisse Dominum legimus? Nimirum missum esse a patre, consilia patris cognita habere, scire omnia, quae de salute hominum aeterna sapientia decreverit, atque haec ab ipso patre et apud patrem

audivisse, id nihil est amplius, quam quod multos pessimos homines, acclamante turpi adulatorum grege, iactare vidimus, et videbunt etiam posteri, quamdiu potentium hominum animi a vera modestia et ταπεινοφροσύνῃ christiana fuerint alieni. Ergo Dominum summa erga patrem pietate conspicuum nihil sibi arrogantem et verissimum exemplum σωφροσύνης ex eorum numero fuisse putabimus, qui consilia sua, etiam nefaria, divinae sapientiae subministrant, qui si quid magni, quod alii admirentur stupidi aut prudentiores taciti intueantur, moliuntur, id non verentur dicere ex voluntate et sententia dei fieri, et dum iactant hunc voluntatis divinae et suae temeritatis aut lubidinis consensum, suam tantum sapientiam laudant, quorum arrogantia, etiamsi res bene successerit, animis tacitis vituperatur, sin minus, ab omnibus ridetur merito? Sed salva res est, modo severitate iudicii utamur, quae optima modestiae magistra est.

Omnes enim, qui res gestas et dicta Domini, quae in Evangeliis narrantur, candido iudicio legere et cum ipsius ecclesiae fatis diligenter comparare consueverunt, probe intellecturos esse existimamus, non obscuram quandam et incertam cogitationem rerum a se peragendarum obversatam esse animo Domini, sed eum clare et distincte scivisse et vidisse omnia, quae et dum viveret in hac terra, facienda essent usque ad mortem, et quae generi humano bona ex his factis suis essent nascitura, et quae in posterum quoque ad hominum salutem suo ipsius merito eventura essent, atque haec omnia ut fierent ex patris consilio, non solum ipsum curasse et laborasse summa cum virtute et sapientia, sed etiam mandata dedisse Apostolis, quorum studio maximum opus, cuius fundamenta ipse iecerat, tunc quidem continuatum cresceret, ac deinde per doctrinam Evangelii et sacras cerimonias conservaretur et amplificaretur, donec ipse aliquando omnia esset perfecturus. De quibus singulis dicendum est.

Primum igitur scivisse Dominum, quid in his terris a se faciendum esset ex consilio patris, non ad singulorum hominum aut populorum quorundam utilitatem, sed ad salutem totius generis humani, id quidem nemini potest dubium videri propterea, quod non legantur in Evangeliis magnae et ambitiosae declamationes, cuiusmodi nunc personant aures nostras, de humanitate, quam dicunt, de aeternis rationis legibus, quibus constet vera hominum felicitas, de magnis incrementis totius generis humani,

de hominibus omnibus ad veram dignitatem naturae suae evehendis, et quae sunt alia, quibus vel imperitorum superbiam alere vel miserrimorum hominum iustas querelas compescere vel temeritatis et nequitiae suae conatus adiuvare solent tutores generis humani. Scilicet nihil eiusmodi dixit Dominus, quamvis unus sciret optime, et quid opus esset toti generi humano et quid ipse ex voluntate patris totius generis humani causa facere patique deberet. Nam factis opus erat, non verbis magnificis; consilia Dei, quorum ipse bene conscius esset, hominibus tempore tantum manifesta fieri poterant per spiritum, quem promiserat; (*Ioh.* XVI, 7 seqq.) ipse Dominus hoc potissimum curavit, ne obscurum maneret in posterum *τὸ μυστήριον τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*, sed apertum fieret omnibus, qui per eum ad Deum accessuri essent, in ipso se habere vitam aeternam. Itaque non in singulis verbis et formulis haerendum est, quas constat quemque pro suo ingenio et sensu explicare; immo totum vitae Domini institutum cum iis, quae dixit, comparandum est. Nihil igitur proficiunt, qui acute demonstrant, *κόσμον* non ubique totum orbem terrarum, sed etiam Iudaeos cum plurimis qui tunc viverent hominibus denotare, (*Ioh.* III, 16. 17. XII, 31. 32. XIV, 17 sqq. 30. 31. al.) dummodo certum sit, Dominum saluberrimo consilio suo totum genus humanum id est omnes omnium temporum homines complexum esse. Atque hoc quidem manifestissimum est, partim ex ipsa doctrinae quam ipse tradidit ratione, partim ex vita et morte eius, ex qua quid voluerit Dominus sciensque egerit, luculentissime cognoscitur. Nam hoc quidem certum est, magnam partem operis ab eo in his terris peragendi fuisse in eo, quod ipse dixit *Ioh.* XVII, 4 sqq. 14 sqq., sed valde tamen verendum est, ut, quantum sit, omnes recte intellexisse videantur. Est enim multorum opinio, Iesum in hac vita hoc potissimum egisse, ut traderet doctrinam puriorem, ut deum etiam gentibus favere demonstraret, ut animae immortalitatem certiorem redderet, et multa praecepta morum puriora daret popularibus. Comparant igitur Iesum cum magistro humano quocunque, qui dum in his terris versatur, docet aequales suos, unde etiam posteri aliquem fructum capiant. Sed quid docuit Christus populares? num doctrinam tradidit populo similem ei, quae postea maximam orbis terrarum partem illustravit? num talis magistri partes egit, quales inter homines reperiuntur et laudantur merito, quoniam quid-

quid sciunt, id ipsi, ut possunt, impertiunt aequalibus? Scilicet testis est vita eius, eum nihil fere aliud docuisse populum, quam quod homines non ultro quaesitos sed obviam ei factos aut rerum ab eo gestarum magnitudine ad eum allicitos moneret, et instare initium illius temporis, quod per multa secula esset exspectatum, et quid facere eos oporteret, ut beneficia omnibus destinata ipsi acciperent. Quod dum faceret, saluberrima quidem et plane divina aequalibus tradidit, sed non erat in eius consilio, ut dum viveret, innotescerent ea, quibus postea Apostoli omnes gentes bearunt. In quo merito sapientiam eius admiramur. Evangelium enim non constat praeceptis morum quamvis praestantissimis, aut rerum illarum quas homines antea non satis perspicue intellexerant illustratione, sed patefaciendis aeternis dei decretis de salute totius generis humani, quorum ratio ex morte demum et resurrectione Domini intelligi potuit. Quamobrem non erat, quod aliunde quaererent causas, cur Dominus inter angustos oppidulorum quorundam Iudaicorum parietes plerumque se continuerit, et quum maiorem multitudinem doceret, raro tantum dixerit ea, quibus vere constat Evangelium. Nolebat enim agere magistrum populi, (quod nunc multi unice laudant,) nolebat Evangelium omnibus destinatum in illo terrarum angulo delitescere; volebat fidem Evangelii non verbis tantum constare, sed vita sua, morte, resurrectione et reditu ad patrem coelestem. Servavit nobis Iohannes, verissimus ille mentis Domini interpres, sermones plurimos, quos habuit Iesus cum iisdem familiaribus suis, quos primos Evangelii praecones elegerat. Ex his vero sermonibus planissime intelligitur, Dominum, quamvis publice saepius dixisset factisque demonstrasset, se esse servatorem generis humani, tamen post mortem demum suam per hos ipsos Apostolos innotescere voluisse omnibus gentibus decreta patris de salute humana. Quare quum in eo esset, ut vitam relinqueret, λύτρον ἀντὶ πολλῶν, verissime etiam dixit, se opus a patre sibi demandatum hucusque perfecisse. Manifestaverat enim τὸ ὄνομα τοῦ πατρός, i. e. consilia et voluntatem patris iis, quos ipsi dederat pater ἐκ τοῦ κόσμου, qui cognoverunt et persuasum habebant, dominum vere omnia a patre habere. Etenim iis tradiderat decreta patris, atque illi fidem habuerant, ita ut nunc emitti possent ad docendum Evangelium πάσῃ τῇ κτίσει. Et si nullus alius esset locus, ex illo uno certissime cognosci posset, Do-

minum verissime scivisse, se missum esse in hanc terram, non ut quaedam praecepta traderet popularibus aut Mosaicam religionem a superstitione et cerimoniis liberaret, sed ut existeret servator omnium hominum, ut Evangelio bearentur omnia secula, ut exstaret se auctore vera ecclesia dei. Quid est enim quod dicunt, Dominum non condidisse ecclesiam ideoque alienum fuisse a cogitatione societatis, quae per omnia secula nomen eius invocaret *εἰς δόξαν θεοῦ πατρός;* Noluit sane conflare societatem, uti homines solent congregare gregem hominum, cuius ipsi sint caput; sed voluit esse in posterum societatem hominum ex omnibus gentibus, qui *τῇ πίστει ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ* haberent *ζωὴν αἰώνιον*, quae est vera ecclesia dei. Quid aliud enim voluit sibi ille baptismi ritus, *συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεόν*, quid memoriae Christi solemnis et pia celebratio? Scilicet ecclesia Christi, *ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ*, non constat rebus externis, neque comparari potest cum societatibus humanis, quarum leges et instituta mutantur et debent mutari, et quibus imperant homines et magistratus civiles, sed nititur aeternis decretis dei de salute humana, quae qui amplectuntur et colunt, hi sunt in ecclesia illa, cuius externa tantum disciplina constituta est et constitui potuit ab hominibus. Christus autem veram illam ecclesiam existere voluit, atque hanc unam fore ex omnibus gentibus non uno loco praedixit, inprimis *Ioh.* X, v. 16. Quem locum clarissimum uti alii male interpretati sunt de externae ecclesiae consensu, ita etiam pessime intelligerent, qui de illius tantum temporis consociatione quadam Iudaeorum et gentium cogitarent. Quin manifestum est, Dominum de omni futuro cogitasse. Dicit enim, *se ipsum eos adducturum esse, eosque sibi esse obtemperaturos*, atque sic unum gregem et unum pastorem exstiturum esse; quibus verbis non obscure significavit, post mortem suam eiusmodi societatem exstituram esse, plane ut dixit *Ioh.* XII, v. 32. *ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν.* Ergo consilium divini magistri non mutarunt aut amplificarunt Apostoli, quasi ab Iudaeis plerisque male accepti nunc demum studium suum gentibus reliquis dicare constituissent, ita ut praeter ipsius Domini spem et exspectationem facta fuerit revelatio mysterii voluntatis divinae (*ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν Χριστῷ*, Eph. I, 10.): sed sciebat ipse Dominus, ita eventurum esse, atque ut eveniret et voluit et mandata dedit discipulis

(*Matth.* XXXVIII, 18. 19.) ideoque verissime intellexit, se auctorem futurum esse rerum illarum, quae post mortem eius essent eventurae. Quae quum vere evenerint ad salutem infinitae multitudinis et ad felicitatem totius generis humani, quis ferat tandem obtrectationem eorum, qui negant tamen, Dominum rerum a se peragendarum gnarum fuisse, aut scivisse se missum esse, ut existeret causa salutis omnium hominum? Est sane aliquid, incertis mortalium hominum pollicitationibus diffidere; sed promissis Domini eventus tantam fidem fecit, ut nisi a sciente ea facta esse existimemus, res humanae casu et fortuna potius quam divina providentia regi videantur.

Sed non praetermittendum est hoc loco, quod sponte recordabuntur his diebus proximis omnes, qui divini servatoris natalem pia mente celebraturi sunt. Quis est enim, cui non obversetur non tantum infans ille imbecillus omnibusque vitae tenerrimae periculis expositus, sed maxime imago verissima *τοῦ μονογενοῦς παρὰ πατρός*, sed divina virtus, qua tota eius vita resplenduit, sed mors eius clarissima pro salute generis humani oppetita? An quis tam excors est, qui in illa quaestione nostra nullam vitae Domini rationem habeat, quin intelligat, Dominum totam vitam suam ita instituisse, ut manifestum sit, eum conscium fuisse consiliorum patris, quorum exsequendorum causa in hanc terram venisset? Scilicet non hoc quaeritur, an vitam probam, honestam, puram a vitiis egerit et saluberrima morum praecepta exemplo suo confirmaverit, ut decet quemcunque magistrum, inprimis eum, qui divino consilio se agere omnia dixerit; quamquam et hoc gravissimum est, et gravius sane quam vulgo existimare videntur, qui cum Christo Socratem aliosque insignes virtute viros, nonnunquam etiam reges, regnorum eversores ducesque triumphis claros comparant. Sed hoc est maximum, quod vita sua Dominus eum se esse demonstraverit, quem se esse sciret et diceret, servatorem totius generis humani, quod huic divino operi et negotio suo perficiendo conveniant omnia, quae fecit in hac terra, quod nullam aliam vivendi causam habuerit, quam ut consilium patris ad servandos homines exsequeretur. Dixit hoc ipse Dominus (Ioh. IV, 34.), sed etiam re ipsa demonstravit. Nam quae communis est sors hominum, ut etiamsi vitam prudentissime instituerint, tamen saepissime mutent vitae consilium, et ubi ea exacta fuerit, longe aliam eius rationem et

finem fuisse intelligant, quam, dum viverent et maxime suis intenti negotiis essent, credidissent et exspectassent; unde fit, ut nisi maxima vitae pars perierit, certe etiam optimus quisque magna spei parte excidat; (nam quum eventum rerum, quas molimur, ignoremus, atque hic ipse non pendeat ex voluntate nostra, hoc tantum in potestate nostra situm est, ut quod iustum rectumque esse intellexerimus, id, ut per nos quoque fiat, velimus) ab illa consilii infirmitate et imprudentia vitam Domini prorsus liberam fuisse videmus, quoniam certas habebat vivendi causas sciebatque, quid ex mandato patris esset peragendum. Quod verissime a nobis dici, non e singulis locis intelligi potest, sed ex totius vitae Domini contemplatione cognoscendum est. Etenim, uti ab initio dictum est, vita Domini ad aeterna dei de salute totius generis humani decreta ita composita erat, ut dictis et promissis eius omni ex parte conveniret; in eaque nihil reperitur, ex quo suspicari quis possit, Dominum unquam dubitasse, quid sibi faciendum quidve exspectandum esset.

Sed huius rei gravissimum argumentum habemus mortem ipsam, qua vitam suam saluti hominum dicatam finivit servator generis humani. Neque vero hoc dicimus, Dominum non obscure intellexisse, mortis periculum sibi instare, si, postquam populares suos severius monuisset, et ne principibus quidem civitatis pepercisset, postremo gentis totius spem destituisset. Hoc enim quoniam cuivis homini datum est, haud aegre conceditur. Neque defuerunt qui dicerent, Dominum ab initio quidem laetiorem rerum suarum exitum sperasse, sed postquam vidisset, aut mortem oppetendam aut pessimo inconstantiae exemplo pereundum esse, ne totius vitae suae fructum amitteret, mortis periculo, quam evitare diutius non posset, fortiter se obtulisse, ideoque postremis potissimum annis de morte sibi imminente loquutum esse. Scribant illi tragoediam quamcunque velint; quaerant heroas necessitate fati perituros aut in veris fabulis, aut inter homines incerta vitae suae sorte agitatos; sed abstineant modo a vita et morte servatoris divini. Nam si viris illis, qui vitam Domini, cuius plerique familiares et comites fuerant, enarrarunt, ulla fides habenda est, concedere oportet, Dominum ab eo inde tempore, quo in lucem prodiit, praedixisse, non solum mortem se violentam esse oppetiturum, sed etiam hoc esse in consilio patris sui, ut hanc mortem obiret, eamque mortem necessariam

esse ad salutem humanam. Non ignorabat enim, ita velle et decrevisse patrem, ut haec mors fieret causa salutis omnium hominum, ideoque semper mortem ante oculos habuit, tamquam finem operis in his terris peragendi. Neque eum fefellit haec sententia. Constat enim, hac ipsa morte novam vitam exortam esse in orbe terrarum, et verissime dixisse Paulum: κηρύσσομεν Χριστὸν ἐσταυρωμένον, Ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον, Ἕλλησι δὲ μωρίαν· αὐτοῖς δὲ τοῖς κλητοῖς Ἰουδαίοις τε καὶ Ἕλλησι Χριστὸν θεοῦ δύναμιν καὶ θεοῦ σοφίαν.

Quae quum ita sint, quae tandem honesta et idonea reperiri causa potest, cur negemus, Dominum etiam earum rerum conscium fuisse, quae, postquam ex his terris abiisset, peragendae essent ad salutem generis humani? Immo tam arcte omnia cohaerere videmus, ut manifestum sit, aut nullam omnino fidem habendam esse iis, quae de se Dominus dixerit, aut hoc quoque credendum esse, quod de futuro negotio suo luculenter et sine omni iactatione promiserit. Enimvero non solum perspicue praedixit, quid sua opera eventurum esset post discessum suum, quod testantur potissimum sermones illi, quos cum amicis suis paulo ante mortem habuit, sed etiam haud obscure significavit, perpetuam sibi fore curam generis humani, sibique etiam hoc a patre mandatum esse, ut aliquando omnia ad iustum exitum perduceret. Quae omnia singulatim enarrare longius foret, neque multis exemplis opus est in re perspicua. Quamquam enim, quae futuro aevo instant, eiusmodi sunt omnia, ut quomodo fiant, nemo intelligere possit, hoc tamen certissimum est, Dominum ex vera animi sententia ea omnia dixisse, quae vix somniare quis possit, nedum tam fidenter et constanter praedicere, nisi ea ita futura esse verissime cognoverit. Sed sunt in manibus nostris documenta gravissima, quibus non temere quidem, sed cum reverentia tamen, uti oportet omnes, quibus vere curae cordique sunt res humanae. His igitur sedulo utamur, ut in tantis huius vitae tenebris ad spem immortalem erigamus animos nostros, et confidamus ei, qui in coelum rediit, ut omnia perficeret.

DE

FIDE HISTORIAE DOMINI
EX FIDE LIBRORUM N. T. RECTE AESTUMANDA.

Qui vitam Domini ex reliquorum mortalium sorte aestumare consueverunt, hi rerum memorabilium, quibus illa insignis fuit, fidem minui posse putant, si ostendant, scriptores sacros, quorum antiquissima illius monumenta exstant, ipsos omnino non satis dignos fide videri. Quod ut demonstrent, non tantum illorum scriptorum imperitiam, superstitionem credulitatemque incusant, resque multas, quas illi narraverunt, a fide abhorrentes proferunt, sed etiam multa in illorum libris ostendunt, ex quibus clarum manifestumque sit, eos ipsos sibi non satis constitisse, et ex narrationibus potius incertis vagisque traditionibus quam ex genuinis fontibus hausisse. Fuerunt etiam qui negarent, unum ex illis Evangeliis, quae vulgo priora dicuntur, ab his auctoribus scriptum esse, quibus ea tota antiquitas christiana tribuit, sed si quid ab horum scriptorum manu profectum fuerit, id serioribus Sec. I. annis ab hominibus ignotis compositum et in hanc Evangeliorum formam redactum esse. Quorum virorum industriam et sagacitatem quamquam non minus probandam existimamus, quam laborem eorum, qui nuper origines historiae Romanae incertissimas esse demonstratum iverunt (putamus enim nulla virorum doctorum studia reprimenda aut vituperanda esse, quibus verendum fuerit, ne gravissimae longoque usu confirmatae opiniones minuantur); negamus tamen voto suo potiturus esse, qui fidem ipsius historiae Domini incertam dubiamque redditum iri arbitrantur, si demonstrari possit, non in rebus omnibus temere credendum esse scriptoribus sacris. Et illud quidem dudum demonstrarunt viri doctissimi, fidem scriptorum sacrorum (ἀξιοπιστίαν vocant) non pendere potissimum ex veritate nominum, quae in titulo librorum leguntur, sed satis esse, si hos libros ab eiusmodi hominibus scriptos esse constet, quos fide dignos esse certis argumentis cognosci possit. Quod quum veteres theologi concedere nollent, magnis et incertis disputationibus totum hoc negotium impediverunt. Sed alia causa est, ob quam perdere ope-

ram suam videantur, qui incertam reddere ipsam Domini cupiunt, dum acute demonstrent, non omnia satis certa plorata esse in scriptis sacris, quae Evangelia vocantur, nonnulla in iis contineri, quae non solum fidem omnem sed etiam eiusmodi sint, ut minime secum invicem concili sint. Cuius rei nullum exstat exemplum illustrius quam parte historiae Domini, cuius memoriam his proximis die sumus celebraturi. De qua quum nos quoque cogitaremus, insignis esset et admirabilis, in animum rediit vanus eorum tus, qui, quum ante triginta annos Lessingius edidisset li sine auctoris nomine, in quo criminationes dudum ab aliis latae*) de repugnantia rerum, quae de resurrectione Domini rantur, repetitae erant, ingentes clamores excitarunt, verebantur, ne fides ipsa prorsus incerta redderetur, nisi gelistae in rebus omnibus ac singulis amicissime consp Et quamquam ipse auctor illius tragoediae, quem animus ad rundam theologorum superbiam castigandam potius ferebat ad ipsam religionem divinam impugnandam, monebat ut veritatem rei ipsius secernerent ab obscuritate quarunda rationum, tamen persuadere sibi non poterant, salubria illum suadere; opinabantur enim, si vel uno loco repugnan scriptores sacros concessissent, de tota eorum fide concl esse. Sed hanc quidem controversiam nunc quidem redinte non necesse est; quamquam monuisse iuvabit literarum sac studiosos, ne nova omnia et nunc demum inventa putent, hodie contra historiam Domini proferuntur. Ostendamus quae sit necessaria coniunctio veritatis historiae Domini et tatis rerum singularum, quae de ea in libris sacris passim rantur, ut, qui libros sacros tractant, quantum in nobis est, cant, *qua ratione fides historiae Domini ex ipsorum scripto fide recte debeat aestumari.*

Sed quoniam in hac quaestione sacrorum scriptorum fi non aliis ex causis aestumanda est quam reliquorum scripto

*) Mirum sane est, illo tempore ita perterrefactos esse theolo quasi inauditi quid prolatum fuisset contra historiam resurrecti Et tamen nihil fere dictum erat, quod post Celsum non dictum e a plurimis, inprimis ab Anglis illis, Woolstono, Bolingbrokio aliis quorum libros qui legerit, is omnes illas cavillationes vix una e pta deprehendet. Instar omnium est liber, qui prodiit 1744. *The surrection of Jesus considered, in answer to the Trial of Wit ses, by a Moral Philosopher.*

dabitur nobis hoc, ut ante omnia de fide historiae in universum dicamus, quatenus pendere videatur ex fide librorum. Quod ab nostro argumento tanto minus alienum videri potest, quum multi Theologi, qui quovis modo salvam vellent scriptorum sacrorum fidem, longe cupidius versati fuerint in diiudicandis narrationibus Evangelistarum, quam facturi fuissent, si meminissent, quibus causis reliquorum scriptorum ipsiusque historiae fides nitatur. Unde factum est, ut in Harmoniis quas dicunt componendis, haud raro vim facerent verbis scriptorum sacrorum, et quaevis alia concedere mallent quam in eorum narrationibus variis reperiri nonnulla, quae quomodo iuxta se locum habeant, nunc quidem non amplius cognosci possit. Cuius rei exempla non obscura praebet ipsa narratio de resurrectione Domini. Nam quod olim dixerunt, in scriptoribus divinitus inspiratis nullam repugnantiam ferri posse, id quidem non prius verum videri poterat quam certum esset, unde constaret, viros illos fuisse divinitus inspiratos. Sed huius inspirationis testimonia tantum ex ipsis libris illis petenda sunt, de quorum fide quaeritur. Unde sequitur, si de fide librorum sacrorum quaeratur, eos ante omnia aestumandos esse ut libros humanos, fidemque scriptorum divinorum ex iisdem causis cognoscendam esse, quibus fides reliquorum scriptorum omnium spectatur. Itaque nunc quidem de fide humana tantum dicemus, de fide ea autem, quam facit Spiritus divinus, alio tempore dicturi sumus.

Principio igitur fides historiae cuiuscunque ipsius veritate constat. Et veritatem quidem historiae cuiusdam dicimus (quam Graeci *ἀσφάλειαν*, *certitudinem* alii vocant), cum certo constat, id quod factum esse narratur, etiam factum esse. Ex quo fit, ut fidem illi habeamus, i. e. ut credamus id factum esse. Ergo fides historiae nititur causis, quibus recta ratione cogimur, ut credamus factum esse, quod factum narratur aut vulgo creditur. Atqui vere factum esse aliquid non uno modo cognoscitur. Nam licet libri pro praecipuis fontibus haberi possint, ex quibus cognoscatur, quid olim factum esse creditum fuerit, tamen alia quoque argumenta accedant necesse est, ut nos quoque id vere factum esse tuto credamus. Unde statim intelligitur, fidem historicam (*ἀξιοπιστίαν*) non ex libris ipsis potissimum pendere quam ex causis his, ob quas credamus, quae in libris narrantur. Quod duas potissimum ob causas observandum est, primum ut

accurate distinguatur fides historiae a fide scriptoris, qui eam narravit, deinde ne ipsorum scriptorum auctoritate decipiamur. Quod duplici modo fieri potest, vel quum ob scriptorem aliquem ceteroquin dignissimum fide de historiae cuiusdam veritate dubitandum putamus, vel quum plurium scriptorum narrationibus credimus, quod alioqui nunquam verum esse putassemus. Sed quoniam in quacunque historia haec duo spectantur, res quae gesta narratur, et modus quo acciderit, intelligitur, etiam in fide historiae distiguendam esse veritatem rei ipsius a veritate modi, quo facta narratur. Et illud quidem perspicuum est; veluti periisse Cyrum, in vitam rediisse Dominum, sed modi non una est observatio. Definitur enim vel tempore, vel loco, vel rebus iis, quae cum re ipsa coniunctae fuerunt. Loci temporisque notatio una est; sed in rebus his, quae cum facto quodam coniunctae fuerunt, magna plerumque varietas reperitur. Nam quum factum quid narratur, quaeri solet, non tantum quid factum fuerit, sed a quo, quibus de causis, quibus mediis, quibus praesentibus factum sit, quid praecesserit, quidve sequutum sit; in quibus omnibus accurate cognoscendis maxima difficultas veritatis historicae reperitur. Et plerumque fit, ut rem ipsam gestam esse certissimum sit, sed quomodo acciderint omnia incertissimum, inprimis quum quaeritur de causis rerum gestarum et de personis, qui earum vel auctores vel adiutores vel testes fuerint, quod quo magis incertum esse solet, tanto curiosius quaeritur. Quamobrem veritas rei ipsius a veritate modi, quo acciderit, probe distinguenda est. Temere enim negaremus, factum esse, quod quo modo factum sit, non omni ex parte possit certo definiri. Immo de certissimis rebus dubitandum foret, si eas tantum res vere factas esse crederemus, de quibus certum esset et indubitatum, quo tempore et loco acciderint, aut quibus de causis, quae rarissime in historia cognosci possunt, aut qui earum testes vel adiutores fuerint, in quorum nominibus rarissime scriptores consentiunt. Nam veritas rei non pendet ex veritate modi, quo ea exstitit, sed ex causis illis, quibus eam vere factam esse certo cognoscatur, quamvis plerumque incertum sit, quo modo quave ratione acciderit. Quae quidem rei ipsius et modi eius distinctio maxime necessaria est in fide historiae cuiusque aestumanda, non quod superflua sit illius modi indagatio; quin diligentia magna opus est ea in re partim ad scriptores recte intelligendos partim

curiositatis causa; nam vulgus hominum non rei ipsi fidem habet, sed copiae rerum, quae de illa exploratae esse videntur, (περιστάσεις s. circumstantias vocant); sed quoniam ipsa fides historica in maximum discrimen adducitur, immo fere tota labefactatur, si discrimen illud negligitur. Et in profana quidem quam dicunt historia semper observatum est ab artis historicae peritis, tantum in historia sacra obtrectatores rerum a Domino gestarum difficiles et increduli fuerunt, et ipsi theologi multa et inutilia negotia sibi facesserunt, quoniam credebant, ipsam historiam incertam esse et fidei dubiae, nisi res omnes ac singulae, quae de ea narrantur, ita sint comparatae, ut nihil obscuritatis aut ambiguitatis relictum sit. Sic, ut uno tantum exemplo utamur, neminem vidimus, qui negaret Themistoclem in exilium abiisse et apud barbaros mortuum esse, quamquam quae ea de re narrantur, tam varia sunt et diversa, ut in hac una historia longe plura reperiantur, quae vere sibi repugnent, quam in historia resurrectionis Domini nonnullis visa sunt repugnare. Cuiusmodi exempla homines illos, qui pyrrhonismo historico adversus scriptores sacros potissimum abuti solent, tanto gravius monere possunt, quum non disceptetur ibi de fide scriptorum ignobilium, indoctorum, quales Evangelistae fuerunt, quibus vix scribendi facultatem concedendam putent, sed historicorum doctissimorum et maxime nobilium, quorum nonnulli rerum quas narrarunt ipsi duces et comites fuerunt. Verissime enim *Hemsterhusius* dixit ad *Luciani Macrob.* c. 14. de morte Cyri maioris: illud vero et inprimis admirationem habet non mediocrem, quod mortis genus, quo tantus rex totque populorum victor obierit, in obscuro lateat, praecipue quum eius aetas in ista inciderit tempora, quibus iam Graeci florentibus ingeniis scribendi studium frequentabant, et Asiae rebus magis magisque immiscebantur. Quid quod in narranda morte Cyri minoris maxime discrepant Xenophon et Ctesias, quorum ille interfuit proelio, in quo Cyrum periisse certum est, hic, medicus Artaxerxis, proximus adfuit et ipsum Artaxerxem a fratre vulneratum sanavit. Sed talia quidem, ut diximus, in aliis scriptoribus, salva eorum fide ferri posse putantur; neque reprehendi id potest; sed si in libris sacris occurrunt, magnus undique et accusantium et defendentium concursus fieri solet. Quod quam temere fiat, non opus est multis verbis demonstrare.

Pendet igitur fides historiae ex veritate rerum, quibus perspicitur, vere factum esse, quod factum esse narratur aut creditur. Nam ex fontibus historiae qui dicuntur, monumentis, fastis, libris ceterisque omnibus res ipsa quidem, quae memoriae prodita est, cognoscitur, sed veritas eius ex istis causis perspicitur, quibus ipsa illorum fontium fides nititur. Et narrationes quidem quamquam inter illas res locum suum non ultimum obtinent, tamen non ita necessariae sunt, ut iis solis veritas historica constare videatur. Quod quale sit, accuratius explicandum est, ne quis existimet nos eorum opinioni favere, qui spretis neglectisque fontibus illis traditione quadam uti consueverunt. Sunt enim necessariae quidem narrationes, ut, quid creditum sit et qui crediderint, cognosci possit, ne res quaedam aut temporis longinquitate multorumque sermonibus ita mutetur, ut vix sui similis videatur, aut propter incertos auctores fidem amittat et pro fabula habeatur. Ita enim fert natura hominis, ut quo magis animum suum, quod dicunt, literis excoluerit, tanto difficilius fide rerum acquiescat, sed literarum auctoritati tribuat, quod olim credebatur fidei humanae. Sunt autem res plurimae eaeque maxime insignes, quarum veritas non tam fide narrationum quam ipsa historia i. e. rerum gestarum inter homines memoria nititur. Neque libris historiarum amplius opus est, ut eas factas esse aut fuisse cognoscamus, neque monumentis aliis, quae etsi nulla exstarent, certae tamen res ipsae forent. Scilicet eiusmodi res monumenta sua habent in rebus humanis ipsis, quibuscum tam necessario coniunctae sunt, ut eorum certa memoria nunquam perire possit, ita ut libri historiarum potissimum non necessarii esse videantur, quo credamus eas unquam fuisse, sed quoniam opus est, ut quid olim de iis creditum fuerit, et cognosci possit et aestumari. Nam illa quidem veluti minora historiae lumina, quibus exstinctis ipsa quoque earum vis conciderit, ne memoria hominum excidant, literarum monumentis efficiendum est. Etenim secula seculis, populi populis, homines hominibus truduntur; clarissima quaeque tempore occidunt; plurimi, quorum virtute res olim maximae gestae sunt, cum ipso facinorum suorum theatro perierunt; nam quae tempori tantum inserviunt, eorum etiam memoria tempore intercidit et negligentia. Sed quae non uni genti aut seculo propria, sed toti generi humano communia et cum aeternis eius rationibus coniuncta sunt, ea vivunt

etiam hominum memoria viventque dum res humanae florebunt, quas quum maxime illustraverint, fieri non potest ut unquam intereant; neque ut vere facta esse credantur, libris magis opus est quam ut solem ipsamque tellurem esse intelligamus: exstant enim eorum monumenta perennia in ipsis rebus humanis. Talem vero etiam Domini historiam esse putamus, ut postea dicemus.

Sed haec non ideo dicta sunt, quasi ipsorum scriptorum et sacrorum potissimum fides non diligentissime exploranda sit. Quin tanto maiori cum cura id faciendum est, quo magis caveri oportet, ne illa rerum humanarum lumina, levitate, inscitia perversisque studiis hominum certe ad tempus obscurentur. Praeterea fieri non potest, quin ex libris, quos fide dignos habeamus, non tantum quid gestum sit, sed quo tempore, quibus causis, quo modo gestum sit, cognoscere cupiamus, idque tanto studiosius faciamus, quo quaeque res a nostra memoria remotior fuerit. Denique res illae, quae tempore perierunt et periturae sunt, non nisi literis servari possunt; earum igitur fidem examinare necesse est. Sed quoniam, ut ab initio diximus, sunt qui rerum quarundam fidem minui posse putant, quia non satis explorata sint omnia, quae de illis rebus narrantur, minuenda est haec opinio. Itaque videamus, quomodo ad facti cuiusdam veritatem cognoscendam ipsius scriptoris fides aestumanda sit. Quod quamvis cognitum et perspectum sit omnibus, qui exercent artem criticam in reliquis historiis, operae tamen pretium facturi sumus, si de historia Domini ostenderimus, in qua notissimae regulae negligi videntur ab his, qui fastidiosa quadam κρίσει scriptorum sacrorum fidem sollicitant. Quare non mirabuntur illi, quod res eiusmodi a nobis proferantur, de quibus ipsi nunquam dubitaverunt.

Est igitur in quoque scriptore factum ipsum, quod narratur, distinguendum ab rebus istis, e quibus pendet cognitio modi quo illud gestum est, ut supra diximus. Nam quum plures scriptores de eadem re comparamus, eos rarissime eadem omnia narrare deprehendimus, sed tametsi idem factum referant, tamen de rebus illis, veluti causis, mediis, tempore, locis, hominibus quoque ita plerumque variant, ut parum absit quin dissentire et contradicere sibi videantur. Sed in hac diversitate hoc ante omnia videndum est, an constet, scriptorem quendam res eas quas

alter narravit, cognitas quidem habuisse sed consulto omisisse, deinde ex rebus pluribus, quae de eodem facto narrabantur, elegisse eas quas certiores esse putaret, denique eum contradixisse alii scriptori, quem sciret alia narrasse. Neque enim scriptores sibi contradicunt, quum alius alia tradit, sed quum eiusmodi res diversas tradunt, quarum si una vera putetur, altera falsa habeatur necesse est, veluti quum narrat Herodotus Cyrum in proelio occisum, Diodorus autem vivum captum et a Massagetarum regina in crucem actum esse. Quin si accurate loquamur, ne sic quidem scriptores sibi contradicunt, sed narrationes tantum repugnant, nisi compertum scriptor habuerit, alterum eandem rem aliter narrasse. Sic v. c. Ephoro, qui teste Plutarcho (*de malign. Herod.* c. 5.) narraverat, Themistoclem conscientiam consiliorum Pausaniae fassum esse, sed negasse societatem neque convinci potuisse, non Thucydides quidem contradicit, qui hoc praetermisit, sed ipse Plutarchus, qui a Thucydide id praetermissum scripsit, quod is falsum esse credidisset, quamquam is alio loco (*in Themist.* c. 23.) narrat, Themistoclem per literas se purgasse a suspicione, quam epistolae quaedam eius ad Pausaniam scriptae movissent. Sed vel sic ipsius facti fidem non minui dudum observatum est. Nam quum videmus scriptores plures idem factum narrare, sed de rebus singulis non consentire; ita ut scientes contradicant, hos factum ipsum pro certo habuisse, neque vero temere credidisse aut conspirasse ut falsa traderent, luculenter intelligimus. Aliud est enim, quum quis factum ipsum negat, aliud, quum de rebus quibusdam quibuscum illud coniunctum fuit, aliter sibi persuasum esse declarat. Non contradicit enim factum esse, quod factum esse creditur, sed negat tantum illud hoc modo accidisse, ideoque rem eam quidem, qua modus et ratio facti constat, non autem factum ipsum negat. Quae res nisi eiusmodi fuerit, ut si recte negaretur, factum ipsum locum habere non possit, de hoc ipso dubitari non potest, etiamsi quomodo factum sit, incertum videatur. Sed de eiusmodi rebus curiosius plerumque quaeri solet quam facti fides postulat. Plurimi enim homines non tam facto ipso moventur, quam minutis rebus illis, quibus cognoscant, quo tempore, loco, quibus praesentibus gesta sint omnia; non quid, sed quomodo factum sit, scire desiderant, ut quum omnia ordine cognoverint, nihil ipsorum iudicio relinquatur: alii quo gravius ipsum factum esse

intelligunt, tanto studiosius res singulas exquirunt, quasi plures veritatis testes habituri sint; quae magis laudanda est religio. Sed sunt etiam qui in rebus illis quaerunt causas dubitandi, quamquam ipsi bene sciunt, fidem facti non necessario cum iis coniunctam esse, quin nullum fere ne illustrissimum quidem factum esse, de quo non esset dubitandum, si rerum eiusmodi diversitas iustam dubitandi causam praeberet. Quae maligna ratio in aliis quidem rebus historicis rarius ostenditur, quoniam exploderetur ab omnibus, si quis rerum summarum ab Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Livio, Tacito aliisque viris fide clarissimis narratarum veritatem negaverit, quod non omnia eodem modo ab omnibus gesta narrentur, sed in historia Domini eo licentius grassatur, quod inter ipsos theologos sunt haud pauci qui eiusmodi rebus magis quam par est perturbantur. Enimvero in scriptorum diversis narrationibus comparandis non hoc quaerendum est, an omnes eadem de re eadem narrent, sed an varia quae narrantur a singulis, ita a se invicem et a facto ipso abhorreant, ut si unum alterumve verum esse putemus, factum ipsum verum haberi non possit. Sunt enim nonnullae res eiusmodi, quae ipsius facti fidem minuant vel per se, vel comparatae cum aliis, quando ex iis colligitur, quod factum narratur utcunque factum cogitetur, tamen omnem fidem superare. Ex quo genere sunt, quae de morte Augusti a scriptoribus narrantur. Scribit enim Tacitus quidem, non satis compertum esse de Tiberio, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam an exanimem repererit; sed si ea quae Suetonius de Tiberio narrat, comparamus cum narratione Diodori, manifestum fit, iam decessisse Augustum, quum rediret Tiberius. Quare hanc sibi legem omnes critici scripserunt, dissensum scriptorum in rebus singulis enarrandis per se nihil ipsi facto fidei detrahere, neque fore quemquam putamus, qui neget in Domini historia eandem regulam servandam esse, ad quam in reliquarum historiarum fide aestumanda iudicium dirigendum est.

Est autem in hac quaestione inprimis necessaria observatio causarum, cur eandem rem diverso modo scriptores narraverint. Sed quum hae causae diversissimae sint, earum etiam fontes indagare necesse est. Itaque ipsa diversitas narrationum duplicis generis est: discrepant enim scriptores aut quod unus praetermittit, quae ab alio narrantur, aut quod eaedem res diverso modo de eodem facto narrantur. Ex illo genere est, ut ex ipsa

historia Domini exempla petamus, quod solus Matthaeus narrat, obsignatum fuisse sepulcrum Domini, ex hoc genere est, quod Iohannes unam tantum Mariam Magdalensem ad sepulcrum ivisse refert, reliqui autem de pluribus loquuntur. Et illius quidem diversitatis, quae omissis rebus oritur, duplex tantum causarum genus est; nam scriptor aut non narravit quaedam, quoniam ea ignoraret, aut prudens sciensque omisit; utrumque probe distinguendum est. Sed de priori causa, quia aperta eius ratio est, duo tantum monenda sunt, primum si aliae causae nunc quidem cognosci non possint, non statim suspicioni locum dandum esse, scriptorem eam rem quam praeteriit ignorasse; deinde si scire eam potuisse ac debuisse videatur, non temere fidem rei negandam esse, quod ille eam, si vere accidisset, neque ignoraturus neque omissurus fuisset. Utrumque vero non satis observatum est in fide rerum Domini ex narrationibus Evangelistarum aestumanda; inprimis in altero peccatum est, quum dicerent, verum haberi non posse, quod aut temere praetermissum videretur, quum debuisset narrari, aut propterea omissum esset a pluribus, quod ignoratum esset, excepto uno, ab omnibus, cuiusmodi sunt illa, quae solus Matthaeus de sepulcro Domini narravit. Cui obtrectationi ipsi theologi haud raro materiam praebuerunt, quoniam unum e scriptoribus sacris rem ullam ignorasse nefas habebant vel suspicari. Sed etiamsi nullo exemplo certo demonstrari posset, unum e scriptoribus sacris rem quandam, quam reliqui de rebus Domini narrarunt, praetermisisse, quod eam ignoraret, satius tamen foret, ignorantiam concedere quam improbabiles quaerere causas, cur ille eam rem consulto praeterierit. Sufficit enim, falsum quid haberi non posse propterea, quod non omnes id rescivisse videantur, modo is, qui scivit et retulit, satis idoneus testis haberi possit, et causae probabiles adsint, cur ne inscitia quidem vituperanda sit. Nam quum de humana tantum scriptorum sacrorum fide hoc loco sermo sit, ut ab initio dictum est, ne hoc quidem detrectandum est, ex eiusmodi rebus levioribus, quae cum quocunque facto coniunctae esse solent, scriptorem N. T. unam alteramve ignorasse. Neque vero opus erat, ut scirent omnes omnia etiam levissima quaeque, sed ut nihil eorum ignorarent, ex quibus intelligeretur, qualis quantusque fuisset Dominus. Quamquam negari potest, ex illarum rerum numero fuisse, quae de sepulcro Domini et sacerdotum astutia

solus Matthaeus narravit. Potest enim causa satis idonea inveniri, cur reliqui Evangelistae nihil ea de re prodiderint, etiamsi eam bene cognitam haberent, quam non obscuram esse putamus his, qui sciunt, quo loco res Apostolorum post Domini discessum fuerint. Sed mulieris istas eam rem ignorasse, tam leve est, ut mirandum sit, virum ceteroquin ingeniosum totam narrationem incertam esse credidisse, quod non probabile sit, mulieres illas condire corpus Domini voluisse, quum sepulcrum obsignatum esse non potuerint ignorare. Sed hoc certe omnes concedent, falsum esse, si quis ignorantiam scriptoris causam silentii fuisse dicat, priusquam demonstratum fuerit, nullam causam aliam probabilem cogitari posse; sed gravissime etiam peccare, qui factum quoddam incertum esse putaverint, in quo reperiatur aliquid, quod unus vel alter scriptor ignoraverit. Neque hoc modo in reliquis scriptoribus peccari solet; tantum in sacris scriptoribus urgent, quod apud diligentissimum quemque scriptorum sine dubitatione conceditur. Sed magis impedita est ratio investigandi causas, cur sciens scriptor quaedam narrare omiserit. Quas quum per se difficillimum sit cognoscere, tum propterea maxime, quoniam scriptoris consilium tametsi minime obscurum fuerit, plures tamen in re eadem causae possunt cogitari. Nam quae nobis quidem maxime probabiles causae videri possunt, quum scriptoris consilium mentemque nostro ingenio metimur, eae valde verendum est ut verae videantur, si ipsius scriptoris ingenium, mores, et consilium perspectum habeamus. Dicant v. c., cur Thucydides non narraverit, quod Plutarchus tradit, Themistocli amicos uxorem et liberos misisse, quod neque ignorasse Thucydidem verisimile est neque falsum habuisse; et erat locus opportunus commemorandi, quum pecuniam ab amicis missam esse narraret. Sed in illis causis quaerendis ante omnia videndum est, qualis sit illa res, quam scriptor, ceteroqui diligens rerum observator, consulto praetermisisse videatur. Nam si res levis tantum est, quae ad ipsum, de quo agitur, factum recte cognoscendum nihil momenti affert, nulla fere alia causa quaerenda est, quam quod scriptor non operae pretium esse putaverit eam commemorare. Sed quum res eiusmodi est, ut a diligenti scriptore omnino non intacta relinqui potuisse videatur, quoniam ipsius facti vera ratio ex ea perspicienda est, fieri non potest, quin aut rem illam a scriptore falsam habitam esse putemus, aut si

vera tamen et fide digna fuerit, ne temere praetermissa videatur, studiosius causas quaeramus, cur eam scriptor neglexerit. Utrumque qua re sit dicendum est. Et primum quidem nulla frequentius afferri causa solet, quam quod ipse scriptor falsum esse putaverit, quod si verum et fide dignum habuisset, non praetermissurus fuisset; quam suspicionem de iis rebus potissimum inferre cupiunt, quae ab uno alterove scriptore sacro omissae sunt. Vident tamen omnes huic suspicioni non dari locum, nisi certo cognitum fuerit, rem praetermissam eiusmodi esse, ut scriptor eam non potuerit non commemorare, sed refutare potius quam praeterire debuerit. Ex quo genere est, quod Thucydides nihil dixit de Themistoclis conscientia consiliorum Pausaniae; recte enim suspicari Plutarchus videtur, illum haec ὡς κατεγνωκότα praetermisisse. Sed si rei commemoratio non ita necessaria fuerit, quin ipsius facti vera ratio cognosci possit, nisi de ea certi quid habeamus, temere coniicitur, scriptorem pro falso habuisse, quod non necessario erat commemorandum. Verum tametsi res quaedam ad facti cuiusdam veram rationem perspiciendam maxime necessaria videri possit, tamen cavendum est, ne eam statim suspectam habeamus, quoniam a scriptore diligenti praetermissa est. Est enim non consilium tantum scriptoris varium, sed etiam ingenium diversum, et diligentissimus quisque scriptor consulto praetermittere multa solet, quae aut curiositas scire desideret aut scriptor alius copiose enarraverit. Alius enim describit tantum, quae gesta sunt, alius ea depingit sic, nihil ut suspicioni aut iudicio lectoris relinquat: alius satis habet res ipsas memorare, alius quomodo acciderint, quibus de causis, quibus praesentibus, enarrat, nunc aliorum opiniones refert, nunc suum iudicium addit. Sunt etiam scriptores, quos in ratione narrandi non satis constare sibi putemus, quod quum omnino sint parcissimi rerum et verborum, nonnunquam tamen longissimas disputationes de causis rerum immisceant, quas veteres quidem graeci et latini scriptores plerumque fictis orationibus exponunt. Quod quum apud reliquos scriptores non reprehendendum putemus; quo tandem iure sacrorum scriptorum fidem suspectam esse putabimus, quoniam alius alia habeat aut easdem res alio modo enarret? Aliud est enim narrare quaedam, quae alter praetermitti posse existimavit, aliud vero alteri repugnare. Sed in scriptorum sacrorum narrandi ratione hoc potissimum observandum est, quod tametsi alieni fuerint ab illa in

rebus tenuissimis enarrandis sedulitate, quae curiositati potius, quam veritati historicae inservit, tamen, ut erant proximi rebus illis, quas narrarunt, ea ratione usi sint, quae ab arte quidem remota, sed ad veram rerum magnitudinem et indolem cognoscendam aptissima videri debet. Agebant enim omnes hoc, ut, qualis quantusque esset Dominus, cognoscerent, quibus annunciaretur Evangelium; sed in rebus singulis, tamquam argumentis τῆς δόξης τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, eligendis, suum quisque iudicium sequutus est. Quare non mirandum est, tria priora Evangelia, quamvis sibi simillima, tamen sua quaeque sibi propria habere, sed ab iis Iohannis Evangelium ita differre, ut, quum illorum fontes invenisse sibi videantur, de hoc tamen quid proferant, etiamnum dubitent. Sed ad propositum redeamus. Intelligitur enim, nisi quid eiusmodi sit, ut a scriptore diligenti omitti non potuerit, coniici non posse, id a scriptore praetermissum esse, quod falsum putaverit. Sed quid omitti non posse videatur, non ex hominum curiositate aestumari potest, sed partim ex natura facti, de quo agitur, partim e scriptoris consilio cognoscendum est. Et ipsius quidem facti natura hoc desiderat, ut eae res tradantur, quae si ignorentur, incertum foret vel quid factum fuerit, vel qua de causa factum credamus, non autem ut narrentur omnia, quibus ille rei gestae modus cognoscitur. Sic v. c. Evangelistae non poterant praetermittere, Dominum post resurrectionem amicis conspiciendum se praebuisse; sed qui eum viderint, quove tempore, id quidem non necesse erat ut singuli narrarent: nam quum diligenter narrassent, omnino apparuisse Dominum, effecerant, ut de ipsa resurrectione non posset tunc quidem dubitari. Si quid igitur eiusmodi ab uno alterove scriptore sacro praetermissum fuerit, hunc non ex re sua existimasse putabimus, ut mentionem eius faceret, quoniam quid factum esset, vel sic satis certo cognosci posse existimaret. Nam cuique scriptori hoc dandum est, ut ex illis rebus, e quibus ipsa facti veritas non pendet, eas tantum commemoret, quas ipse velit. Neque vidimus fuisse quemquam, qui Diodorum Siculum reprehenderet, quod is Lacedaemonios tantum nominaverit, quorum legati Themistoclis repetendi causa ad regem Admetum venissent, quum Thucydides etiam Athenienses fuisse dixerit. Sed quum Iohannes Mariae Magdalensis tantum mentionem fecerit, cui post resurrectionem suam Dominus apparuerit, reliqui autem plures mulieres

nominaverint, tantam narrationum repugnantiam esse clamant, ut vix omnino Dominus apparuisse videatur. Sunt etiam res quaedam, quas tametsi plurimi scire cupiant quam maxime, tamen diligentissimus quisque scriptor praetermittere possit salva ipsius facti perspicuitate et veritate, veluti nomina hominum, quorum secundae tantum ea in re partes fuerint, et sermones, qui dum fieret quidquam, inciderunt. Atque in huiusmodi rebus ita variare optimos scriptores videmus, ut si haec iusta de eorum fide et historiae quam narrant veritate dubitandi causa foret, nihil absit quin de omnibus omnino dubitandum sit. Itaque non mirum est, etiam ab Evangelistis singulis res eiusmodi praetermissas esse, praesertim quum illi nulla arte uterentur, et quoniam de veritate rerum, quas narrarent, persuasissimum habebant, alienissimi essent a rerum minutarum studio, quibus fidem facere narrationibus suis cupiunt, qui verentur ne incertae plurimis videantur. Nam qui summae rei, quam narrat, ipse fidem habet, is parum curat singula, neque opus esse putat, omnia quae de quaque re vulgus requirere solet, sedulo enarrare, quod facere solent tantum hi, quibus res ipsa non satis certa fuerit. Quamobrem haec ipsa rerum eiusmodi incuria tantum abest, ut scriptoris fidem minuat, ut eam augeat plerumque, inprimis apud scriptores, quorum maxime interfuisse constet, ut omnia quae narrarent, invenirent fidem. Sed ad alterum perveniamus.

Etenim in fide historiae ex fide scriptorum aestumanda non minus offendi multi solent, quum de re eadem a variis scriptoribus res diversas narrari videant, quod plerumque fit, ut supra dictum est. Sed quoniam haec diversitas narrationum ex iisdem fere causis diiudicanda est, de quibus modo disputavimus, ea tantum afferamus, quae huic generi propria esse videntur. Nam hoc quidem omnes intelligunt, distinguendum esse factum, quod narratur, a rebus iis, quibus modus illius cognoscitur, ne, quum in his discrepare scriptores videamus, illud ipsum incertum esse putemus. Sed magis etiam necesse est cavere, ne si res diversae narrentur, scriptores ipsos sibi contradixisse credamus, in quo frequenter erratur; tametsi enim res ipsae repugnare sibi videantur, tamen colligi non potest, scriptorum alteri contradicere voluisse, nisi id ipsum significaverit. Verum haec ita iudicanda sunt, ut de priori genere diversitatis dictum est. Est autem eius diversitatis, de qua nunc dicendum est, duplex ratio; quum res

diversae, quae de eodem facto narrantur, aut prorsus sibi repugnent, aut contradicant tantum, si eodem modo cogitentur; de utroque deinceps dicendum est. Primum igitur, quum a diversis scriptoribus res eiusmodi narrantur, quae sibi ita repugnant, ut si unam veram putemus, alteram falsam habere oporteat, hoc quidem intelligitur, quum alterutra tantum vera esse possit quaerendum esse, utri maior habenda sit fides. Sed in hac causa nostra hoc potius videndum est, an, si eiusmodi rerum repugnantia in scriptoribus deprehendatur, facti ipsius, de quo agitur, fides suspecta reddatur. Intelligitur autem, incertissimam hanc suspicionem esse, nisi repugnent sibi narrationes de eiusmodi rebus, quae si incertae fuerint, de ipso facto debeat dubitari. Quod fit, si res cum facto ipso tam necessario coniuncta sit, ut aequum sit de alterutro dubitare. Sed si plures eiusdem rei cogitari modi possunt, non res ipsa quidem, sed modus tantum dubius videri potest. Est hoc inprimis observandum de nominibus hominum, qui rei cuiusdam vel testes vel etiam adiutores fuisse narrantur: in his enim frequentissima est narrationum diversitas, quae si apud alios scriptores reperitur, nihil morari solent, quo minus rei ipsi tamen fidem habeant, sed in sacris scriptoribus, si unum nomen ambiguum fuerit, de tota narratione dubitant. Scilicet vexatur fides historiae resurrectionis Domini, quoniam variant Evangelistae in mulieribus nominandis, quae primae eam rem discipulis renunciaverint; sed nemo unquam incertum esse putavit, an Themistocles in exilium sponte abierit, quamquam incertissimum est nomen viri, qui illum Persarum regi commendavit. Nam Thucydides quidem eum non nominat, Diodorus Lysitheidem, Plutarchus Nicogenem, secundum Herodotum (VII, 27.) Pythius quidam fuit. Quid quod Plutarcho auctore (*in Themist.* c. 27.) dubium videri possit, utrum ad Xerxem an ad Artaxerxem Themistocles fugerit. Est etiam in temporis notatione magna plerumque diversitas, quae nullo pacto suspectam reddere potest fidem rei, quae quo tempore gesta fuerit, non certo cognoscatur. Potest enim annorum et dierum distincta notitia tunc demum necessaria videri, quum certo tantum quodam tempore res ipsa gesta cogitari possit. In sacris autem scriptoribus minus etiam offendere potest eiusmodi diversitatis, quippe qui in rebus Domini ordine enarrandis ipsorum factorum potius quam singulorum temporum rationem habuerunt; neque opus erat, ut quo certo

tempore res quaeque gesta esset, enarrarent. Quamquam veremur, ut apud Evangelistas tanta in re quadam narranda temporis diversitas reperiatur, ut apud multos alios scriptores etiam in rebus clarissimis, cuiusmodi est, quod Thucydides narrat, Themistoclem, postquam ad Persarum regem scripsisset, per integrum annum in Asiae minoris provincia quadam remansisse ac deinde publice ad regem venisse, Diodorus autem, statim ab amico deductum latuisse primum in urbe, sed postea honorifice a rege exceptum esse *). Videant igitur alii, quo iure a scriptoribus sacris maiorem in eiusmodi rebus consensum requirant, aut si non satis conveniant, res ipsas incertas esse arbitrentur. Sed saepe etiam fit, ut a diversis scriptoribus narrentur de eodem facto res quaedam, quae sibi repugnent tantum, si eodem modo cogitentur. In quo diversitatis genere videndum est, an non cogitari possint apud singulos scriptores alio modo, ita ut quae repugnent, si eodem tempore et loco accidisse credantur, tamen vera omnia videri possint, si cogitemus, scriptores de diversis temporibus et locis loquutos esse. Quod tametsi nunc quidem non distincte perspici possit in rebus omnibus, magis tamen aequum est, concedere nos quaedam ignorare, quae si cognita haberemus, plana omnia forent, quam scriptores accusare, quod post tot secula nullam nobis dubitandi causam reliquerint. Itaque homines doctissimi iique minime creduli dudum praeceperunt, tantum abesse ut narrationum diversitas quaedam fidem scriptoris aut rei ipsius minuat, ut praestet, scriptores plures dissentire in rebus eiusmodi, in quibus omnibus ac singulis non nisi composito consilio consentire potuisse videantur.

Quae quum ita sint, in fide historiae Domini ex fide librorum N. T. recte aestumanda hac ratione utamur, primum ut gravissima rerum momenta distinguamus a rebus singulis, ex quibus pendet tantum earum modus, deinde, ut in diversis scriptorum sacrorum narrationibus examinandis easdem nobis leges scribamus, quibus de fide reliquorum scriptorum constat

*) Usi sumus saepius illa de Themistoclis exsilio narratione, non quod deessent exempla plura et illustriora, sed ut intelligerent sacrarum literarum studiosi, quanta narrationum repugnantia apud probatissimos auctores reperiretur de rebus clarissimis, discerentque diffidere consiliis eorum, qui in libris sacris suadent ubique quaerere causas suspicionum. Est enim quidem aliquid, ἀπιστεῖν in loco; sed probi iudicis est, non culpae causas cupide quaerere, sed innocentiae.

ndicium, neque ob diversitatem quandam de ipsius rei veritate lubitemus, postremo ut assidue cogitemus historiam Domini ex arum rerum numero esse, quarum monumenta certissima et per-mnia exstant in ipsa memoria rerum humanarum. — —

DE

HODIERNA THEOLOGIAE DISCIPLINA
AD RATIONEM LUTHERI EXAMINANDA.

Quum in eo simus, ut illius diei, quo sacrorum in magna eccle-iae christianae parte emendandorum initium factum est, gratam aemoriam more maiorum pia mente celebremus, quamquam multa e nobis offerunt, quae hanc solemnitatem reddant laetissimam, unt tamen etiam haud pauca, quae canti cuiusque rerum nostra-um observatoris animum dolore quodam metuque afficere debeant. Sive enim externum ecclesiae evangelicae statum spectemus, sive nternam eius rationem examinemus, plurimas, quae maioribus nostris iustissimae laetandi causae visae sunt, vel temporum in-uria vel perversis hominum studiis aut prorsus extinctas aut alde minutas deprehendemus: et iam eo res devenisse videtur, t multa, de quibus maiores nostri maxime exsultandum esse pu-arunt, in earum rerum numero habeantur, quibus haec aetas ostra sapientior et summam propemodum maturitatem adsequuta acilius supersedere didicerit. Verum haec omnia hoc loco per-equi longius foret, et ingrati laboris opus apud eos, qui in-redulos rerum nostrarum spectatores pro morosis tenebrarum micis et iniquis laudum alienarum obtrectatoribus habere con-sueverunt, et puerorum in triviis ludentium more convicia iactant in eos, quorum animus ab huius seculi ineptiis est alienus. Nos autem, quos non decet laudem hominum captare, eo attentius circumspiciamus, ne quid damni nostra culpa ecclesiae inferatur, quum non manifesta sint omnia pericula, sed quaedam ita lateant, ut imperitos aut simpliciores facile fugiant, nonnulla veris huius etatis bonis immixta etiam cautiores decipiant. Priusquam igi-ur ad solemnia academica pie celebranda invitemus, non

alienum fuerit, illorum malorum, quibus ecclesia evangelica aegrotare nobis videtur, unum tantum exemplum proposuisse, idque ex eo genere, de quo nos omnes quam maxime cogitare iubet summorum Lutheri de ecclesia Christi meritorum grata recordatio.

Sciunt vero omnes, quantas conversiones nostra aetate ipsum theologiae studium subierit, neque esse fere aliquam partem theologiae, in qua priscae disciplinae ratio agnoscatur, imo si qua eius vestigia nonnullis locis reperiantur, ea non nisi summam, quae per totam theologiam imperat, inconstantiam prodere. Quamquam enim negari non potest, veteres ecclesiae nostrae theologos, partim in scripturae sacrae singulis locis explicandis, partim in ipsis dogmatibus constituendis, a vera ratione aliquoties aberrasse ideoque non probandam esse sententiam eorum, qui studium theologiae ad rationem sec. XVII. revocandum esse censuerunt, tamen manifestum est, veteres theologos multa vitia hac una, qua maxime carere theologiam hodiernam videmus, virtute compensasse, rationis quae omnia regeret constantia et perpetuitate. Praestat vero certa ratione errare quam incerta veri suspicione in diversas partes distrahi. Sed hodiernum theologiae studium certa ratione carere hi optime intelligent, qui vel unum tantum locum ad veterum theologorum sententiam exploraverint. Et Lutherus quidem quamquam de ipsa theologia parum meriti sibi comparasse multis visus est, tamen nostra quidem sententia certam rationem sequutus est, ad quam si quis hodiernum studium theologiae examinaverit, is etiamsi nostris bonis minime invideat, tamen non unum aequalium nostrorum in theologia tractanda vitium deprehendet. Quod ne cui temere dictum videatur, speramus fore ut hac brevi disputatione efficiamus.

Sed quoniam verendum est, ne quis hoc consilium *hodiernam theologiae disciplinam ad Lutheri rationem examinandi* improbandum esse putet, quoniam non Lutheri, sed veram rationem sequi oporteat, et ipse Lutherus, quod semper in ore gerunt, a nominis sui superstitione alienissimus fuerit, quis illius examinis modus sit, ante omnia dicendum est. Concedimus igitur, non de Lutheri theologia agi, sed de theologia tali, qualis esse debeat in ecclesia evangelica, concedimus etiam, ab huius ecclesiae sententia non omnes alienos esse, qui in singulis scripturae locis quibusdam explicandis atque in nonnullis dogma-

ibus definiendis et demonstrandis aliam quam Lutherus rationem sequantur; concedimus denique, hodiernam theologiae disciplinam omnino non propterea vituperari posse, quod discrepet a disciplina theologorum Sec. XVI. ipsiusque Lutheri. Sed quum theologi evangelici haberi vocarique velimus, unde tandem probabimus, rationem nostram esse vere evangelicam, nisi consentiat cum ratione Lutheri, quem certe concedent fuisse theologum evangelicum? Nam aut totus Lutherus deserendus est aut in ratione evangelica sequendus; aut nec ipsum Lutherum evangelium Christi intellexisse ingenue profiteamur, aut theologiae evangelicae disciplinam ad Lutheri rationem revocandam esse concedamus. Nolumus Paulli esse aut Lutheri, sed Christi. Recte. Sed dicant, cuius Christi esse velint: utrum eius, quem Paullus gentibus annunciavit, quem Lutherus colere denuo Christianos docuit, qualis ipse dominus fuit apud patrem ante mundum conditum, an talis, qualem sibi cogitare hoc seculo possit ratio humana, qualemque velint etiam in libris sacris propositum, si modo tulisset illius temporis mediocritas. Evangelici esse volumus. Optime. Sed a quonam evangelio illud nobis nomen vindicemus? utrum ab eo, quod ipse de coelo deportavit, qui fuerat in coelo, quod olim Iudaeis σκάνδαλον fuit, Graecis μωρία, an ab novo quodam evangelio imo ad hodiernas rerum humanarum rationes formato? Denique theologiam non ad Lutheri rationem tractandam esse censemus, sed ad rationem veram. Audio; sed quaenam sit vera haec ratio, scire cupio imo demonstrari maxime velim, ita tamen ut ne desinant esse theologi evangelici. Lusimus enim iam satis venerando nomine illo; dicamus tandem, quam theologiam in animo habeamus: non potest enim ferri diutius ista ambiguitas officiosa, dulcis, mysticorum verborum blandis susurris decipiens animos imperitorum. Sed donec veram illam rationem demonstraverint probaverintque, nostra quidem sententia theologiae hodierna disciplina ad rationem Lutheri ita examinanda est, ut quam prope ea ad rationem evangelicam accedat, luculenter intelligatur.

Ac primum quidem de ipsa theologia dicendum est: nam ex diversa theologiae notione ipsam disciplinae rationem pendere necesse est. Est quidem haec vulgaris opinio, Lutherum de ipsa theologia melius constituenda non ita sollicitum fuisse sed potius de ecclesia christiana a plurimis quibus laborabat vitiis liberanda

cogitasse, vel quod impatientior eius animus a scholasticis quaestionibus abhorreret, vel quod rebus illo tempore magis necessariis occupatus esset, vel quod accuratiori literarum scientia destitutus theologiae constituendae laudem, quam alioqui non magni faceret, lubenter sibi ab aliis eripi pateretur. Itaque Lutherum non tam excellentem theologum quam virum fortissimum, ad externam ecclesiae conditionem instaurandam natum et heroa fidei dicere multi consueverunt. Sed quamquam concedendum est, ab illa arte, quae ad systema theologicum constituendum necessaria videtur, Lutheri animum et consilium alienum fuisse, negamus tamen eum, quae esset vera theologia evangelica, minus recte quam reliquos ipsumque Melanchthonem intellexisse, imo facile demonstrari posse putamus, eum veram theologiae evangelicae rationem ita tenuisse, ut si post Melanchthonem eam reliqui sequuti fuissent, systema theologicum dudum constitui potuisset. Erat enim theologia Luthero nihil aliud quam vera scientia Christi i. e. salutis humanae beneficiis Christi ex divina gratia consequendae. Saepius ille dixit, vanam esse in theologia sapientiam et artem humanam, veram theologiam cognitione Christi constare *); ideoque scholasticorum subtilitatem spernebat, quod ea a Christo abducere videretur, et Melanchthonis locos communes toto animo admirabatur, quod in illo libro, primo post Apostolorum memoriam doctrinae christianae exemplo, omnia ad Christum referri intelligeret **). Neque per totam vitam desiit monere, nullam esse theologiae laudem, nisi quod super humanae sapientiae incertas tenebras perduceret ad plenam lucem gratiae dei patris domini et servatoris nostri Iesu Christi, efficeretque πληροφορίαν τῆς πίστεως, sine qua nemo beatus esse posset. Pleni sunt plurimi eius libri talibus locis, ex quibus planissime haec de theologia Lutheri sententia cognoscitur, eamque ipse totius vitae suae ratione constanter probavit. Sed sciunt omnes,

*) Pleni sunt omnes libri Lutheri huiusmodi gravissimis dictis, quae singula recensere longius foret. Nos iis afferendis tanto lubentius abstineamus, quo magis volumus ut ipsa scripta Lutheri, in quibus de rebus theologicis disputatur, tota legantur. Quod si fecerint theologiae studiosi, utiliorem profecto operam fecerint, quam legendis diariis et censuris librorum, quorum lectione postea supersedere se posse temere opinantur.

**) *Opp. Lutheri* Tom. XXII. p. 1067. 1068. (ed. Walch.) Conf. *Herm. van der Hardt Hist. Lit. Reform.* Tom. IV. p. 28. sq. *Plank Gesch. des Prot. Lehrbegr.* Vol. II. pag. 84.

quantum haec imago theologiae distet ab ea theologiae notione, quae post Lutherum animos theologorum plurimorum occupavit, et quae nostris temporibus ubique fere imperat. Nam primum quidem totius theologiae scientia denuo ad formulas quasdam rediit, quibus verba Lutheri exprimebantur, quamquam mens eius dudum subducta erat. Postea vero quam intellexisse sibi videbantur, multis illam theologiam vitiis laborare, primum singulos locos mutarunt, deinde totum systema ad novas causas revocatum emendare studuerunt. Hinc factum est, ut tota theologia, veluti in palaestram traducta, omnibus fere membris sauciata, faciem variam et adspectu mirabilem acciperet. Erat autem duplex quasi instrumentum, quo ad nostri seculi rationes theologiam formare studuerunt; unum in philosophia, in historia alterum; utroque nunc vicissim nunc promiscue usi sunt. Et philosophia quidem, ut dogmata, graviter a multis rationis nomine impugnata, defenderent ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, historia autem, ut formularum, quibus plurimi offenderentur, origine monstrata, ipsorum dogmatum auctoritatem invidiamque minuerent. Mox ad philosophiam redierunt, ut huius decretis ipsam theologiam superstruerent, mox historiam consuluerunt, ut ostenderent, quantum ab obscuri temporis opinionibus nostrae aetatis lux detraheret, denique philosophiae placita cum ipsa ratione humana permutantes hanc theologiae legem scripserunt, ut non evangelii Christi scientia, sed scientia decretorum rationis de evangelio, cuiusmodi τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου τούτου vel ferat vel postulet, constare theologia videretur. Itaque tota theologia, ne dicamus ad fabulas ablegata, certe in historiam mutata est. Non Christi cognitio a multis in theologia quaeritur, sed cognitio rationis humanae, ut constet, non qualem se ipse dominus dixerit stiteritque τῷ κόσμῳ, sed qualem ferre possit ὁ κόσμος: non ad Christum refertur theologia, sed ad notionem hodiernam de fine summo rerum humanarum, ideoque disciplina theologiae non ad Christum adducit, sed ad sapientiam humanam; imo haec ipsa seculi nostri summa laus est, quod humana sapientia iudicentur omnia, etiam τὰ βάθη τῆς σοφίας τοῦ θεοῦ. Quae ne quis acerbius quam verius dicta putet, reputemus, quae sit causa calumniarum et conviciorum, quibus adversus theologos priscae theologiae tenaciores multi nostratium utuntur; quaeramus quid sit quod, quum quis dicat, τὰ βάθη τοῦ θεοῦ neminem ἐρευνᾷν

nisi τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ, de laesa rationis humanae summa auctoritate, de perversissimo hanc clarissimam huius seculi lucem obscurandi studio, de maligno vera generis humani bona invidentis odio, ingentes clamores tollant, multoque magis stomachosos se gerant, quam stolidissimi quos dicunt custodes orthodoxiae. An serio eos credere putemus, quod imperitis persuadere cupiunt, rationis humanae iura in periculo esse, quasi verendum sit, ne theologi, qui cum verecundia rebus divinis debita neque ad lubitum sapientiae humanae explicanda et examinanda esse praecipiunt τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τοῦ οὐρανοῦ, sed ex mente Christi δικαιωθέντος ἐν πνεύματι atque ex aeternis rationibus generis humani, denuo humanae lubidinis iugo subiicere ecclesiam evangelicam conentur. Sed salva res est: bene sciunt, calumnias esse, quibus invidiam theologis conflare student, sed probe etiam norunt, quid velint, quidve nolint. Scilicet Christum nolunt, aeternam salutis rationem omnibus omnium temporum hominibus qui monstraverit, qui ex aeterno dei decreto revelaverit, quae abscondita fuerunt omnibus seculis, qui verissima fuerit lux mundi non ad mentem huius seculi, sed ad aeternam rationem dei; evangelium nolunt, quod Apostoli annunciarunt gentibus, sed quod sapientiae τοῦ αἰῶνος τούτου arrideat; denique non hoc volunt, ut decreta divina per homines tradita et in libris sacris consignata per leges rationis explorentur, quod nemo hac aetate faciendum esse negavit, sed ut pro decretis divinis habeantur, quae per ipsam rationem humanam, quam illi quidem dicunt, i. e. per suam cuiusque potissimum rationem non solum examinata, sed inventa et probata fuerint. Haec est, fatidici illius quem dicunt rationalismi infinitis orbibus se volventis vera ratio: hinc superbi clamores illi, hinc suavia de discrimine revelationis tollendo monita, hinc historici studii theologiae callida commendatio. Nimirum non eo consilio commendatur a multis illud studium, quo primum restitutum est Sec. XVI. in ecclesia evangelica, ut doctrina divina in libris sacris tradita quas mutationes subierit, cognoscatur, ut fata regni coelestis in his terris intelligantur, ut commenta humana ab ipsis decretis divinis discernantur; sed ut notio quaedam historica, ut vocatur, ipsius doctrinae divinae constituatur, i. e. ut quid Christus et Apostoli, si nostra aetate vixissent, dicturi fuissent, doceatur, ut doctrina, non illorum temporum, sed quae nostris rationibus accommodata sit, pro

doctrina evangelica habeatur, quam si quis divinam esse putet, non erraverit, modo ad huius seculi rationem fingat sibi notionem aliquam revelationis divinae. Sed haec ratio theologiae hodiernae quantum a Lutheri ratione recedat, omnes intelligunt. Quamquam enim Lutherus optime norat, et rationis humanae ope in studio theologiae neminem supersedere posse et hanc esse verissimam legem in iudicandis dogmatibus, ut quod rectae rationi repugnet, id multo magis deo repugnare putemus, (*Opp. Tom.* XIX. *pag.* 1940.) tamen etiam probe intellexit, theologiam non in eo constare, ut placita rationis humanae de religione tamquam fontem et normam revelationis divinae teneamus, neque hoc esse rationis humanae in theologia negotium, ut res, quas aut non ipsa invenerit aut non prorsus perspiciat, tamquam alienas et summae suae auctoritati repugnantes secernat, denique opus quidem esse, ut humanas de evangelio opiniones atque omnino historiam ecclesiae. accurate cognoscamus, sed verum theologum esse, qui divina de salute hominum decreta non per ratiocinationes acutas, sed ex verbo dei usu cognoverit, et vera fide amplexus fuerit. Hinc aureum Lutheri dictum illud: sine fide neminem esse theologum (*Opp. Tom.* XXII. *pag.* 759.), hinc iustissimae rationis humanae laudes gravissimis de vitanda in religione sapientiae huius mundi petulantia monitis temperatae, (*Opp. Tom.* VI. *pag.* 181. 2620. V. 636. 761. I. 262. 286. XI. 237. etc.) hinc verissima illius artis theologis maxime necessariae praedicatio, verbum dei non aestumandi ex arbitrio rationis humanae. (*Opp. Tom.* XIII. *pag.* 1247. sq.) Scilicet Lutherus erat omnium bonarum artium laudator ingenuus; nullam spernebat partem scientiae humanae, sed nullum volebat illegitimum in aliena ditione imperium exercere. Itaque etiam theologum voluit verae eruditionis laude conspicuum et plurimis literis, grammaticis, historicis, ipsaque philosophia imbutum, neque ab artibus pulcris alienum, sed harum rerum omnium scientiam putavit tantum ad doctrinam divinam a superstitionis et insolentiae humanae ausibus defendendam, ipsumque animum excolendum vitamque emolliendam inservire, non autem commiscendam esse cum ipsa theologia, quae longe superaret sapientiam humanam. (*Opp. Tom.* VIII. *pag.* 2121. XI. *pag.* 2218. XII. *pag.* 12. *pag.* 44. sq. *pag.* 920. sq. col. *Tom.* XVIII. *pag.* 683.) Quae Lutheri de theologiae ratione

sententia si cui non arrideat, is falsam esse ostendat, is aliam, is hodiernam, magis evangelicam esse demonstret; interea nos quidem eam eiusmodi esse censemus, ut quo quis magis ab ea recesserit, is eo longius a vera theologi evangelici laude abesse videatur.

Diximus de theologia in universum: sequitur ut de fontibus eius dicamus. Constat autem, theologiam propterea potissimum evangelicam appellari, quod hauriatur tantum e scriptura sacra. Laudant Lutherum, quod is reiectis omnibus commentis et traditionibus humanis verbum dei tantum e libris sacris hauriendum esse demonstraverit, quod hunc purissimum fontem doctrinae divinae multorum seculorum superstitione turbatum imo prorsus interclusum denuo aperuerit, quod populo christiano reddiderit volumina sacra, quod omnia, quae non possent luculenter certis scripturae testimoniis confirmari, ad fidem et pietatem christianam non pertinere, magnae ecclesiae parti dictis factisque persuaserit, imo adversarios quoque coegerit, ut de verbo dei ex ipsis fontibus hauriendo diligentius quam antea cogitarent. Itaque etiam evangelica theologia habetur, quae ex ipsa scriptura hausta est, et ecclesias a Romanae ecclesiae traditionibus alienas communi evangelicarum ecclesiarum nomine comprehendimus, quod omnes tantum scripturam sacram pro fonte verbi divini agnoscant. Verum tamen quamquam verissimum est, ecclesiam evangelicam hanc Lutheri rationem sequi debere, tamen negari non potest, hodiernam theologiae disciplinam ab ea longe recessisse, sic ut si ad veram Lutheri sententiam examinetur, nihil nisi verborum umbrae relinquantur. Quid est enim, scripturam sacram cum Luthero unicum fontem evangelii dicere, nisi certum tibi sit, verbum dei reperiri in scriptura sacra? Quid praestat, traditiones humanas, quas Pontificii addunt scripturae, reiicere, si in ipsa scriptura nihil amplius quaeras, quam traditiones humanas? Quid iuvat, evangelii nomine nos efferre, si nullum aliud in scriptura evangelium ferre velis, quam quod ipsa sibi ratio humana annunciare possit? Enimvero longe alia mens Luthero fuit, quum e scriptura hauriendam theologiam praeciperet. Scilicet non humanum evangelium, sed divinum in libris sacris traditum esse putabat, idque vera interpretatione, i. e. quae iisdem legibus constaret, quibus reliqua hominum scripta exponuntur, explicandum, non autem ad cuiusque πνεύματος lubidinem effingendum ac

deinde scriptoribus sacris affingendum esse existimabat. Nam adversarii quoque gloriabantur, dogmata sua habere testimonia scripturae, sed ipsi etiam criminabantur Lutherum, quod scripturam non recte interpretaretur. Lutherus contra quamquam non hoc sibi arrogabat, quod solus scripturam recte intelligeret, tamen non ad humanas opiniones, sed ad summam fidei rationem (*ἀναλογίαν πίστεως*), scripturam sacram explicandam esse censebat. Itaque etiamsi in quibusdam scripturae locis explicandis erraret, tamen a vera mente scriptorum, quam non singulorum locorum sensu constare probe intelligeret, non aberravit. Sed dicant ipsi, qui interpretum multorum nostrae aetatis commentarios legerunt, non quam vera sit eorum ratio, sed quantum conveniat cum evangelio Christi, imo quantopere discrepet a ratione Lutheri, qui reddidisse nobis scripturam videtur, ut nos in eam summa licentia grassaremur. Primum grammatica interpretatio displicuit, quam unice veram Lutherus et Melanchthon et reliqui omnes putarunt, qui, quid esset interpretari, intelligere viderentur; historica quaedam adiecta est, non quod multarum rerum historicarum scientia opus esset ad scripturae loca quaedam intelligenda, quod bene intelligebat et profitebatur Lutherus, neque unquam negavit aliquis, sed quia ex temporis hominumque notatione cognosci posset, quid Christus et Apostoli dicturi fuissent, si alio tempore vixissent, si alios homines docuissent, si ipsi omnino tales fuissent, quales nos sumus, qui illa *στοιχεῖα τοῦ κόσμου* dudum reliquimus. Habemus igitur (ut utamur verbis theologi, quem sciunt omnes minime superstitiosum esse) habemus exegesin historico-grammaticam, quae neque grammatica est, quoniam nec linguae leges veras novit et ipsam linguam misere torquet; neque historica, quia non quaerit in historia, neque vivit, caretque vera rerum intuitione historica, denique ne exegeseos quidem nomen meretur, quoniam non est interpres *τοῦ ἁγίου*, quod nec novit neque intelligit. Hinc denique factum est, ut quum hoc tenue et ieiunum genus interpretandi non possit non displicere fervidioribus ingeniis, verendum sit, ne spreta vera eruditione multi ferrei illius, quo vera libertas evangelica premitur, iugi impatientiores in mysticorum somniorum deliriis solatium et requiem quaerant, et ipsa theologia evangelica omni certa ratione destituta a dulcis superstitionis superbia et Sec. XIV. barbarie iterum defendenda sit.

Quae quum ita sint, denique etiam hoc intelligi potest, qualis sit singularum partium theologiae ratio, si cum ratione Lutheri comparentur, de quibus omnibus deinceps lubenter diceremus, si huius libelli angustiae paterentur. Sed quoniam iam ex iis, quae de universa ratione theologiae dicta sunt, facile coniici potest, in singulis capitibus doctrinae evangelicae tractandis, constituendis et coniungendis quam rationem sequi oporteat eos, qui verbi divini disciplinam, quae sola Luthero evangelica visa est, nostra aetate deserendam esse existimant, paucis defungemur. Erat autem vetus theologia certe eatenus bene constituta, quod omnes ac singulae partes eius non solum arcte invicem nexae cohaererent, sed etiam ita essent definitae, ut ad summam doctrinae evangelicae rationem referri possent: erat enim ipsum evangelium commune vinculum, quod omnia ac singula contineret. Sed postquam verbum dei ad leges rationis humanae accommodare instituerunt, non tantum turbata sunt omnia, sed ita etiam disiecta, ut chaos quoddam, non certa rerum ordine et ratione dispositarum scientia, theologia multorum videatur. Scilicet non possunt amplius capita fidei cohaerere ipsa evangelii fide sublata, quam summam theologi regulam dixit Lutherus; neque fieri non potest, ut multa vel alieno loco posita, vel reliquis dissimillima, reperiantur in hodierno systemate theologiae. Quamquam enim non eà nobis sententia est, ut systema theologiae, quod ad Lutheri formulas compositum est post mortem Melanchthonis, nulla emendatione eguisse putemus, quin lubenter concedimus, praestantissimam ecclesiae operam navasse eos, qui doctrinam evangelii ita tradere instituerunt, ùt Lutheri rationem potius quam verba et formulas, quibus ille usus erat, observarent, et multas theologorum Sec. XVII. quaestiones, definitiones et formulas aut non satis veras aut certe minus aptas reiecerunt, negari tamen non posse putamus, nonnullorum studiis ita perturbatum esse systema theologiae, ut ne nomen quidem systematis mereri videatur. Quod hi optime intelligent, qui discunt hodiernam theologiam, quum rebus diversissimis et repugnantibus et quaestionibus certa ratione carentibus se irretitos videant, et alia omnia deprehendant quam doctrinam evangelii. Certe hoc omnes concessuros esse putamus, disciplinam, quae ad finem alium adducat, quam cuius causa instituatur, nullo pacto probandam esse, ideoque hodiernam theologiae disciplinam tum demum

udari posse, si certum sit, eam adducere ad veram cognitionem hristi.

DE

ARGUMENTIS REVELATIONIS DIVINAE
IN VITA DOMINI QUAERENDIS.


Si quis miretur, qua tandem ratione fieri potuerit, ut, licet iam er tot secula in rebus humanis per doctrinam Evangelii emenındis augendisque mirifice manifestata fuerit singularis provientiae divinae vis atque potentia, tamen divina Evangelii origo unc minus certa videatur quam primis initiis ecclesiae christiaae; is, omnibus ac temporibus diligenter comparatis, duas otissimum causas deprehendet, quarum una sita est in vaitate quadam iudicii humani, altera in neglectis rebus iis, a uibus rebus gravissima et ad certam persuasionem aptissima arumenta petenda sunt. Et de priori quidem causa iam plures onquesti sunt; sed multi tamen, de quo potissimum conquerendum uidve accusandum esset, ignorasse videntur; ex quo factum est, t quum ipsius rationis humanae argumenta vulgaria examinandi tudium, molestum scilicet et inopportunum, minus caute vituperarent, iis similes esse viderentur, qui quoniam causae suae non ta confidunt, eorum, qui legitimam defensionem exposcunt, malam ccusare voluntatem consueverunt. Sed haec non est ista quam iximus vanitas iudicii humani. Nemo enim prudens et gnarus erae rationis aut unquam vituperavit, aut reprehensurus est stud studium explorandi argumenta, quibus theologi divinam Evangelii originem demonstrare solent: neque in eo vanitas ingenii iudiciique humani cernitur, quod rei gravissimae ἀσφάλεια humanis ratiociniis examinatur, sed quod eiusmodi ratiociniis naior vis tribuitur in explorandis mysteriis divinis quam in ceteis rebus omnibus, quae rationis iudicio subiectae sunt. Huius anitatis laudabile initium, sed infaustus progressus fuit. Nam rimum quidem mysteria dei cum ratione humana conciliare stuuerunt, inprimis ut ostenderent, in istis mysteriis nihil esse,

quod rectam rationem offendere posset: sed propriam illorum ἀξιοπιστίαν non ratiociniis humanis, sed Scripturae sacrae auctoritate niti, illi quidem subtilissimi viri, Leibnitius *), Butlerus aliique bene intelligebant. Postea vero, quum per aliquod tempus quaesitum fuisset, an veritas mysteriorum christianorum superstrui posset argumentis ex mera ratione petitis, coeperunt non tantum docere, fidei christianae fundamenta in sola ratione quaerenda esse, sed etiam ratiociniis suis id effectum esse iactabant, ut quum rerum divinarum omnium, tum ipsius religionis christianae veritas et ἀσφάλεια rebus ab ratione cognitis et subtiliter explicatis demonstratisque constare videretur. Huic vanitati ne Kantii quidem rationem suos fines transcendentem castigantis criticismus mederi potuit; partim quod alii, a mysteriis sacris christianis alieni, istius viri rationes, quae ab inani mysteria explicandi et demonstrandi studio revocare debuissent, pervverterent, ut eiusmodi res ad religionem ipsamque rationem non pertinere demonstrarent, partim quia ipse Kantius illius studii mysteria religionis christianae ad iudicium rationis accommodandi exemplum dedisse videretur. Hinc factum est, ut Apologetica, quae indagare et exponere docet causas, cur non tantum veram, sed etiam divinam esse doctrinam Evangelii credamus, tota mutaretur in artem sophisticam, qua tantum quisque credere disceret, quantum ratiociniis humanis intellexisset. Verum huius rationis vanitatem arguere nunc quidem non est nobis animus; itaque ad alterum perveniamus.

Scilicet alteram causam, qua factum fuerit, ut post tot scriptas Apologias divina origo Evangelii magis etiam incerta quam olim videatur, in eo quaerendam esse diximus, quod res eas, a quibus gravissima et ad persuadendum aptissima argumenta petenda sunt, aut prorsus praetermiserunt aut certe non satis diligenter aestumarunt. Quod ut recte intelligatur, paulo altius repetenda est oratio. Scilicet in omnibus argumentis, quibus divina origo doctrinae christianae constare putatur, quaeruntur causae, quae fidem faciant, ut credamus, quod ipse Dominus dixit, et Apostoli tradiderunt de origine et fontibus Evangelii

*) *Leibnitz: Discours de la conformité de la foi avec la raison; The analogy of religion, natural and revealed, to the constitution and course of nature. By Joseph Butler.* inprimis Part. II Cap. VII.

nstat autem, Dominum doctrinae et toti operi suo divinam :toritatem, quae proprie sic dicitur, tam diserte et constanter ouisse, ut dubitari non possit, quo sensu dixerit, se doctrinam ım a patre, apud quem fuisset, accepisse eamque de coelo oortasse, se non ipsum excogitasse, quae doceret, sed ipsum trem ei haec tradidisse, ut ea annunciaret hominibus, ideoque a patre missum esse, ut relicta maiestate, quam ante mundum nditum apud patrem habuisset, manifestaret hominibus consilia i, et quae ipse a patre accepisset, ea mundo traderet. Ergo c proprie quaeritur, quae causae sint, cur his dictis Domini em habeamus, non autem, quibus argumentis demonstrari possit, ctrinam Christi divinitus revelatum esse. Nam hoc quidem ısmodi est, ut nulla demonstratio proprie sic dicta locum haat; vel quoniam demonstrari non potest, factum esse aliquid, ius prima causa nascendi in ipsa natura non quaerenda sit *posteriori*, quod dicunt), vel quia revelatio divina, tamquam 'sterium, carere evidentia debet iudicio rationis (*a priori*), ippe cui eae tantum res subiectae sint, quas cum decretis ranis certo cognitis necessario cohaerere demonstrari potest, od in mysteriis non habere locum sponte intelligitur. Sed ıge aliud est, quum Dominus dixerit, se tradere doctrinam diıitus sibi revelatam, quaerere, an iustae causae sint, cur cremus, eum non tantum ex animi sententia id dixisse, sed etiam verum hoc haberi debere, ut si quis falsum putaverit, is omnes tiones, quibus constat fides, eversurus videatur. At dicat aliis, idem esse, sive ostendamus, fidem habendam esse Domino, ıi doctrinam suam divinitus sibi revelatam esse dixit, sive id sum demonstremus, eam esse vere revelatam. Sed quamquam roque modo efficitur, ut idem credamus, tamen ratio ipsa crendi diversa est. Nam si demonstrari posset, Evangelium per evelationem divinam (supranaturali, ut dicunt, modo) patefactum se, ratio credendi haec esset, quod factum illud esse intelligemus, quod tamen ita factum esse creditur, ut modus nascendi peret intelligentiam humanam, ideoque ne fidei quidem locus linqueretur, sed evidentiae, (quam dicunt) quae frustra quaerir in rebus divinis. Sed in altera demonstratione nihil amplius gimus, quam ut, quod dictum esse constat, id etiam vere dictum se ostendamus, ideoque haec est credendi ratio, quod causis loneis certum sit, fidem ei habendam esse, qui id dixerit, quod



putemus, cuius veritas causis gravissimis nititur.

Sed in his causis exponendis quamquam dilig
pauci versati sunt, negari tamen non potest, n
illa demonstratione gravissimas non satis recte
servatas neque ita spectatas, ut earum vis, quae
dam maxima est, plane intelligi posset. Nam
demonstratio ex rebus historicis (facta dicunt) pen
certis et satis claris, causa est, cur Domino fidem
telligitur non solum earum rerum rationem haben
pro immediatis, quae schola dicit, omnipotentiae
haberi possint, v. c. vaticinia et miracula, sed
spectandas esse, quae sint in ipsa historia, et
diate demonstrent singularem numinis providentiam
evangelio, tamen summam fidem faciant, ut quod
vere dictum esse putemus. Quod quum in eo sin
quodam illustrissimo monstremus, liceat in princip
eiusmodi rebus omnibus non quaerendam esse tal
quae in demonstrationibus iure postulatur, ut n
absurdum esse, pro vero habere id, quod illi, quo
mus, contrarium est. Fuerunt quidem, qui reru
parvi haberent propterea, quod verisimilitudinem
rent, non ipsam ἀσφάλειαν efficerent, veluti qu
tione Evangelii veteres theologi observarunt, et
efficacia in augendis rebus humanis: quorum arg

rum vicissitudines explicandas; ex quorum numero Soci-nisse constat. Enimvero in tota hac quaestione, si de tione quadam agitur, nihil aliud requiri potest, quam quod fidem postulat, acquiescamus, quoniam intellexi-s solum nullam causam adesse, cur credamus contrarium, m ab rationibus omnibus, quibus veri iudicium constat, e, quod aliter rem se habere arbitremur. Non quaeritur uid cogitari possit, sed quid conveniat rectae rationi, ut causa pro vero habeatur. Ergo lubenter concedimus uod nonnulli obiiciunt, istis rebus omnibus neminem cogi ut concedat naturalem originem Evangelii non posse co-sed hoc vicissim iure nostro poscimus, ut ostendant dogma religionis naturalis, de quo ita constet, ut illi volunt se mysteria religionis christianae. Quod fieri non posse phi subtilissimi concedent, nisi forte in revelata religione quam in naturali, rationes fidei desideraverint. Interea nos in hac causa nullam aliam ἀσφάλειαν requirimus, quam donea habetur in decretis rationis de religione naturali. s vero dudum melius constitutam apologeticam nos habi-fuisse, si istis se finibus theologi continuissent, quos nul-ilosophus in demonstrandis explicandisve naturalis religio-ogmatibus transiliendos esse putaverit. Sed nulla iusta ri causa potest, cur ad fidem mysteriis religionis christianae am aliquid amplius postulemus, quam ad fidem mysteriorum nis naturalis. Non differunt enim mysteria haec ab illis, revelata habentur; utraque enim rationi humanae eodem oblata sunt; ideoque rationis est, ut iisdem causis fidei escat.

Ex his intelligi posse arbitramur, qua ratione spectandas putemus res omnes, quibus constat historia Domini et reli-is christianae. Ex quibus liceat nunc unam tantum seligere, qua ut diligentius cogitemus, monent nos hi ipsi festissimi , quos proxime celebraturi sumus. Est autem haec ipsa *vita* *mini* ab omnibus, etiam adversariis eius, ob summam virtutem brata, sed non ita tamen semper spectata, ut omnipotentiae sapientiae divinae in ipso Christo revelatae testis haberi pos-. Nam vulgo satis habuerunt, demonstrasse, mores Domini egerrimos et purissimos fuisse, totamque vitam eius summa n virtute peractam animumque ab omni fraudis aut fanatismi

quomodo factum fuerit, nemo intelligat. Videat
demonstratione rationem humanam suis finibus conti
necesse esse, ut explicare studeamus, quae nulla ca
plicari possunt, sed satis esse, quod nullas adesse c
ligamus, cur, quod factum esse dixit Dominus, ita t
ctum esse negemus; ideoque ab ratione abhorrere, ut
putemus, cuius veritas causis gravissimis nititur.

Sed in his causis exponendis quamquam diligenti
pauci versati sunt, negari tamen non potest, non
illa demonstratione gravissimas non satis recte semp
servatas neque ita spectatas, ut earum vis, quae ad fi
dam maxima est, plane intelligi posset. Nam quum
demonstratio ex rebus historicis (facta dicunt) pendeat, i
certis et satis claris, causa est, cur Domino fidem hab
telligitur non solum earum rerum rationem habendam e
pro immediatis, quae schola dicit, omnipotentiae divi
haberi possint, v. c. vaticinia et miracula, sed eas p
spectandas esse, quae sint in ipsa historia, et licet
diate demonstrent singularem numinis providentiam in p
evangelio, tamen summam fidem faciant, ut quod dixit
vere dictum esse putemus. Quod quum in eo simus ut
quodam illustrissimo monstremus, liceat in principio
eiusmodi rebus omnibus non quaerendam esse talem c
quae in demonstrationibus iure postulatur, ut manife
absurdum esse, pro vero habere id, quod illi, quod de
mus, contrarium est. Fuerunt quidem, qui rerum illa
parvi haberent propterea, quod verisimilitudinem tantum
rent, non ipsam ἀσφάλειαν efficerent, veluti quae de p
tione Evangelii veteres theologi observarunt, et de su
efficacia in augendis rebus humanis; quorum argumenta
ita infringere conati sunt, ut diligenter conquirerent res
ex quibus propagatio Evangelii et magna rerum, inde a
progressu, conversio probabili ratione posset explicari. Neg
igitur, theologos effecisse, quod voluissent, quoniam causae
cogitari possent naturales, ut non opus esset refugere ad
gularem providentiam divinam. Sed illi idem facere noli
sunt, quod eos egisse compertum habemus, qui specialem p
dentiam sustulerunt, quoniam adsint leges certae naturales,
rum vis et efficacia sufficiat ad rerum omnium ipsorumque fat

vicissitudines explicandas; ex quorum numero Soci-
sse constat. Enimvero in tota hac quaestione, si de
tione quadam agitur, nihil aliud requiri potest, quam
quod fidem postulat, acquiescamus, quoniam intellexi-
solum nullam causam adesse, cur credamus contrarium,
ab rationibus omnibus, quibus veri iudicium constat,
quod aliter rem se habere arbitremur. Non quaeritur
d cogitari possit, sed quid conveniat rectae rationi, ut
causa pro vero habeatur. Ergo lubenter concedimus
d nonnulli obiiciunt, istis rebus omnibus neminem cogi
t concedat naturalem originem Evangelii non posse co-
d hoc vicissim iure nostro poscimus, ut ostendant dogma
religionis naturalis, de quo ita constet, ut illi volunt
e mysteria religionis christianae. Quod fieri non posse
i subtilissimi concedent, nisi forte in revelata religione
m in naturali, rationes fidei desideraverint. Interea nos
hac causa nullam aliam ἀσφάλειαν requirimus, quam
nea habetur in decretis rationis de religione naturali.
vero dudum melius constitutam apologeticam nos habi-
sse, si istis se finibus theologi continuissent, quos nul-
osophus in demonstrandis explicandisve naturalis religio-
matibus transiliendos esse putaverit. Sed nulla iusta
causa potest, cur ad fidem mysteriis religionis christianae
m aliquid amplius postulemus, quam ad fidem mysteriorum
is naturalis. Non differunt enim mysteria haec ab illis,
revelata habentur; utraque enim rationi humanae eodem
oblata sunt; ideoque rationis est, ut iisdem causis fidei
cat.

x his intelligi posse arbitramur, qua ratione spectandas
utemus res omnes, quibus constat historia Domini et reli-
christianae. Ex quibus liceat nunc unam tantum seligere,
a ut diligentius cogitemus, monent nos hi ipsi festissimi
quos proxime celebraturi sumus. Est autem haec ipsa *vita*
ni ab omnibus, etiam adversariis eius, ob summam virtutem
ata, sed non ita tamen semper spectata, ut omnipotentiae
pientiae divinae in ipso Christo revelatae testis haberi pos-
Nam vulgo satis habuerunt, demonstrasse, mores Domini
errimos et purissimos fuisse, totamque vitam eius summa
virtute peractam animumque ab omni fraudis aut fanatismi

quomodo factum fuerit, nemo intelligat. Vident omnes, in tali demonstratione rationem humanam suis finibus contineri, neque necesse esse, ut explicare studeamus, quae nulla conditione explicari possunt, sed satis esse, quod nullas adesse causas intelligamus, cur, quod factum esse dixit Dominus, ita ut dixit, factum esse negemus; ideoque ab ratione abhorrere, ut falsum esse putemus, cuius veritas causis gravissimis nititur.

Sed in his causis exponendis quamquam diligentissime haud pauci versati sunt, negari tamen non potest, nonnullas res in illa demonstratione gravissimas non satis recte semper esse observatas neque ita spectatas, ut earum vis, quae ad fidem faciendam maxima est, plane intelligi posset. Nam quum tota illa demonstratio ex rebus historicis (facta dicunt) pendeat, in quibus certis et satis claris, causa est, cur Domino fidem habeamus, intelligitur non solum earum rerum rationem habendam esse, quae pro immediatis, quae schola dicit, omnipotentiae divinae signis haberi possint, v. c. vaticinia et miracula, sed eas potissimum spectandas esse, quae sint in ipsa historia, et licet non immediate demonstrent singularem numinis providentiam in patefaciendo evangelio, tamen summam fidem faciant, ut quod dixit Dominus, vere dictum esse putemus. Quod quum in eo simus ut exemplo quodam illustrissimo monstremus, liceat in principio monere, ab eiusmodi rebus omnibus non quaerendam esse talem evidentiam, quae in demonstrationibus iure postulatur, ut manifestum fiat, absurdum esse, pro vero habere id, quod illi, quod demonstravimus, contrarium est. Fuerunt quidem, qui rerum illarum vim parvi haberent propterea, quod verisimilitudinem tantum ostenderent, non ipsam ἀσφάλειαν efficerent, veluti quae de propagatione Evangelii veteres theologi observarunt, et de summa eius efficacia in augendis rebus humanis; quorum argumentorum vim ita infringere conati sunt, ut diligenter conquirerent res multas, ex quibus propagatio Evangelii et magna rerum, inde ab illius progressu, conversio probabili ratione posset explicari. Negarunt igitur, theologos effecisse, quod voluissent, quoniam causae multae cogitari possent naturales, ut non opus esset refugere ad singularem providentiam divinam. Sed illi idem facere nobis visi sunt, quod eos egisse compertum habemus, qui specialem providentiam sustulerunt, quoniam adsint leges certae naturales, quorum vis et efficacia sufficiat ad rerum omnium ipsorumque fatorum

manorum vicissitudines explicandas; ex quorum numero Soci-
nos fuisse constat. Enimvero in tota hac quaestione, si de
nonstratione quadam agitur, nihil aliud requiri potest, quam
in eo, quod fidem postulat, acquiescamus, quoniam intellexi-
s, non solum nullam causam adesse, cur credamus contrarium,
l etiam ab rationibus omnibus, quibus veri iudicium constat,
horrere, quod aliter rem se habere arbitremur. Non quaeritur
im, quid cogitari possit, sed quid conveniat rectae rationi, ut
hac causa pro vero habeatur. Ergo lubenter concedimus
c, quod nonnulli obiiciunt, istis rebus omnibus neminem cogi
sse, ut concedat naturalem originem Evangelii non posse co-
tari, sed hoc vicissim iure nostro poscimus, ut ostendant dogma
quod religionis naturalis, de quo ita constet, ut illi volunt
rte esse mysteria religionis christianae. Quod fieri non posse
ilosophi subtilissimi concedent, nisi forte in revelata religione
as, quam in naturali, rationes fidei desideraverint. Interea nos
idem in hac causa nullam aliam ἀσφάλειαν requirimus, quam
ae idonea habetur in decretis rationis de religione naturali.
tamus vero dudum melius constitutam apologeticam nos habi-
os fuisse, si istis se finibus theologi continuissent, quos nul-
philosophus in demonstrandis explicandisve naturalis religio-
dogmatibus transiliendos esse putaverit. Sed nulla iusta
gitari causa potest, cur ad fidem mysteriis religionis christianae
bendam aliquid amplius postulemus, quam ad fidem mysteriorum
igionis naturalis. Non differunt enim mysteria haec ab illis,
ae revelata habentur; utraque enim rationi humanae eodem
do oblata sunt; ideoque rationis est, ut iisdem causis fidei
quiescat.

Ex his intelligi posse arbitramur, qua ratione spectandas
se putemus res omnes, quibus constat historia Domini et reli-
onis christianae. Ex quibus liceat nunc unam tantum seligere,
qua ut diligentius cogitemus, monent nos hi ipsi festissimi
es, quos proxime celebraturi sumus. Est autem haec ipsa *vita*
Domini ab omnibus, etiam adversariis eius, ob summam virtutem
lebrata, sed non ita tamen semper spectata, ut omnipotentiae
sapientiae divinae in ipso Christo revelatae testis haberi pos-
t. Nam vulgo satis habuerunt, demonstrasse, mores Domini
tegerrimos et purissimos fuisse, totamque vitam eius summa
m virtute peractam animumque ab omni fraudis aut fanatismi

suspicione liberrimum dictis Domini maximam fidem facere, quoniam intelligatur, nullam plane causam reperiri, cur suspicemur, Dominum aut non ex animi sententia sed per accommodationem (quae a pia, quam pessime dicunt, fraude parum abesse videtur) dixisse, se esse legatum divinum, doctrinamque suam divinitus esse revelatam, aut in animum suum induxisse, ut ipse crederet, se a Deo hoc negotium accepisse, cuius sanctissimae voluntati res suas omnes plane convenire intellexisset. Verissime haec omnia dicuntur. Nam accommodatio illa quum per se ab ingenuo veri amore abhorreat, quo conspicuus fuit animus Domini (non dubitamus enim talem accommodationem a fraude nihil differentiam dicere), tum in tota vita Domini nullum vestigium reperitur illius artis simulandi, quae hominibus obtrudit mendacium, sumtaque specie pietatis in partes suas trahere studet imperitos; fanaticis autem haec est ratio, ut animum rerum coelestium opinata visionia perturbatum, mentemque ipsam sui non recte consciam saepissime prodere debeat; sed in tota vita Domini ne semel quidem id factum esse manifesto constat. Sed quamquam haec omnia maximi momenti sunt in causa nostra, tamen ipsa vita Domini tamquam luculentissimum maiestatis divinae documentum appareat omnibus, qui in rebus humanis singularis providentiae vestigia quaerere consueverunt; modo recte perpenderint, neque in tali causa evidentiam quam dicunt postulari posse, sed satis esse, quod ea res cum iis rationibus conveniat, quibus omnino constat persuasio de providentia divina. Scilicet in vita Domini tam illustre revelationis divinae documentum inest, ut vere diceret quis possit, ipsam vitam Domini esse revelationem divinam, i. e. per vitam Domini hominibus se revelasse deum, ut certissime intelligerent Iesum Christum fuisse filium dei, missum a patre ad servandum genus humanum. Nam quum in revelatione divina non hoc tantum quaeratur, ut quaedam decreta religionis aut prorsus incognita aut minus recte intellecta innotescant aut fiant certiora et magis perspicua, sed ut his decretis fidem res ipsa faciat, quia vera fides, i. e. vera animi, de rebus divinis persuasio non verbis aut ratiociniis sed factis constat, quae diligenter explorata et recte intellecta rebus τοῖς μὴ βλεπομένοις fidem faciant: intelligitur etiam in vita Domini quaerendum esse documentum revelationis divinae. Quod quale sit, obscurum esse nemini potest, qui et ipsam vitam Christi cognitam habuerit, et

ʳero etiam intelligat, quibus rebus generi humano patefactis di-
ina revelatio manifesta fieri possit. Etenim quod vulgo dicunt, i qua cogitetur revelatio, eam tantum ad eas res pertinere osse, quae sint subiectae iudicio humano, id quidem eiusmodi sse putamus, ut magis etiam consultum nobis videatur, quod issimulant, ingenue profiteri, nullam esse revelationem divinam. ed quum nolint hoc concedere, vel quia invidiam metuunt, vel uod verentur, ne ἕνα τῶν μικρῶν τούτων offendant, verbis otius ludunt, et revelationem divinam arctissimis finibus concluunt, eam ut hac tantum lege ferre velint, si nihil amplius traat, quam quod ipsa humana ratio suis decretis intelligat suisue ratiocinationibus demonstrare possit. Quamobrem conspicere aiestatem dei aeternamque sapientiam non possunt, quia nihil iud vident oculi eorum quam viam suam, ut Prophetae verbis tar, i. e. quoniam mysteria divina aestumant subtilitate iudicii umani. Enimvero hoc ipsum in revelatione quaerendum est, ut ysteria quaedam dei patefiant, quae olim abscondita, tandem anifesta fuerint εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν. aque etiam per vitam Domini mysteria quaedam dei revelata no ipsam maiestatem dei luculentissime patefactam ideoque in ita Domini certissimum revelationis divinae documentum quaeendum esse arbitramur.

Sed priusquam id demonstremus, vulgaris quaedam de vita omini opinio minuenda est. Scilicet ab eo fere tempore, quo postoli praedicarunt Χριστὸν ἐσταυρωμένον, Ἰουδαίοις μὲν κάνδαλον, Ἕλλησι δὲ μωρίαν, plerique vitam Domini pro huillima et miserrima habere consueverunt, non tantum, quod erumnae et contumeliae plenissima, morte ignominiosa finita fueit, sed etiam quod esset vita hominis infimae conditionis, in qua ihil esset ab genere, nec ab honoribus, nec a copiis, aliisque ebus, quod dignitatem haberet, vitamque humanam, nisi omni x parte beatum, certe tanta virtute et maiestate filii dei dignioem reddere posset. Notum est, theologos ipsos de statu Christi umili hunc in modum disputasse, ut non tantum ultimos cruciaus, quos perpessus est servator ad expianda peccata, sed etiam itam totam ante actam humillimam miserrimamque dicerent, tanamque ταπείνωσιν, indignam propemodum filio dei, aut ambitiosius deplorarent aut exempli praestantia totiusque operis mediaorii necessitate utcunque defenderent. Ex quo factum est, ut

ab maiestate dei in vita Domini manifestata agnoscenda plerique alieni essent, et laudarent tantum aut magnitudinem amoris Christi, qui hominum causa conditionis infimae sortem subierit, aut sapientiam dei, qui hoc potissimum modo decreverit τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας ἡμῶν τελειῶσαι. Sed velim vos omnes, *Cives carissimi*, quicunque veram sapientiam intelligitis et amatis, veramque vitae humanae humilitatem non in egestate, contemtu potentiorum, voluptatumque inopia, sed in peccati imperio quaerendam esse scitis, his diebus potissimum, qui sacri sunt memoriae incarnationis filii dei, vitam Domini spectare sic, ut de sua ipsorum vita sapientissimi quique iudicare solent. Nam quod solum humilem et vere indignam miseramque reddere vitam Christi potuisset, miserrima peccandi societas et infelix consortium vitiositatis, ab eo scimus Dominum liberrimum fuisse. Reliqua omnia, quae stupor Iudaicus omninoque vanitas humana desiderare in vita Domini solet, nugae sunt et caduca. Vera nempe dignitas et gloria non secundae, quam stulti admirantur, fortunae praemium est, sed sapientiae, sed virtutis, sed magnorum adversus genus humanum meritorum. Nam splendorem potentiae humanae, voluptatis et divitiarum tanto magis quisque expetit et in aliis admiratur, quanto est ipse stultior et vitiis plenior: at bona divina et animi, quae non sunt subiecta oculis, nullaque specie sensibus commendantur, ea vero videre, pro bonis probare, admirari, expetere, contemtis vulgaribus lubidinis humanae ludibriis, haec vera sapientia est. [Vid. Ioh. Aug. Ernesti *Opuscula theologica* p. 406. seq.] Quamobrem recte nobis semper visi sunt praecepisse hi theologi, qui subiectum ταπεινώσεως, quod in scholis dicunt, non ipsum filium dei, sed totam personam Christi fuisse dixerunt; non quod indignam sua maiestate vitam in his terris gessisset, (gessit enim dignissimam), sed quod Christus, dum in his terris viveret, plane ut homo vixit, nihilque detrectavit eorum, quibus humanae sortis conditionem explere posset. In quo per se quidem nihil est humilitatis aut indignitatis, sed plurimum sapientiae et maiestatis, quoniam in ipsa vita humana, quam summa cum virtute peregit Dominus πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, quamvis ea rerum externarum omnium splendore destituta esset, tamen verissime conspicua fuit ἡ δόξα αὐτοῦ, ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός.

Profecto, quicunque de vita Domini non ex vanitatis lubi-

dinisque humanae sensu iudicant, agnoscent in ea non modo summae virtutis veraeque felicitatis in omne aevum duraturae praestantissimum exemplum, quod omnes verae salutis cupidos intueri imitarique opporteat, sed etiam verissime intelligent, hanc ipsam vitam Domini fidem nobis maximam facere, ut eum verissime a Deo missum fuisse credamus, quoniam per hanc ipsam vitam mirifice manifestata est sapientia et maiestas dei, imo in ea ipsa vita inest gravissimarum rerum revelatio. Verissime enim Paulus dixit: τὸ μωρὸν τοῦ θεοῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ, καὶ τὸ ἀσθενὲς τοῦ θεοῦ ἰσχυρότερον τῶν ἀνθρώπων ἐστί. Sunt autem tria potissimum, quae quum ignorantur, totam vitam humanam incertam reddunt, omnisque verae miseriae, quae ex peccato nascitur, causa communis haberi possunt: primum, quae sit vera vitae humanae ratio, deinde certum esse omnibus eundem vitae finem, denique et vitae nostrae et rerum humanarum omnium exitum cum aeternis summae sapientiae et sanctitatis decretis necessario convenire; quae quum per vitam Domini verissime demonstrata sint, manifesto ostendunt, in ea vita inesse gravissima argumenta revelationis divinae. Neque vero veremur, ne quis obiiciat, ea omnia rationem humanam, si modo se ipsam satis noverit, sua sponte cognoscere posse, neque opus esse revelatione divina, ut intelligamus, veram vitae causam in virtute animae immortalis sitam esse, quoniam haec ipsa sit summa lex rationis, certumque omnibus eundemque summum finem esse propositum, quod eadem omnibus sit natura moralis, denique vitae singulorum, rerumque humanarum exitum iustum ipsam rationem postulare, quippe quem ipse deus sit daturus, qui aeternis legibus ita omnia constituerit, ut, quod iure suo postulare quisque possit, id etiam necessario aliquando accipiat. Nobis vero, quamquam lubenter concedimus, non falso haec omnia nunc tribui rationi humanae, tamen qui talia iactant, idem facere videntur, quod quum pueros facere videmus, merito rideamus. Nam quid magis dignum risu putemus, quam si quis per multos annos diligenter institutus iactaverit, sibi nulla disciplina opus fuisse, quoniam omnia quae sciat ipse intelligat? Quidve magis indignum et illiberale haberi potest, quam eruditionem suam aut mentis culturam iactare, sed eorum, a quibus institutus fuerit, curam diligentiamque dissimulare? Enimvero quid aliud agunt hi, qui, quod antea quam erat revelatum, igno-

rabant, revelatum esse negant, quoniam nunc id intelligat ratio humana. Nam si constat, illa omnia, quorum scientia mirifice gloriantur, ante Christum non tantum vulgo incognita, sed etiam doctissimis et subtilissimis philosophis obscurissima et incertissima fuisse (quod rogamus omnes, ut demonstrent secus se habuisse), quo tandem jure dicemus, non opus fuisse, ut revelarentur hominibus, scilicet quod haec omnia hodie sua sponte intelligat ratio humana. Quod si eiusmodi sunt illae res, ut earum promulgatione maxima incrementa ceperit genus humanum, atque haec ipsa illa ratio humana, quis tamen sine numine divino id factum esse credat, quum gravior causa, cur numine dei, et per illam, quae omnia sustinet, providentiam factum esse quidquam putemus, cogitari nulla possit, quam quod in mediis multorum seculorum tenebris, atque in spississima rationis humanae caligine subito novam lucem apertam videamus; quam si quis casu potius aut temporum colluvie, ut ex palude ignem fatuum, quam numine divino natam putet, hic videat, num qua in re alia providentiae divinae certiora vestigia reperiat. Praeterea non hoc tantum quaeritur, num apud nonnullos quaedam de illis rebus suspicio fuerit, sed quae causa sit, cur certissima de iis persuasio nunc reperiatur apud omnes, quibus patefacta sunt mysteria dei. Quicunque legit veterum philosophorum scripta, eorumque demonstrationes comparavit cum eorum philosophorum studiis, quos non puduit Evangelii Christi, is tantum haec ab illis differre intellexerit, quantum ab incerto diluculo differt clara lux meridiana. Verum haec est vanitas ingenii humani, ut beneficiorum summorum, quorum ope ad hunc illustrem locum, in quo nunc nobis placemus, pervenimus, repente obliti, fastigium illud aut semper nos tenuisse, aut sola virtute nostra conscendisse gloriemur.

His expositis, brevis oratio sufficiet, ut de rebus singulis, quas supra diximus, quomodo sentiamus, intelligatur. Primum igitur veram vitae humanae rationem revelatam esse omnibus per vitam Domini tam manifestum est, ut in eo revelationis divinae luculentissimum documentum agnoscere debeant, quicunque norunt, quantis tenebris involuta, quantisque erroribus oppressa fuerit haec gravissima pars scientiae humanae. Hoc vero non solum philosophorum de summo bono disputationes demonstrant, quamquam etiam hae perspicue ostendunt, quam incerta fuerit

a omnia, sed multo magis clarum fiet, quum totius vitae isto-
m populorum veluti imaginem nobis proponamus. Quod non
quidem valet, ut de singulorum hominum virtute judicium
bis arrogare possimus, sed ita spectandum est, ut intelligatur,
m ante Christum certum clarumque fuerit; veram vitae ratio-
m in animae immortalis, haec terrestria fata superaturae feli-
ssimis initiis quaerendam esse: an certum fuerit, finem bono-
m non in re aliqua ponendum esse, cuius expetendae causa
huius vitae mortalis rationibus insit (sive voluptatis sive
nesti, sive ἀπαθείας aliove nomine expetatur), denique an
rtum omnino fuerit, totam hanc vitam cum futuro aevo ita
haerere, ut in hoc solo, i. e. in aeternae vitae feliciori et
eriori cursu, huius brevissimi quidem, sed gravissimi, quo in
c terra vivitur, temporis causa unica quaerenda sit. Putamus
ro omnes, qui vetusta ingenii humani monumenta diligenter
rlustraverint, alia omnia reperisse in praeceptis studiisque vi-
e humanae ante Christum. Sed mutata esse omnia nemo mira-
tur, qui per vitam Domini veram huius mortalis vitae ratio-
m monstratam nec ratiociniis subtiliter expositam, sed re ipsa
tensam probatamque esse intellexerit. Fuit enim vitae, quam
his terris Christus peregit, ea ratio, ut sive initium eius,
ve decursum, sive exitum spectemus, non tantum lo[illegible]e prae-
antiora, excelsiora et immortalis animae perpetuis ausibus di-
iora omnia deprehendamus, quam sibi fingere unquam potuit
nitas lubidinis humanae, sed etiam, quod maximum est, ut
rissima et certissima esse intelligat ipsa ratio, quorum causas
ocul habet ὁ ψυχικὸς ἄνθρωπος. Quae singula quum his
sis diebus diligentius nos consideraturos esse confidamus, bre-
ter tantum designasse sufficiat.

Sed alterum non minus grave est, in quo diximus esse lu-
lentum argumentum revelationis divinae, quod per vitam ipsam
omini manifestatum est, certum esse omnibus eundem vitae
em; de quo pauca tantum dicemus; sunt enim omnia clarissima.
on potest quidem negari de communi fine vitae veteres dispu-
sse: sed quantum ista differant ab his, quae per Christi vitam
nifestata sunt, omnes concedent, quicunque legerint illa poe-
rum nobilissima carmina, et subtilissimas illorum philosophorum
putationes, in quibus incerta tantum tristisque imaginis rerum
renarum, huiusque humilitatis perpetuo duratura discrimina,

neque, ut verbo dicam, vitae spiritualis, sed animalis vestigia reperiuntur. Sed summum finem omnibus eundem et expetendum et vero etiam sperandum esse, huiusque vitae discrimina, sive ab ipsa natura facta, sive ab lubidine hominum imposita, non tollere aut mutare ipsius naturae immortalis finem, ad quem omnibus eadem via contendendum sit; id quum per totum Evangelium manifestum factum fuerit (πάντες γὰρ ἕν εἰσιν ἐν Χριστῷ), tum per vitam Domini omnibus fortunae donis carentem atque ab illis honoris, divitiarum, ipsiusque vitae civilis muneribus liberrimam, sed veris animi bonis ditissimam et officiorum mere humanorum sanctitate clarissimam luculentissime demonstratum est. Atque in eo admirabilis sapientia dei conspicitur, qui tali modo vivere Dominum voluit, ut vitae, quae sola digna sit homine, sed quae omnibus quoque pateat, finem suo exemplo ostenderit, clarumque et certum fecerit omnibus, τοῖς προσερχομένοις δι' αὐτοῦ τῷ θεῷ, de quo quemque suis tantum bonis superbientem, sive is suae naturae imbecillitatem, sive brevitatem huius vitae omniumque consiliorum suorum vanitatem cum summo animae immortalis fine comparaverit, desperare oportet. Frustra enim praecipias, moneas, stimules: obstant insuperabilia illa impedimenta, obstrepit ipsa vanitas superbiae humanae, ruit coeco impetu animus aut per devia omnia, aut somniis inanibus incertam quietem quaerit, nisi coelesti luce illustretur, ut oculos convertat in Dominum, qui ad vitae humanae finem summum certissime pervenire omnes posse suo exemplo demonstravit. Admiremur igitur singularis providentiae divinae sapientiam, quod per ipsam vitam sanctissimam Domini earum rerum revelatio contigerit hominibus, de quibus dubitare miserum, sed desperare miserrimum est et exitiosissimum.

Restat quidem ut de tertio, quod diximus, revelationis divinae in vita Domini argumento exponamus. Sed hoc tanto lubentius differimus, quum propediem laetissimam opportunitatem habituri simus, de exitu vitae Domini uberius disputandi. — —

DE

ARGUMENTIS REVELATIONIS DIVINAE
IN EXITU VITAE DOMINI QUAERENDIS.

Quum in eo essem, ut partem disputationis nuper omissam re-
›eterem, et argumentis revelationis divinae in ipsa vita Domini
juaerendis adderem illustrissimum et ad veram religionem susci-
›iendam gravissimum: — de quo aut dubitassent homines sapien-
issimi ante Christum aut levem obscuramque tantum suspicionem
ıabuissent, id per vitam Servatoris manifestum et certissimum
:sse factum omnibus: vitae nostrae et rerum humanarum omnium
:xitum, quamvis incertum et dubium, si ad sapientiae humanae
udicium aut impotentis lubidinis somnia aestumetur, tamen cum
ıeternis summae sapientiae et sanctitatis decretis necessario con-
'enire —; incidi in dictum Ciceronis, quem ex eorum Philoso-
horum numero esse semper putavi, qui licet aliorum sapientium
ıominum decreta ita didicissent, ut ea perspicue et eleganter ex-
licare aliis possent, tamen veram philosophiam nunquam intel-
ɜxisse videantur, sed longe absint ab illa Spinozae πληροφορίᾳ,
ui ingenue professus est, se quae vera sit philosophia fortasse
.escire, sed veram se habere philosophiam intelligere. Nam ini-
io secundi Tusculanarum disputationum libri homo omnium, qui
atina lingua usi sunt, disertissimus, ut consilium suum, relicto
oro de rebus philosophicis disputandi, excusaret (quod hominem
mbitiosum saepius quam verum sapientem decet, fecisse legi-
ıus), scripsit, *philosophiam paucis contentam iudicibus, multi-
udinem consulto ipsam fugere, eique ipsi et suspectam et in-
isam esse.* Venit tunc mihi in mentem, quod Plato in Epino-
ıide dixit, paucissimos tantum homines perfectam beatitudinem
onsequi posse, atque hos eos esse, qui ad veram sapientiam,
qua multitudo abhorreat, compositi sint, *τοὺς δ' ἄλλους
οὕτοις ξυνεπομένους εὐφημεῖν δεῖν πάντας θεοὺς ἅμα καὶ
:άσας θεάς.* Ergo haec est illa sapientia, quae paucissimos
ıntum vere beatos reddat, quae fugiat multitudinem, ab illarum
erum, quibus ea constat, studio alienam, quae paucis tantum
pem relinquat, *τελευτήσαντας τυχεῖν ἁπάντων, ὧν ἕνεκα τις*

προθυμοῖτ' ἂν ζῶν τε, ὡς κάλλιστ' ἂν ζῆν κατὰ δύναμιν, καὶ τελευτήσας, τελευτῆς τοιαύτης τυχεῖν. Nam si vera sapientia, quam quaerit philosophia, consulto fugit multitudinem, ut sint paucissimi, qui eam capere possint, quae spes relicta est reliquis, quum ex illorum sententia sine sapientia ista beatus esse nemo possit? Imo vero verissime *Lactantius* dixit Instit. Lib. III. cap. 25. 26. „Maximum argumentum est, philosophiam neque ad sapientiam tendere, neque ipsam esse sapientiam, quod mysterium eius barba tantum celebratur et pallio. Sed tanta divinae sapientiae vis est, ut in hominum pectus infusa matrem delictorum stultitiam uno semel impetu expellat. Gratis ista fiunt, facile, cito; modo pateant aures et pectus sapientiam sitiat. Nemo vereatur: nos aquam non vendimus, nec solem mercede praestamus. Dei fons uberrimus et plenissimus patet cunctis; et hoc coeleste lumen universis oritur, quicunque oculos habent."

Haec a me non eo consilio narrata sunt, ut verae sapientiae studium parvi habendum esse temere assererem (nam quid est aliud hominibus negare sapientiam, quam mentibus eorum verum ac divinum lumen auferre?), sed ut ostenderem, homines sapientissimos ante Christum de isto sapientiae studio ita iudicasse, ut ab earum rerum scientia, quarum cognitione ad vitam vere beatam carere nemo possit, maximam hominum partem sive natura sua sive vitae ratione alienam esse oportere existimaverint. Quod quum verissime illi sensisse videantur, tum certissimo hoc argumento intelligi potest, de quo nunc dicere constituimus, divinae revelationis documentum in eo quoque quaerendum esse, quod per vitam Domini, veluti ipso facto ut aiunt luculentissime demonstratum fuerit id, quo omnis verae religionis ratio continetur, vitae humanae exitum cum aeternis sapientiae divinae qua omnia reguntur legibus necessario convenire.

Sed in principio huius disputationis non veremur, ne quis obiiciat, hanc rem eiusmodi esse, ut sapientiae humanae decretis demonstrari debeat, sed factis quibusdam, quamvis certissimis, non possit confirmari. Nam scimus quidem, hanc multorum animis sententiam inhaerere, ut nisi quid certis rationibus demonstratum fuerit, de eo dubitandum esse putent, etiamsi multa eaque luculentissima exempla afferri possint. Neque id reprehendendum est in iis rebus, quae subiectas esse oportet iudicio humano, veluti quum disputatur de moribus et officiis humanis

Et illud quoque concedimus, in religione quoque suscipienda rationes certas quaerendas esse, ne alius aliam etiam superstitionem eodem iure rationis humanae veram esse opinetur. Sed eius quaestionis, de qua nunc agitur, alia ratio est. Non quaeritur enim, an ratio humana intelligat, id de quo agitur, necessario expetendum esse, sed an certae sint causae, quibus illud vere esse aut ipsi credamus aut reliquis persuadeamus. Nam illud quidem certum est et ab omnibus conceditur, si demonstrari posset, vitae nostrae exitum talem esse, qualem vel oculis nostris videmus aut rationis iudicio coniicimus, vanam esse religionem, et divinam providentiam e mundo tollendam esse. Quin omni tempore sapientissimi quique iudicarunt, hoc esse quasi fundamentum religionis, quod credere oporteat, suarum rerum exitum non temere exspectare rationem humanam. Pleni sunt omnium philosophorum veterum libri hac opinione, neque erraverit qui dicat, omnes, qui veram philosophiam tenuerunt, ab ea re philosophandi initium fecisse imo hanc unam summam habuisse causam philosophandi. Nam si in vera vitae beatae ratione sapientia humana cernitur, hunc esse finem philosophandi necesse est, ut exitum vitae nostrae cum summae sanctitatis, id est (ex illorum quidem opinione), cum nostrae mentis legibus convenire intelligamus. Quare paucissimi fuerunt qui fugiendam istam quaestionem putarent; iique cautiores reliquis, quod intelligerent satius esse, providentiam divinam ab omni culpa liberare, quam numen sapientissimum pro ministro lubidinis et superbiae humanae habere. Ergo non hoc quaeritur, an necesse sit exspectare iustum exitum rerum nostrarum, quod tantum abest ut factis demonstrari possit, ut alia omnia ostendat experientia; sed quibus modis fieri possit, ut etiamsi vitae nostrae ratio contradixerit, tamen certum esse hunc exitum nunquam dubitemus. Sed quamquam fieri posse concedimus, ut nonnulli, quorum aut generosior animus aut vitae placentis aequabilis ratio fuerit, de iusto vitae suae exitu non dubitent, dum vel aetas floreat vel propriae sapientiae consiliis omnia conveniant; neminem tamen esse putamus, qui per totam vitam et in fine vitae, quum maximam eius partem aut temeritate sua amissam aut aliorum culpa perditam, sed a fine summo bonorum longissime se abesse videat, sapientiae suae et rationis decretis ita confidere possit, quin malit in divinae sapientiae decretis acquiescere; nisi omnem spem abiiciat,

rerumque suarum exitum post hoc aevum fortunae committat. Verum non opus est, ut exempla provocemus, quum hominum sapientissimorum scripta, et illae optantium querelae, et multo magis speciosior ista multorum ad quamvis sortem paratorum modestia vel desperatio luculenter ostendat, etiam optimos quosque et maximos philosophos illa *πληροφορίᾳ* caruisse, quae nunc vere beatam reddit vitam humanam. Nam pueri christiani bene instituti, et maxime philosophi, quorum animus certe in prima iuventute imbutus fuit fide christiana, certiorem nunc spem habent, quam illi homines etiam sapientissimi, qui lumine revelationis divinae caruerunt. De quo tantum abest ut temere superbiamus, ut divinae misericordiae sapientiam modeste pieque veneremur, quae postquam gentes, quae *οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, εἴασε πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν, (καί τοί γε οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν) ἔστησεν ἡμέραν ἐν ᾗ μέλλει κρίνειν τὴν οἰκουμένην ἐν δικαιοσύνῃ ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισε, πίστιν παρασχὼν πᾶσιν, ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν.* An putemus, laetissimam et certissimam spem istam et fidissimam huius vitae ducem et comitem tantum decretis quibusdam aut praeceptis quantumvis sublimibus exortam aut confirmatam esse, ad omnesque homines, qui invocant nomen Domini pervenisse? Nempe humana ratio, divinum hoc munus in huius vitae tenebris concessum mortalibus repetita tantum suorum decretorum promulgatione indigebat. Quin in hoc potissimum admiremur divini numinis gratiam, quod per ipsum exitum vitae Domini re ipsa demonstratum est, et nostrae vitae exitum cum aeternae sanctitatis et sapientiae mysteriis necessario convenire.

Sunt autem duae causae potissimum, quae plerosque homines, ne dicam omnes, de exitu rerum suarum incertos reddiderunt et vero incertissimos reddere debuerunt, qui caruerunt lumine revelationis, quarum una a naturali lubidine, altera ab rationis de rebus suis iudicio repetenda est. Nam tota ista disputatio, quae theodiceam quam dicunt peperit, ad has duas quaestiones redit, de iustitia et benignitate dei in vitae humanae tot tantisque malis obrutae iusto exitu quaerenda, et de summo rerum nostrarum fine defendendo a perversitate morali. Sed utraque quaestio, quarum unam lubido naturalis parit, altera ex ipsius rationis iudicio nascitur, eiusmodi est, ut neque naturae nostrae

numinibus illustrari neque ipsa religione persolvi possit, dum naturalis illa (imo physica) notio dei imperet animis: imperavit autem omnibus, qui aut in ipsa natura aut in legibus eius divini numinis vim quaesiverunt; ex quorum numero nunc quoque esse videntur haud pauci, qui ex rationis iudicio decreta divina solent aestumare, ipsumque hominem sua vi ad vitam beatam i. e. ad vitam sanctam et immortalitate dignam contendere posse aut ipsi credunt aut certe aliis persuadere cupiunt. Nam quod Paulus exprobrat gentibus, ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, id de omnibus dici posse arbitramur, qui ex rerum terrenarum rationibus cognoscere et veluti deducere summum numen student. Habent enim illi aut lubidinis aut superbiae suae ministrum suaeque vanitatis creaturam, sed verissime ἄθεοι sunt ἐν τῷ κόσμῳ. Atque haec gravissima causa est, cur ad quaestiones illas dirimendas nihil fere allatum fuerit, quod philosophis satisfaciat nedum omnem imperitis tollere dubitationem possit. Sed tanto magis celebranda est divina providentia, quae hominibus dubitantibus de exitu rerum suarum, et in summa huius vitae caligine haesitantibus lubidinisque suae simulacra non sine metu captantibus hanc coelestem lucem attulit, ut discussis illis tenebris neque malorum illorum, quae fugit natura humana, multitudine et atrocitate perturbentur, neque habeant amplius, quod de iusto rerum suarum exitu desperent ob turbatas rationes vitae terrestris, sed intuentes exemplum τοῦ ἀρχηγοῦ τῆς σωτηρίας magis in dies intelligant, nihil esse neque in coelo neque in terra, quod eos, in quibus divina mens Christi fuerit, possit divellere ab amore dei. Et quamquam verissimum est, ipsam doctrinam evangelii omnem tollere dubitationem posse, quod novum spiritum, rebus hisce terrenis superiorem et fortiorem lubidine naturali, divinitus largiatur, et depressa humana superbia divinae gratiae decretis acquiescere doceat τοὺς πιστεύοντας ἐπὶ τὸν ἐγείραντα Ἰησοῦν τὸν κύριον ἡμῶν ἐκ νεκρῶν, tamen in hoc ipso sublimi et vere divino exitu vitae Domini certissimum spei suae pignus habent omnes christiani, quos beatos ipse dixit, πτωχοὶ τῷ πνεύματι. Sed non superfluum fuerit de utraque dubitatione deinceps dicere.

Primum igitur inter omnes constat, mala illa, quae voluptati, ad quam omnes eodem impetu naturali feruntur, per totam vitam adversantur, plerisque causam de sapientia et benignitate

dei dubitandi praebuisse non solum propterea, quod intelligi non posset, quomodo, si esset providentia, fieri posset, ut essent ista mala, sed etiam quod nullus iustus exitus cogitari posset, quum mors aut finem rerum omnium allatura esset, aut si malorum certe finem faceret, vita post mortem nihil habitura videretur, quo huius vitae curae, labores, dolores possent compensari. Atque haec tam gravis fuit causa dubitandi, ut qui sapientiores esse viderentur, fato denique regi omnia docerent, cui et sors humana subiecta esset et ipsum numen resistere non posset. Cuius opinionis vestigia in antiquissimis illis monumentis reperiuntur, quae, sive theologicis sive physicis *φιλοσοφήμασι* originem suam debeant, tamen clare ostendunt, omnes homines, quam primum ex huius vitae et ipsius naturae nebulis emergere coepissent, eundem philosophandi finem habuisse, ut vinctum Promethea liberarent. Nam quid aliud sibi volunt *Μοῖραι* istae, quarum dux quidem (*μοιραγέτης*) pater ille hominumque deumque dicitur, sed ita tamen ut ex voluntate *τῆς μοίρας* omnia agere cogatur, quoniam *τὴν πεπρωμένην μοίρην ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγέειν καὶ θεῷ*. (*Herodot.* I, 91.) Quid *Ἀνάγκη* ista et fatalis *Πεπρωμένη*, quas *οἰακοστρόφους* Aeschylus dixit. (*Prometh.* v. 515. sq.) Quid vis illa *τῆς Τύχης*, quae secundum Menandrum *τύραννός ἐστι πάντων τῶν θεῶν*, (*Fragm.* p. 200. Cler.) nisi quod ne Iovis quidem sapientia et reliquorum numinum vis sufficere iis videretur ad concilianda fata hominum, ideoque necesse esset, ad fata refugere, quibus dii omnes et ipse Iupiter pareret *). At si quis putaverit ad antiquam mythologiam haec reiicienda esse, sed seriores philosophos de ista quaestione longe meliora habuisse, hic legat illorum philosophorum scripta, qui universos sapientiae veteris thesauros exhauserunt, legat Luciani dialogum illum, in quo divisum Iovis Fatique imperium false per-

*) Huiusmodi philosophemata nemo acerbius vituperavit isto tempore. Imo neminem esse credimus, qui sine summa admiratione ea legerit in ipso Aeschyli Prometheo, in quo tota illa vetusta philosophia ita describitur, ut dubitari possit, utrum maioris poëtae an philosophi in eo agatur fabula. Sed quamquam reprehendi non potest, quod Aeschylus hanc rationem sequutus fuerit, quam v. 103. sq. expressit:

— τὴν πεπρωμένην χρὴ
Αἶσαν φέρειν ὡς ῥᾶστα, γιγνώσκονθ᾽ ὅτι
Τὸ τῆς Ἀνάγκης ἐστ᾽ ἀδήριτον σθένος

tamen nescio, quo pacto eos excusemus, qui nostra aetate istam rationem denuo in fabulas revocarunt.

stringitur (*Ζεὺς ἐλεγχόμενος* Tom. II. p. 626. Reiz.); legat Plutarchi scripta, in quibus de numine divino et de providentia disputatur, ut in eodem loco omnes haesisse imò lapsos fuisse intelligat. Et Plutarchum quidem ipsum, de quo quaereretur hoc loco, et quo deduceret ista de diis opinio, bene intellexisse, ille *περὶ δεισιδαιμονίας* libellus clare demonstrat. Nam capite secundo, in quo *τὴν ἀθεότητα* et *τὴν δεισιδαιμονίαν* describit, utriusque easdem causas enarrat, quas in quaestione ista omnes habuerunt, aut dubitandi de cura deorum, aut eos metuendi tamquam *λυπηροὺς καὶ βλαβεροὺς*. *Ἡ γαρ ἄγνοια*, inquit, *τῷ μὲν ἀπιστίαν τοῦ ὠφελοῦντος ἐμπεποίηκε, τῷ δὲ καὶ δόξαν, ὅτι βλάπτει προσιέθεικε.* Utriusque autem opinionis venenum verissime versibus illis descripsit, quibus Brutus usus esse narratur, quum vitae suae nobilissimum studium exitu destitutum esse videret:

Ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ' ἐγὼ δέ σε
Ὡς ἔργον ἤσκουν· σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ.

Sed e sequentibus luculenter apparet, eum in solvenda quaestione non felicius, quam ceteros, versatum esse. Nam cap. VI. ad superstitionem refert, si quis, cui male sit, neque fortunam neque tempus neque se ipsum accuset, sed deum auctorem causamque dicat, hinc mala sibi venire putet, neque infortunatum se, sed numini invisum hominem, a diis puniri, poenas dare et merito ista omnia ipsorum consilio pati *). Athei autem esse dicit, ut *ἐν τοῖς ἀβουλήτοις* contendat, nihil ex iustitia aut ex providentia fieri, sed confuse et sine iudicio ferri distrahique res humanas. Sed qua ratione fieri possit, ne is, qui *τὴν δεισιδαιμονίαν* fugere velit, in *ἀθεότητα* incidat, id neque in isto libro neque alio loco demonstravit. Neque vero potuit id facere, quum ipsi quoque communis ista opinio insideret, malorum eam esse naturam, ut summo fini bonorum repugnarent, ideoque aut nullum omnino exitum habere, si morte omnia extinguerentur,

*) *ὑπὸ τῶν θεῶν κολάζεσθαι καὶ πάντα πάσχειν προσηκόντως δι' αὐτῶν τὸν νοῦν οἴεται.* Sic enim, levissima correctione, legendum pro vulg. *δι' αὐτὸν τὸν νοῦν*. Male Wyttenb. *δι' αὐτὸν οἴεται*. Non vidit enim contrariam sententiam prodire, quam Plutarchus tribuit superstitioso. Dicit enim Plutarchus *τὸν δεισιδαίμονα* omnia referre ad deorum voluntatem, nullam malorum causam in se ipso quaerere, sed *τὸν ἄθεον* malorum suorum *αἰτίαν ἐξ αὐτοῦ καὶ τῶν περὶ αὐτὸν ἀνασκοπεῖν.*

aut certe deorum consilio regi non posse, quippe quod bona tantum ab iis dari possent. Quare in illo de Iside et Osiride libro (in quo haec ipsa quaestio instituitur) ingenue declarat, hanc optimam rationem esse, quae plurimis et sapientissimis placuisset, ut duarum causarum, quarum neutra alteri subiecta sit, fieri omnia regique opinemur, quoniam fieri non possit, ut aut malum accidat, si rerum omnium auctor sit deus, aut bonum quidquam, si rei nullius caussa sit *). Sed redeamus ad quaestionem ipsam. Fieri enim non potest, ut de iusto exitu rerum nostrarum certi simus, nisi malorum illorum causas in aeternae sapientiae decretis absconditas, ipsaque mala ad summum naturae nostrae immortalis bonum minime pertinere putemus sic, ut quidquid acciderit, id sapientissima decreta ista perfringere nullo pacto possit. Nam quod vulgo affertur, veluti excusandae divinae benignitatis causa, necessaria esse haec mala; id tantum abest ut solatium afferre possit, ut etiam imbecillitatis notam inprimat creatori, eiusque aut sapientiam aut potentiam superiori vi naturae subiiciat. Sed una est via ex isto labyrintho terrenae lubidinis evadendi, eaque certa et aperta omnibus, qui fidem habent deo, qui Christum, τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας ἡμῶν, a mortuis resuscitavit. Quis enim de suarum rerum exitu dubitet amplius, quum videat, quem exitum vita Domini habuerit? quis huius vitae malis perturbetur, quum sciat, atrocissima mala, quibus haec ipsa sanctissima vita oppressa fuit, talem eventum habuisse, ut luculenter appareret, divinae virtutis vim omnibus terrenis gaudiis doloribusque longe esse superiorem? quis denique non intelligat, nunquam fieri posse, ut aeterna sapientiae divinae decreta pugnent cum huius vitae calamitatibus, quum multarum earum cum summo fine vitae necessitudinem esse divini servatoris exemplo revelatum sit? Sed dum vitae nostrae exitum ex huius aevi vicissitudinibus captamus, ut aut haec fugitiva gaudia pro virtutis nostrae praemiis habeamus, aut malorum, quae lubido aversatur, compensationem in altera vita quaeramus, fieri non potest, quin hanc inertem naturam cum ignoto isto numine, veluti cum Osiride Typhonem, perpetuo conflictari credamus, in-

*) Hunc enim sensum inesse putamus verbis obscurioribus cap. XLV. ἀδύνατον γὰρ, ἢ φλαῦρον ὁτιοῦν, ὅπου πάντων ἢ χρηστὸν, ὅπου μηδενὸς ὁ θεὸς αἴτιος, ἐγγενέσθαι. Continetur, ut mihi quidem videtur, his verbis, ipsum dilemma, in quo dissolvendo plerique lapsi sunt.

certae victoriae desiderio quidem cruciemur, sed spe certa destituamur. Nam, ut verbo dicam, spiritualis illa et aeterna vitae ratio, et spirituale illud regnum dei, per exitum vitae Domini revelatum est, ut, quod sapientissimi quique frustra olim quaesiverunt, nunc manifestum sit omnibus, quantum anima immortalis corpore praestet, tantum etiam aeternas sapientiae divinae leges superiores esse opinionibus et exspectationibus humanis, neque ullam causam dari de iusto rerum nostrarum exitu dubitandi, etiamsi alia omnia in hac vita acciderint, quam aut praepotens lubido expetiverit, aut immoderata humanae sapientiae arrogantia fieri debuisse putaverit. Quod si quis etiam aliunde constare dicat, huic quidem tristem et illiberalem quaerendi laborem non invidemus, sed paratis bonis tanto modestius utamur, quum spes ista, quae his diebus olim affulsit vitae humanae, certa esse non possit, nisi totius vitae decursus, similis vitae Domini, eundem quoque exitum ostendat.

Sed restat altera dubitatio, quae optimi cuiusque animo tanto altius insidet, quo quis se ipsum magis novit, et quantum a summo fine bonorum haec vita vel beatissima absit, verius intelligit. Nam qui huius vitae rationes cum summo bono illo comparaverit, is, sive brevitatem sive perversitatem eius spectet, ne minimam quidem partem eorum, quae vel debuisset vel potuisset, consequutum se esse videbit, et licet magno studio laboraverit, ut id consequeretur, tamen hanc vitam suam exoptato exitu caruisse animadvertet. Et magna quidem hominum pars, huius vitae ducendae, imo brutorum instar nutriendae curis intenta, rebus suis ita contenta est, ut si voluptatum quod satis sit, percepisse videantur, fructibus huius terrae acquiescant, quod deesse putent, id in futuro aevo se accepturos esse confidant. Atque haec etiam plurimorum fuit ante Christum opinio. Sed sapientiores, quibus haec vita, vel beatissima omnibus divitiarum, honoris, potentiae bonis, minime satisfaceret, hi futurae vitae immensa spatia non sine trepidatione animo emetiebantur, et unam hanc spem reperiebant, fore ut huius vitae rationes post mortem durarent, et singuli homines sive privata sive publica in his terris negotia gessissent, iisdem etiam in posterum fungerentur (vid. *Platon. Epinom. fin.*). Nam quum perversitatis moralis, quae res humanas perturbat, nullam aut certe levissimam notionem haberent, neque aliquid amplius desiderarent,

quam ut ab his impedimentis verae sapientiae liberati, sortem beatam in hac vita frustra quaesitam nanciscerentur, non mirandum est, eos id, quod maximum est, non esse assequutos, sed aut huius vitae rationes ad futurum aevum transtulisse, aut spem omnem abiecisse. Nam si rationis humanae iudicio stare iuvat, fieri non potest, quin sortem futuram ex iustitiae legibus decernamus. Quas leges si ad vitam nostram adhibemus, nulla spes relinquitur: nam iustitia quidem postulat, ut nihil amplius contingat, quam quod factis plane conveniat; sed haec ipsa facta, quamvis egregia videantur, si cum aeternis rationis legibus comparentur, tam longe absunt a summo fine, ut neque divinae sapientiae decretis inservire videantur, neque ullo pacto rationis humanae iudicio satisfacere possint. Et illam quidem de perversitate morali quaestionem nunc quidem omittamus, quoniam manifestum est, plerosque istum naturae morbum ignorasse ante Christum, cuius vulneribus omnes sanandi sunt. Sed hoc certe omnes intelligunt, huius vitae rationem eiusmodi esse, ut quem exitum haec puerilia et incerta initia habitura sint, cognosci non possit, imo studia hominum praeclarissima vana et irrita videri, si cum huius vitae eventu comparentur. Fuit haec tristis discipulorum Christi cogitatio, quum Emauntem peterent. Nam quae speraverant, quae secundum prophetarum oracula post multorum seculorum decursum nunc eventura esse exspectaverant, imo quae ipse Dominus ex voluntate patris praestiturum se esse promiserat, eorum nihil tunc fere evenisse videbant, quum morte cruenta vitam ille finiisset. Haec erat igitur magna spes illa, quam de vita magistri divini conceperant, haec ista Iudaicae gentis laetissima exspectatio, haec salus omnium gentium. Scilicet magni illius operis, quod ex aeterno patris decreto susceperat, vix primum initium factum erat, imo totius vitae eius fructus praematura morte eius ablatus perditusque videbatur. Vituperantur discipuli, quod vanas de vita Christi opiniones habuerunt; sed in eo certe accusari non possunt, quod exitum vitae domini cum summo fine eius conciliare non potuerunt, quamquam per hunc ipsum exitum sapientissima et aeterna voluntatis divinae mysteria revelata sunt. Nondum enim acceperant spiritum (neque vero poterant accipere, priusquam abiisset Dominus), qui convicturus erat mundum περὶ δικαιοσύνης. Sed quemadmodum eventus docuit, illum exitum vitae Domini cum aeternis sapientiae divinae

decretis egregie convenisse, atque omnia, quae vix inchoata videbantur, hac ipsa morte perfecta, totumque opus salutare Christi coeptum olim in his terris perpetuum esse, et omnia fata humana superare, ita etiam nostrae salutis rerumque nostrarum ad felicem exitum perducendarum spes certissima per hunc exitum vitae Domini omnibus divino beneficio revelata est, ut quicunque fidem habent ei, qui Christum a mortuis resuscitavit, confidere possint, etiamsi plurima et quae praeclarissima videbantur, inchoata relinquere cogantur, tamen laborem suum, (ἐν κυρίῳ) non irritum esse, sed qui nos vocaverit, eum etiam, quod cum sapientiae suae decretis conveniat, certissime effecturum esse, ideoque hoc tantum curae nobis esse debere, ut opus dei, dum dies est, sedulo et constanter faciamus: reliqua, ipsumque exitum rerum nostrarum deo, patri Domini nostri Iesu Christi, fortiter permittamus.

DE
SPE CONSERVANDI SALUTEM ECCLESIAE
EVANGELICAE.

Multos eosque praestantissimos ecclesiae nostrae theologos ipsumque Reinhardum nostrum, spectatae fidei theologum, saepius acerbe queri meminimus, quod, quoties rediret ille dies, quem nos proxime celebraturi sumus, sacrorum christianorum in magna Europae parte divino beneficio Luthero potissimum auctore instauratorum memoriae dicatus, toties verae laetitiae causae magis magisque minutae viderentur, vel quod frigescerent animi temporum iniuria perturbati atque a rerum divinarum studio alieni, vel quod ea esset ecclesiae evangelicae conditio, ut, quicunque nossent bona nostra, iisque omnes lubidinis humanae illecebras anteferrent, magis quod metuerent haberent quam laetarentur. Neque desierunt istae querelae, imo multo frequentius his diebus et in vulgus audiuntur. Est autem duplex potissimum causa querelarum, quarum una in periculis externis cernitur, altera ex internis vitiis oritur, quibus ipsa ecclesia nostra laborat,

quod ante hos septem annos demonstravimus, quum et ipsi de rebus afflictis ecclesiae evangelicae in Germania conquereremur. Praevidebamus tunc quidem, populares nostros patientissimos iniuriarum, vel principum, quos summa semper fide natio Germanica coluit, avita virtute fretos, vel ipsius domini, unici pastoris ecclesiae, praesidio acquiescentes futuri temporis exitum placide exspectaturos esse, et si qui fuerint magis solliciti, eos id unum curaturos esse, ut monendo, castigando, exprobrando satis scilicet defensa videatur ecclesia evangelica. Interea celebravimus, ut par erat, sacra secularia ecclesiae evangelicae instauratae; viderunt adversarii, non torpere animos Protestantium, et ipsi principes, alieni a confessione nostra; laetitiam nostram eiusque causas probarunt; receperunt animum, qui iam spem omnem abiecerant, omnes boni optima quaevis denuo sperare coeperunt. Sed quid actum postea fuerit, vidistis et nunc quoque videtis, *cives carissimi.* Postquam conticuit illa publica ecclesiae nostrae gratulatio, prisca omnia redierunt. Satis querelarum auditum, auxilii parum repertum; ab adversariis nova consilia inita imo revocata, quae nunquam abiecta, per integrum seculum, quasi satiatis nostrorum animis, denuo cum felici successu agitari posse videbantur; hinc novae iniuriae, novae querelae; ne ab atrocissimis criminibus quidem iniustissimisque calumniis temperatum est. Iam eo res devenit, ut alii de ecclesia nostra desperent, alii in civilibus praesidiis ultimam eius salutem quaerant, pauci neque periculis, quae undique ostenduntur, gravius commoti neque maiorum exemplis nimis securi, quid metuendum quidve agendum sit, intelligant atque praecipiant.

Etenim si ex humanae providentiae consilio iudicanda esset ecclesiae evangelicae conditio, haberemus sane, quod tacita sollicitudine potius quam publica laetitia diem festum, qui proxime instat, transigeremus. Nam quae aut ab adversariis evangelii aut etiam ab amicorum et fautorum infaustis coeptis metuenda sunt, his nihil fere est quod opponamus, nisi quod in divini numinis sapientia, ipsiusque evangelii aeterna virtute situm sit. Quod quale quantumque sit breviter ostendemus. Sed quoniam adversarii ecclesiae nostrae nunc maxime negant, se esse adversarios evangelii, imo gloriantur, se doctrinam evangelii puriorem et ampliorem habere, nobisque tantum propterea adversari, quod nos omnia instituta et decreta ecclesiae non sine singulari

numine spiritus sancti tradita et conservata reiiciamus, humanoque ingenio evangelium relinquamus, ideoque nos potius evangelio adversari; ante omnia tollenda est haec excusatio.

Quid sit evangelio adversari, ignorare non potest, qui naturam et virtutem evangelii intellexit. Est autem summa evangelii haec, quod generi humano misero per peccatum datus sit unicus servator, Iesus Christus, filius dei, cuius merito salutem consequi possint omnes qui recta eam ratione quaesiverint, quod is non tantum ostenderit hanc unam rationem ad liberationem a miseria peccati aeternamque salutem adspirandi, sed etiam vita et morte sua effecerit, ut quum certa reddita sit illa ratio et salus ipsa, homines possint reconciliari cum deo, denique imperio suo usque ad finem rerum humanarum curet, ut per hoc ipsum evangelium homines serventur, ideoque divinum spiritum omnibus ipsum quaerentibus aequo modo largiri deum, ut facere possint et lubenter faciant, a quo sunt natura sua omnes alieni, id est ut deum sanctum, iustum, sapientem ex animo diligant legibusque sanctissimis non metu poenarum nec spe mercedis, sed libero animo filiorum dei obtemperent; quod quum fieri sine vera fide non possit, omnia denique ad fidem redire, ideoque in universa ratione salutem consequendi nullum relinqui locum merito humano, sed solam gratiam imperare, quae non nisi per fidem contingere hominibus possit. Recte Melanchthon scripserat illo loco, (*Libr. Symbol. p.* 338.) qui magnam prudentissimo viro tunc quidem invidiam conflavit, hoc evangelium si permitterent nobis adversarii posse ipsis permitti, ut suo more regerent externam disciplinam ecclesiae. Scilicet probe intelligebat, nunquam permissuros esse nobis hoc evangelium adversarios, neque vero id fieri posse, quia tota eorum ratio ab hoc evangelio abhorreret. Nam ipsi quidem etiam de fide, de merito Christi loquuntur, sed quid velint sibi manifestum est. De merito Christi, quod ad peccatum originis tantum referrent, graviter iam in Confessione et Apologia Melanchthon dixit: ipsius autem fidei nullam rationem habent, quam quod bonum opus sit, cuius merito ad primam gratiam accipiendam se praeparent homines, ut deinde satisfacere pro peccatis, suisque operibus mereri salutem possint. An nos iniuria istos dicimus adversarios evangelii, qui invertunt universam rationem consequendi salutem, in qua hominibus patefacienda ipsa virtus evangelii cernitur? Etenim si in libris iis, in quibus solis

divinitus traditum est evangelium, luculenter docetur, veniam peccatorum ipsamque aeternam salutem tantum per fidem contingere, non ob qualecunque meritum virtutis humanae, adversantur illi evangelio, qui docent, Christum hoc tantum meruisse, ut prima gratia infundatur, sed pro peccatis actualibus hominibus ipsis esse satisfaciendum, ipsamque salutem homines suis operibus mereri. Si docet Evangelium, unicum mediatorem inter deum et homines esse Christum, adversantur evangelio, qui finxerunt novum genus mediationis, cuius ope non tantum Christi, sed hominum quoque merita contingant nobis, qui docent eos, qui ad docendum evangelium, τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς, sunt ministri ecclesiae, sacerdotes esse, veniae peccatorum ipsiusque gratiae divinae dispensatores, qui negant eos esse in ecclesia, qui Christum unum agnoscunt dominum ecclesiae, sed non concedunt esse aliquem, qui iure divino ita praesit ecclesiae, ut contra scripturam leges ferre et rationem salutis praescribere possit. Sed hoc ipsum non concedunt, contra evangelium fieri, quod non scriptum sit (ut illi quidem callide loquuntur) in libris sacris. Scilicet multa alia spiritus sanctus matri ecclesiae tradidit, ipsique vicario Christi soli ius tributum est, non solum explicandi veram sententiam scriptorum sacrorum, sed etiam adiiciendi, imperandi, praecipiendi, ad salutem animarum, longe alias res, licet laicis, quibus non inest singularis spiritus divinus, scripturae sacrae plane repugnare videantur. Nos vero eos propterea vel maxime adversari evangelio censeamus, quod mutant evangelium secundum traditiones humanas, et quum rationem salutis in libris sacris praescriptam ipsiusque Christi servatoris vita morteque demonstratam invertant, hoc sibi licere dicunt ob incognitam institutionem Christi omnibus scripturae sacrae testimoniis destitutam. Nunc vero ita disputant, quasi de evangelio consentiant nobiscum, sed hoc tantum reprehendant, quod nos regimen ecclesiae divinum, cuius caput sit Episcopus Romanus, non agnoscamus, neque omnibus illis institutis, ceremoniis praeceptisque utamur, quae sancta mater ecclesia per divinum spiritum edocta non tantum ad salutem fidelium, sed etiam ad civilem securitatem ipsorumque principum maiestatem defendendam imperavit. Est autem manifestum omnibus, de rebus aliis contendi quam illi simulant, neque quemquam ita stultum illi inter nos invenient, qui ipsos de summa evangelii nobiscum consentire credat, quin intelligat

iure summo adversarios evangelii eos dici haberique, qui rationem salutis divinitus revelatam invertant; quod illos quidem facere scripturae sacrae ipsorumque formulae luculenter demonstrant.

Sed hi quidem quo erga nos animo sint, partim atrocissimis quibus nos denuo lacessunt calumniis et criminationibus, partim multis aliis rebus produnt, quibus ecclesiae evangelicae nocere cupiunt. Nihil dicam de protervis quibusdam hominibus, qui nuper admodum omnium bonorum, quibus humana vita gaudere potest, pestem ab illo tempore ortam esse dixerunt, quo evangelici a romana ecclesia secessionem facere coacti sunt; nihil de illius hominis insania, qui magno suorum applausu scripsit, Lutherum non tantum civilia imperia labefactasse, ecclesiaeque olim optime constitutae statum turbasse, sed etiam literis quam plurimum obfuisse generisque humani ipsiusque doctrinae christianae melius cognoscendae progressus impedivisse. Haec tam inepta sunt, ut verbo respondere pudeat. Sed quis nescit, adversarios hoc agere, ut ipsorum principum animos occupent suspicionibus, ut iis persuadeant, omnium malorum, quibus respublicae premuntur, nullum prius finem fore, quam omnes christiani unius episcopi romani imperio subiecti fuerint. Scilicet ecclesiarum evangelicarum varia, ut illi dicunt, et mutabilis libertas illa mala omnia peperit, alit discordiam, nutrit iras; cives nulla ecclesiae matris maiestate attonitos, nulla obtemperandi serviendique consuetudine domitos, impatientiores vinculorum, ad conspirationes incitat ad seditionesque movendas paratos reddit, et quum facilius sit hominibus stultis et rudibus imperare, qui nihil aliud didicerint, quam quo aut opes terrenas quaerere et augere, aut eorum quorum arbitrio reguntur res publicae, consiliis inservire possint, pacis publicae, quam omnes deposcunt, ipsiusque aureae aetatis reditus certissime sperandus est, postquam inite illud iugum denuo omnibus Christianis impositum fuerit. An vos vera audire, an illos ludere in re gravissima putatis, cives carissimi? Manifestae sunt causae irarum, suspicionum, aegritudinis, discordiae, bellorum, seditionum, et tamen ecclesiam evangelicam accusant ab imperio civili affectando alienissimam; sciunt ipsi, vident omnes aequales nostri, seditiones illas omnes in iis tantum terris ortas esse, quarum incolae romanae ecclesiae deditissimi essent, in terris evangelicis autem nullum tumultum, nullam

seditionem fuisse, et tamen clamant, scribunt, forte et in aures dicunt, spiritum, quo ecclesia evangelica regatur, tumultus et seditiones alere, civitatum iura turbare ipsorumque principum incertum imperium reddere. Quorsum autem tam audacter mentiuntur? Nimirum non adeo stulti sunt, ut haec ipsi omnia vera esse credant; sed sciunt, quemque malorum causas in aliis lubentius, quam in suis vitiis quaerere; sciunt libertatis sanctissimo nomine tam male abusos esse quosdam populos (sed omnes romanae ecclesiae addictos), ut nobis, quos oderunt, nullam maiorem invidiam conflare possint, quam si libertatem evangelicam nobis exprobrent; sciunt denique suspicionibus magis etiam fortissimorum virorum animos quam apertis pugnis frangi et debilitari. Prospiciunt igitur, certe stulti credunt, criminationibus suis rem eo deduci posse, ut ipsi principes de civium salute solliciti ad causas malorum illorum exstirpandas nihil melius inveniri posse putent, quam quod illi maxime cupiunt, ut evangelici relicti, lacessiti iniuriis, vexati imperiis, defatigati criminationibus vel sponte vel coacti redeant sub imperium pontificis romani. Neque prorsus irrita eorum consilia esse res multae ostendunt. Etenim in foederibus quibusdam, quibus iura principum composita sunt cum pontifice romano, non solum non prospectum est iuribus ecclesiae evangelicae, sed ita sunt disposita omnia, ut tota fere res redeat ad augendam potestatem eorum, qui soli educare, instituere, mansuefacere possunt populos, sed haec omnia faciunt ex nutu sedis romanae; ideoque hoc quoque prospectum est, ut si qui libri non sint e sententia ecclesiae, ab illis terris arceri aut supprimi debeant.

Sed hoc summum est, quod moliuntur omnia, ut ecclesiae evangelicae progressus retineant, ut doctrinae evangelicae aditum praecludant, ut suum gregem a meliori cognitione defendant. Itaque non solum curant, ut libris optimis interdicatur, sed etiam librorum sacrorum lectionem suspectam reddunt, veriti, ne fideles sensim et pedetentim melius edocti discant tandem atque intelligant, quantopere ratio salutis, quam illi ostendunt, a doctrina divini servatoris abhorreat. Nam si periculosum est, laicis permittere lectionem scripturae, quia imperiti et singulari spiritus afflatu carentes facile inveniant, quod non recte intelligant, cur non omnium de rebus divinis librorum lectione laicis interdicamus, iisque eos tantum libros relinquamus, in quibus intelligendis er-

se minus sit periculosum. Sed illis quidem recte intelligere pturam nihil aliud est quam e sententia ecclesiae intelligere, e sola habet ius interpretandi scripturam. Itaque quum res eo lem devenire possit, ut paucissimi ecclesiae sententiam in li- sacris reperiri credant, faciunt non sine magna invidia, quod istus nunquam probaverit. Imo persuadere fidelibus student, rimonium cum ἀπίστῳ initum valde periculosum ideoque fu- ndum esse, sed ea tantum conditione tolerari posse, si liberi eiusmodi matrimonio progeniti fidei catholicae consecrentur. licet evangelicos peiores esse quam paganos credunt; alioqui erent ipsum Paulum adversantem, qui matrimonium cum paga- neque prohibuit neque ea conditione permisit, ut sponderet istianus, se curaturum, ut omnes liberi fierent christiani. Vi- t hoc omnes, audiunt querelas nostras iustissimi magistratus, tamen illorum arrogantiae nihil obiiciunt, nobis nihil aliud re- um est, quam ut feramus iniuriam, donec ipse deus dederit m. Quid multa? hoc quoque artibus suis consequi cupiunt, educatio puerorum iterum in manus eorum veniat, quos catho- et christianissimi principes terris suis eiecerunt, quoniam con- et, eos infinitas causas excogitasse, quibus omnia eaque atro- ima facinora, parricidia, veneficia, adulteria, sacrilegia non tum excusari, sed etiam probari posse viderentur. Vix credet teritas, quae nostra aetas vidit, imo vidit et toleravit. Nam ngelicos quidem aequiori animo ferre haec omnia non miran- est, quoniam satis esse plurimis videtur a nostra ecclesia m pestem arceri. Sed in tanta seculi luce imo post trium seculorum usum et experientiam post tantasque civitatum versiones in ipsius hierarchiae sinu natas, adversarios evan- ii malarum artium suarum memores ad medii aevi barbariem ulos revocare et principibus ipsis, omnium bonarum artium et rarum patronis, persuadere velle, tantum sub sacerdotum im- io tutas beatasque civitates, ipsosque cives melius moratos at- ad quaevis ferenda paratiores esse posse, hoc vero eiusmodi , ut aut vesanam superbiam aut summam stultitiam prodat. amen nihil intentatum relinquunt, suspicionibus, metu et crimi- onibus apud magistratus ipsosque principes utuntur, evangeli- ecclesiae bona ne ad alios transeant, sedulo curant, de pote- e sua recuperanda non desperant; alio enim spiritu reguntur m spiritu Christi, cuius regnum non erat huius mundi.

Nos autem, quid tantis periculis obiiciamus, unde repetamus spem servandi salutem ecclesiae evangelicae? Ipsi adversarii nobis exprobrant discordiam imo sententiarum de dogmatibus nonnullis diversitatem; nam si discors esset animus in ecclesia nostra, eam in nobis non reprehenderent, sed alerent discordiam. Sed bene sciunt, nos, qui nihil aliud curemus quam ut veritas divini evangelii magis magisque inter homines elucescat, ista superbae dominationis sodalitia despicere, sciunt, nos regni coelestis praesidia non quaerere in consiliis humanis, sciunt denique τὰ τέκνα τοῦ κόσμου magis plerumque sibi suo more quam τὰ τοῦ φωτὸς τέκνα prospicere, ideoque tamen credunt, in ecclesiae evangelicae natura nihil esse, quo adversus ipsorum consilia non defendamus. Quasi vero opus sit, ut invidiae superbiaeque consilia contra adversarios ineamus, ut quamvis discordes animis contra eos Cretensium more conspiremus, ut coeleste evangelium humanae simulationis artibus defendamus. Enimvero si vel ea esset nostrorum amentia, ut si illorum artes imitaremur, adversus ista pericula nos tutiores esse putaremus, essent tamen quae nos monerent, ut ab illa infausta turpique aemulatione abstineremus. Nam quae illis favere videntur principum favor, legum auctoritas, iurium aequalitas, ea nos omnia frustra requirimus, desideramus, imo exposcimus et flagitamus. Alii enim vix terris suis redditi priscas vexationum persequutionumque tragoedias revocari passi sunt, ne caedibus quidem temperatum est; alii non alieni a rebus nostris, malis suasoribus obtemperantes, eiusmodi remedia tentarunt, quibus prorsus repugnat ratio ecclesiae evangelicae. Quid enim de illis dicamus collegiis, vetusto nomine institutis ad disciplinam ipsamque fidem evangelicam regundam, quae quo propius ad speciem accedunt hierarchiae, (cuius haec est ratio, ut in rebus divinis non divino verbo, sed hominum arbitrio christiani obtemperent,) eo magis periculosa videri debent omnibus, qui veram libertatem evangelicam norunt? Quid de novo illo publico cultu, quem dicunt, evangelico speremus, in quo vix dimidiae horae spatium relictum est docendo evangelio, imo in arbitrio ministri ecclesiae positum, velitne oratione sacra instituere populum fessis genubus adstantem, an decantatis precum formulis acquiescere. Sciunt vero omnes, haud exiguum Lutheri nostri meritum fuisse, quod eo potissimum auctore ad veteris ecclesiae exemplum cultus publicus ita fuerit institutus, ut, licet sacramenta ab ipso Domi-

no instituta summa religione celebrarentur, tamen scripturae sacrae explicatio doctrinaeque divinae interpretatio primas partes obtineret. Nam ἐξ ἀκοῆς ἡ πίστις, ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος θεοῦ· πῶς δὲ ἀκούσουσι χωρὶς κηρύσσοντος; Quid tandem de illarum legum auctoritate exspectamus, quibus cautum est, ut omnes ecclesiae in Germania pari iure uterentur? An nos tam excordes tamque dementes sumus, quin videamus, istam iurium aequalitatem non ex eo constare, quod omnes christiani, sive unum verum deum et quem is misit Iesum Christum agnoscant, sive pontificem romanum adorent, possint in Germania iure civitatis frui, praedia emere, mercaturam facere, principi fidem spondere, quod ne Iudaeis quidem hac nostra aetate invidere audent, qui commodum civitatum ex pecuniae inveniendae facilitate aestumare consueverunt. Quin probe intelligimus, leges illas iis tantum prodesse, qui adversantur evangelio, nobis neque praesidii quidquam in iis esse, et multo magis verendum, ne in libertatem ecclesiae humanis imperiis obruendam ipsiusque coelestis doctrinae progressus impediendos vertere videantur.

Sed mittamus querelas, diemque festum, qui instat, erectis animis celebremus. Magna enim neque dubia spes superest salutem ecclesiae evangelicae conservandi, ea quidem non in prudentia consiliorum humanorum sita, sed in ipsa virtute divina evangelii aeternaque providentia numinis supremi. Ea est enim doctrinae coelestis natura, ut quorum animos vitamque semel illustraverit beaveritque, in iis nunquam exstingui possit. Neque est quod maiorum nostrorum exemplo moveamur. Nam quae Germanicae gentis populis primum tradita, imo armorum vi obtrusa erat doctrinae christianae forma, ea quidem a vera evangelii ratione tantum discrepabat, quantum dominatio pontificis romani differt a regno Christi. Itaque non mirandum est, maiores nostros nunquam meliora edoctos cum doctrina, quae tota esset ex illorum Petri successorum sententia composita, imo cum formulis nonnullis et ceremoniis christianis, ipsum illud sedis romanae iugum suscepisse. Quod et olim semper accidit, et nunc quoque fit, ubicunque gentium per ministros ecclesiae romanae sacra christiana prodita sunt. Neque tota Germania veri evangelii scientiam habuit ante illud tempus, quo Lutherus aliique veram salutis rationem per Christum patefactam, sed humanis commentis corruptam et obscuratam demonstrarunt. Ab eo autem tempore non

solum ii felicius progressi sunt, qui humanum in rebus divinis imperium constanter abnuerunt, sed hi ipsi, qui fidei quam dicunt catholicae obstricti sunt, melius quid verum sit intelligere coeperunt. Itaque nos quidem primam spem nostram in eo reponamus, quod non nisi nostra culpa fieri possit, ut scientiae veri evangelii libertatisque nostrae iacturam faciamus. Quamobrem studeamus verbo divino, ut coelestis evangelii veritas magis magisque elucescat, ideoque scripturae sacrae recte cognoscendae omnem operam demus, ut et nos ipsos, et qui nos audiunt, a commentis humanis defendamus, veraeque vitae evangelicae exemplo omnes istas criminationes et suspiciones levemus atque a nobis removeamus. Quod certissime eventurum esse res ipsa docet. Tandem enim et principes cognoscent, falsas fuisse adversariorum calumnias, sed falsa etiam illorum consilia esse; intelligent enim, in natura ecclesiae evangelicae situm esse, ut a seditionibus regna tueatur, non solum quod nulla ministris eius auctoritas est, legitimae magistratus civilis potestati inimica, quam in omnibus fere populorum tumultibus regnornmque conversionibus efficacissimam fuisse historia docet, sed etiam atque inprimis propterea, quod animus vera religione imbutus et rerum scientia recte excultus et ad iustum imperium patiendum aptissimus et iniuriae patientior, in repellenda quoque lentissimus est. Ne dubitemus enim, quin ipse dies eorum errorem ablatura sit, qui facilius esse opinantur stultis rudibusque hominibus quam civibus bene cultis iuste imperare; quin clarum manifestumque fiet omnibus, eam tutissimam esse rempublicam, cuius cives non a clero, sed vera religione regantur. Postremo, quemadmodum deus, teste historia, prospexit ad hunc diem curavitque, ut lumen vitae, vera rerum divinarum scientia cresceret inter homines et ab omnibus humanae lubidinis consiliis, defenderetur, ita etiam in posterum ecclesiae prospiciet. Docet enim historia, factum quidem esse saepius, ut, in quibus terris aliquo tempore magna literarum ipsiusque doctrinae coelestis lux fulsisset, in iis postea summae tenebrae orirentur; sed docet etiam, hoc non prius factum esse quam ipsi populi sedibus suis expulsi essent eorumque locum barbari occupassent. Docent hoc ipsae illae terrae, in quibus primum apparuit lux evangelii; docet Graecia optimorum ingeniorum fertilissima omniumque fere artium et literarum totius Europae magistra, docet etiam haec ipsa patria nostra literarum omnium studio, artium

optimarum cultura, sed pietate quoque, constantia summaque in principes fide clarissima, nullam unquam gentem semel vera scientia imbutam in prisca inscitiae errorumque vincula prius coniici denuo potuisse, quam ipsa ruinam fecisset; imo fieri quidem posse, ut quaedam terrae, verae eruditionis atque scientiae lumine extincto, denuo obducerentur tenebris, nunquam autem eosdem populos a vera vitae humanae dignitate ad miserrimam vetustae ignorantiae conditionem esse reductos. Deus pater domini nostri Iesu Christi idemque pater lucis, non tenebrarum, in posterum quoque prospiciet. Nos, divina favente gratia, quod nostrum est sedulo faciamus; ceterum vero omnem eamque certissimam spem ecclesiae nostrae salutem conservandi in ipsius evangelii coelesti virtute summique rerum omnium gubernatoris providentia reponamus. Fidus est, qui nos vocavit ad lucem, is etiam perficiet.

QUIBUS LEGIBUS PARIA ECCLESIARUM IURA DESCRIBENDA SINT, MIXTORUM MATRIMONIORUM EXEMPLO DEMONSTRATUR.

Quum ante hos novem fere annos, communi patriae hoste expulso, clarissimi Germaniae principes eo consilio convenissent, ut pacem nunc impotenti dominandi lubidine nunc perversis ambitiosorum hominum consiliis lacessitam turbatamque ab ipsis populis frustra quaesitam, tandem certam firmamque darent aequalibus traderentque posteris, fieri non poterat, quin de publicis singularum ecclesiarum in Germania iuribus constituendis cogitarent. Nam qui scirent, ecclesiam Christi non servire quidem civili imperio, sed iura civium, quamcunque religionis formam amplexi essent, iudicio magistratuum, ad quos non pertinet censura religionis, aequalia et paria esse debere, hos prudentissimos principes, summis subditorum suorum rebus sapientissime prospecturos, sane decebat decernere, *ut in Germania in posterum paribus iuribus uterentur eae ecclesiae,* quibus primum per pacem Augustanam, deinde per pacem Westphalicam proprium ius circa sacra

quibus animus regundus, quibus modis instituenda, a
illis constitui potuit neque ab iis factum est **), qu
dentiae erat curare, ut novus ille ecclesiarum status
terris constitueretur. Hinc vero factum est ut omnia
derent. Nam illa quidem Christianorum pars, quae
Pontificis Romani pendet, statim, ἀφορμὴν λαβοῦ
cupide occasionem, longe lateque se efferendi in iis
rum incolae maximam partem Evangelici essent, et i
gesserant hactenus cum verecundia quadam, quam ip
cipum moderatio imperaverat. Itaque non solum illa
nemo facile invideat, domos et praedia emendi, me
ciendi, opificia exercendi, ad munera civilia adspira
erat, sibi vindicabant, sed etiam, quasi ex oppressis v
essent, nihil non moliti sunt, quo ipsi iniuriam scilic
toleratam ulciscerentur. Itaque in animos principum
re, faustum sub ecclesiae matris auspiciis seculum, m
pulos, placidam tenebricosae noctis quietem polliceri
aequalitatem in summam iniuriam convertere studueru
res devenit, ut paritas illa, quam dicunt, iurium in
videatur, quod illis omnia facere liceat, Evangelici o
patiantur. Quid enim ab illo tempore, quo nova
ecclesiae christianae, boni accepit evangelica eccle
illis terris, quarum principes et maior civium pars
tholicae addicti sunt, Evangelici eodem iure ecclesias

perunt? num simultaneum illud servatum? num annus normalis sublatus? *) Nihil auditum est. Pergunt Evangelicos pro haereticis habere, pergunt eos quovis modo impedire, quo minus res ecclesiae suae augeant, pergunt principibus non solum catholicis, sed etiam evangelicis, ex mera gratia concedere, quod iure suo illi postulare possunt; evangelicorum nulla ratio habetur, vexantur nostri in terris catholicis, trucidantur, quin sub mitissimo Francisci primi imperio tam horrendae passim Evangelicorum querelae audiuntur, ut saeva Ferdinandi secundi tempora rediisse videantur. Nolunt enim paria iura: soli imperare cupiunt; non accipiunt iura a principibus concessa, sed ambitiose repetunt, exposcunt, flagitant, ut unum imperium ecclesiasticum restituatur, ut sub uno Pontifice Romano non solum ecclesia salva sit, sed ipsae civitates maxima tranquillitate, principes summo otio fruantur, ut redeant scilicet felicissima tempora illa, quibus Pontifices omnium regnorum dispensatores et domini erant, subditos fide, principes iurisiurandi religione liberabant, atque ex indulgentia sanctae sedis romanae, imo ob liberalitatem erga basilicam Petri, parricidiorum, periurii, adulterii et quorumcunque foedorum facinorum veniam largiebantur. Denique nunc quoque iura et consilia optimorum principum deludunt concordatis illis, quibus et olim saepe gentem Germanicam deceperunt, et nunc nova vincula struunt, quibus aliquando, si deo et divo Petro placuerit, sub iugum denuo mittant Germanos.' Neque vero est, quod nostra potissimum tempora ipsosque Evangelicos aut ignorantiae aut negligentiae accusemus. Nam ipsa ista pax Westphalica, si recte omnia aestumantur, non statum iuris, sed statum iniuriae stabilivit. Etenim nihil aliud factum est, quam quod pars catholica tunc quidem impedire non poterat; sancitum est enim, ne Evangelicis vi eriperetur, quod isto tempore vi non poterat eripi. Ceterum ecclesiae evangelicae in perpetuum ad statum deteriorem erant detrusae, quippe anni normalis lege constrictae, dum Catholicis liberrime permitteretur, ut suum statum quovis tempore augerent et amplificarent **). Nemo sane, qui omnia recte per-

*) Posset aliquis non temere quaerere, an conditiones pacis Osnabrugensis sublatae sint decreto foederis Germanici. Nisi fallimur negabunt Pontificii.

) Vid. **Pütter *über den Geist des Westphäl. Friedens.* p. 124 sq. p. 361 sq.

penderit, dicet, paria iura Evangelicis concessa esse, quin statim intelliget, partem catholicam principes evangelicos decepisse, illamque pacem similem fuisse induciis, per quas uni parti non licet, fines angustos excedere, dum altera omnia castella et opulentissimas provincias occupat. Ab eo igitur tempore nunquam desiisse causas iniuriarum, historia docet, et minime mirandum est. Sed neque hoc mirum esse cuiquam potest, Catholicos nostra aetate isto optimorum principum decreto ambitiosissime abuti et vetustas artes repetere; neque enim unquam paria Evangelicis iura concedent. Pontificii, dum sunt Pontificii, ne possunt quidem honestam cum Evangelicis pacem inire. Episcopus Romanus, dum geret se vicarium Christi, non poterit concedere, ut Evangelici aequo iure cum Catholicis utantur. Nam etiamsi Pontifex Romanus desinat nos tanquam haereticos exsecrari, nunquam tamen concedet, nos esse ecclesiam Christi, imo omnia iura, a principibus nobis concessa, illegitime data et usurpata esse constanter affirmabit. Quamdiu pontificii docent, se esse ecclesiam, nullam reliquis ecclesiis iurium paritatem concedent, neque possunt concedere, imo iudaeorum et ethnicorum loco nos habeant necesse est. Scio blandioribus homines urbanos verbis uti, scio, moderatiora eos consilia iactare; sed dissimulant mentem: certum est, illam iurium aequalitatem nunquam agniturum esse Pontificem Romanum. Libere dicam quod res est; de paritate religionum, quae dicitur, constituenda desperandum est, nisi ipsi principes, causae iustitia, non istorum hominum pollicitationibus confisi, civiumque fide freti, aequum ius decreverint. Postremo non praetermittendum est, veram naturam istius paritatis etiam nostra aetate valde obscuratam esse, quod quas ecclesias paribus uti iuribus vellent, non ex ecclesiae Christi fine et natura, sed ex vetustis imperii Germanici legibus definitum est. Nam si decretum est, haec iura illis tantum tribus ecclesiis tribuenda esse, quae, dum foedus imperii Germanici salvum esset, publicae dicebantur, reliquas autem ecclesias, quamvis christianas, (ut Unitarios in Transylvania) iis iuribus carere debere, vix intelligi potest, quo iure repugnare velimus, si catholica ecclesia, hanc aliquando potentiam nacta, Evangelicos quoque illis iuribus privaverit. Iniuria iniuriam, odium odium parit; iustitiam, non opiniones, sequi tutissimum est. Vana fuerunt atque futura sunt omnia, donec intellectum fuerit, iura illa non ex opinionibus hominum, neque ex romanae sedis arbi-

trio, sed ex aeternis rationis humanae legibus, ipsiusque ecclesiae christianae natura aestumanda esse.

Haec ideo praefati sumus, quod qualis ostensa illa paritas iurium esse debeat, luculento exemplo ostendere constituimus. Sumsimus autem exemplum eiusmodi, quo simul manifestum fiat, difficillimum esse, hanc aequalitatem constituere, si dogmatibus singularum ecclesiarum legislatores indulgeant, sed facillimum, si ius et rectam rationem sequantur. Nam in causis matrimonialibus, de quibus dicemus, quia plurimae de iis querelae audiuntur, tot sunt et perpetuae causae dissensionum, ut a parte Pontificiorum nihil unquam boni sperari possit, sed luculenter appareat, totam de aequo ecclesiarum iure quaestionem persolvi non posse, nisi lege iustitiae civilis. Primum igitur singula capita, in quae dividi quaestio de matrimoniis potest, notabimus, deinde ipsa iura aequa iustitiae lege breviter describemus.

Primum igitur satis constat, Pontificios in matrimonio sacramentum esse dicere, Evangelicos, quamvis matrimonium divinitus a natura et ratione institutum putent, ideoque sanctissime colendum esse dicant, tamen in eo nihil amplius quaerere, quam quod in ipsa natura matrimonii necessario insit. Patres Tridentini Sess. XXIV. satis callide hoc quoque loco versati sunt, i. e. vera decreta cum opinionibus suis miscuerunt. Nam quod de reformatione matrimonii dixerunt, id eatenus tantum verum est, quod pessimos abusus nonnullos in ecclesia pontificia receptos notarunt, sed de ipsa natura matrimonii, de iuribus ex matrimonio oriundis, de divortiis et de iurisdictione in causis matrimonialibus ita permiscuerunt omnia, ut id unum clare perspiciatur, eos hoc quoque loco nihil aliud curasse, quam ut matrimonia iuris divini, i. e. canonici, esse viderentur. Neque vero nobis animus est, quod Pontificii de *sacramento* matrimonii iactant, hoc loco refutare *). Hoc unum demonstrabimus, ad naturam veri matrimonii non pertinere notionem aut ipsam gratiam sacramenti, verumque et ratum matrimonium esse sine sacramento. Quod quum a nostris non negetur, satis erit demonstrasse, etiam Pontificios hoc concedere. Est enim distinguendum matrimonium

*) Si matrimonium propterea pro sacramento habendum est, quod Paulus Eph. V, 32. μυστήριον vocaverit, tanquam signum coniunctionis Christi cum ecclesia, ut Pontificii quidem hunc locum pessime intelligunt, eodem iure statum pastorum sacramentum dicamus; saepe enim Dominus se pastorem, discipulos suos gregem dixit.

ipsum a sacramento, quod ad matrimonium accedit. Verum ratumque est igitur e sententia Pontificiorum matrimonium, quod a sponsis coram parocho ita contractum fuit, ut sponsi declaraverint matrimonium de praesenti, etiamsi Parochus ne verbum quidem dixerit. Oritur enim ex hac declaratione *obligatio*, qua vere constat matrimonium *). Neque indissolubile est vinculum matrimonii ob sacramentum, sed ob istam obligationem sponte susceptam, quae per se habet perpetui vinculi necessitatem **) Itaque ad matrimonium verum non requiritur benedictio aut sacramenti collatio; ipsum per se ex obligatione de praesenti declarata valet. Sed si ipsum vinculum naturam sacramenti habet, cur postulant, ut catholicus benedictionem accipiat, quia a parocho evangelico sacramentum accipere non potuerit? Si obligatio coram parocho suscepta sufficit, ut vinculum indissolubile nascatur, ratumque est matrimonium, etiamsi is ne verbum quidem dixerit, quid opus est benedictione ad sacramentum accipiendum! Denique si ipsum vinculum est sacramentum, ad vinculum autem efficiendum nihil amplius requiritur, quam declaratus coram parocho consensus contrahentium; quid deest matrimonio, quod coram parocho evangelico contractum fuit et benedictum nomini Dei? Ut sit validum matrimonium, necesse est, ut sponsi contrahant de praesenti coram parocho; testis est parochus, nihil amplius,

*) *Declar. authent.* ad cap. I. de ref. matrim. *Non pertinet ad substantiam matrimonii, ut parochus aliqua verba proferat; ideo valet matrimonium, quamvis verba exprimentia consensum prolata sint tantum a contrahentibus, dummodo parochus sit praesens et intelligat id, quod agitur, licet dissentiat et contradicat.* Et tamen sacramentum non nisi per ministrum ecclesiae ut dicunt, conficitur. *Conc. Trid.* Sess. VII. de sacram. Can. X. sq. *Catech. Rom.* P. II. Cap. VIII. qu. 3. *Quamquam haec omnia in perfecto matrimonio insint, consensus videlicet internus, pactio externa verbis expressa, obligatio et vinculum, quod ex ea pactione efficitur, et coniugum copulatio, qua matrimonium consummatur, nihil horum tamen matrimonii vim et rationem proprie habet, nisi obligatio* etc. qu. 4. *patet matrimonii naturam et rationem in vinculo illo consistere.* De sacramento et benedictione ne verbum quidem, conf. qu. 8. Copulationem illam, qua matrimonium consummari dicitur, non esse benedictionem sacerdotalem, sponte intelligitur.

**) *Catechismus Rom.* accurate distinguit duplicem matrimonii rationem, ut naturalis coniunctionis et sacramenti, qu. 9. sq. Quaest 11. in matrimonio naturali sine sacramento vinculum indissolubile esse dicitur. Matrimonium non est indissolubile, quia sacramentum est, sed est sacramentum, quia est indissolubile. Hanc veram esse Pontificiorum sententiam ex iis locis apparet, ubi de sacramento matrimonii loquuntur.

nihil facit, audit tantum, intelligit, videt, ratum est matrimonium. An matrimonium, cui, interrogatis sponsis, benedixit parochus evangelicus, minus ratum est, quam quod coram parocho notario fornicatore contractum est, quod valere dixit sanctissima congregatio cardinalium? Imo concedere pontificios oportet, eam esse matrimonii naturam, ut ratum sit, etiamsi coram parocho evangelico contractum fuerit. Sed haec est πολύτροπος inconstantia, seu potius constans cavillatio hominum, qui nihil aliud agunt, quam ut omnia matrimonia sint sub ipsorum potestate. Nam quum de vero ratoque matrimonio quaeritur, non faciunt mentionem sacramenti, quasi dubitent natura sua indissolubile esse matrimonium, sed ut gratia sacramenti, nescio qua *), ostensa, imperitos decipiant, et magistratibus persuadeant, se conscientiae causa postulare, ut matrimonia inter catholicos et evangelicos coram parocho catholico contrahantur, scilicet ne fidelis catholicus sacramenti gratia careat, quam conferre potest catholicus, testis mutus, imo qui dissentit et contradicit. Est igitur res maximi momenti, ut in quaestione de paritate iurium in matrimoniis mixtis, nulla sacramenti ratio habeatur. Nam quae est una disceptatio de divortio, ea non pendet ex notione sacramenti, sed ex natura matrimonii. Quod illi vinculum matrimonii non nisi morte alterius coniugis solvi dicunt, videant quo iure; sed si ex dogmatibus eorum iura mutua definiuntur, fieri non potest, quin sua dogmata etiam in iis matrimoniis defendant, quae inter duos evangelicos contracta sunt, si alter, legitimo divortio facto, secundum cum catholico matrimonium inire velit. Quod non esse gravamen de futuro, quod dicunt, recentissimo exemplo demonstrabimus. Mulier quaedam *evangelica* virgo nupserat *evangelico*, et per aliquot tempus vixerat cum eo in matrimonio. Sed postea a marito pessime habita, ut ipsius vitae periculum subiret, petiit divortium a consistorio evangelico, et quoniam iniuriae mariti satis atroces et periculosae videbantur, impetravit. Aliquo tempore post matrimonium secundum iniit cum *iuvene catholico*. Sed hoc quoque matrimonium infeliciter cessit, ita ut a vicariatu apostolico

*) Imo *Catechismus Rom.* l. c. qu. 21. sacramentum, quod sit tertium matrimonii bonum, vinculum esse dicit, quod nunquam dissolvi possit. Sed quam ambigua sit haec gratia sacramenti, omnes intelligunt. Et tamen dicunt matrimonium esse sacramentum novae legis, quia ipsam gratiam conferat. Sess. VII. de sacram. Can. I. et VII.

divortium petere cogeretur: putabat enim, satis sibi prospectum esse, si separationem a thoro et mensa decrevisset vicarius. Sed secus evenit. Vicarius enim respondit, secundum mulieris matrimonium nullitate laborare, quia ex decretis ecclesiae romanae irritum sit prioris matrimonii divortium. Verbis non opus est, res ipsa loquitur. Imo vix credat haec aliquis, nisi sciat, quo tendant haec omnia, scilicet ut evangelicos quoque e suis dogmatibus iudicent, quae profecto non paritas iurium, sed summa iniquitas est. Omnino quum de iuribus civium diversae confessionis in causis matrimonialibus quaeritur, civilis ratio matrimonii, non ecclesiastica sequenda est. Est enim verum matrimonium, etiam ex Pontificiorum sententia, merus contractus, (obligatio) neque ab aliis contractibus differt, nisi quod consensus contrahentium praesente clerico declaratur, ipsumque matrimonium ab eo piis precibus inauguratur. Quemadmodum igitur civilis magistratus est, constituere iura et conditiones, quibus societates domesticas cives ineant, aut quoscunque alios contractus faciant, ita etiam iura matrimonii e rationibus civitatis pendent, non ex opinionibus et consiliis clericorum. Et si contentiosiores esse velimus, ne hoc quidem ecclesiae concedamus, ut ipsa praescribat, quibus matrimonii iuribus alumnos suos frui in civitate velit: est enim in matrimonio nihil, quod, quum ad ecclesiam invisibilem, ipsiusque religionis libertatem pertineat, civili imperio exemtum sit. Sed minime omnium poterunt postulare, ut ipsi evangelicorum matrimonia e suis dogmatibus iudicent. Nam paritas ecclesiarum aut nihil est, aut eo constat, quod cuiusque ecclesiae asseclae secundum sua dogmata vivere resque suas componere possint.

Sed hoc loco semper recurrunt ad divinam institutionem matrimonii: dicunt matrimonium esse iuris divini, ideoque ecclesiam habere potestatem decernendi de matrimoniis, et quidem ipso iure divino. Verum iam dudum demonstratum est, matrimonium verum, i. e. monogamiam, pro instituto divino *proprie* haberi non posse, licet gravissimae caussae adsint, ex ipsius religionis christianae praeceptis legibusque rationis petitae, quae solam monogamiam iustum matrimonium esse ipsiusque naturae legibus convenire clare ostendant. (vid. *Reinhardi System der christl. Moral* Tom. I. p. 510 sq. ed. 3.) Sed illi totam rem perverterunt. Nam sicut bigamiam quoque in salutem animarum nonnullis indulserunt, ut

nuperrime illustri exemplo demonstratum est, non verentes concilii Tridentini anathema (Sess. XXIV. de matrimon. can. 2.), ita etiam contra luculenta scripturae loca, vinculum matrimonii non nisi morte solvi posse docuerunt, scilicet nisi ipse Pontifex ex re esse putaverit, ut vinculum matrimonii solvatur. Praetendunt enim quidem divinam matrimonii originem, sed vera causa est, ut laqueos iniiciant mentibus fidelium, ut ipsi familias regant, ut vicario Christi relinquatur summa potestas ab omnibus divinis humanisque officiis liberrime dispensandi. Nam quod cavillantur de illis locis *Matth.* V, 31. 32. et XIX, 9. (coll. *Marc.* X, 11. *Luc.* XVI, 18.), ubi Dominus graviter vituperat eos, qui praeter causam adulterii uxorem repudiaverint, id tam absurdum est, ut verbum addere pudeat. Praeterea omnes illi loci non agunt de divortio illo, de quo inter nos hodie disceptatur, imo ex istis dictis Domini, si recte omnia perpendamus, nullam divortii, de quo hoc loco quaeritur, causam, ne adulterii quidem, repeti posse intelligemus. Aliud est enim *ἀπολύειν γυναῖκα*, i. e. libellum repudii dare, et relinquere maritum, quod iudaicis uxoribus quoque facere licebat, aliud vero, quod magistratus, causa cognita, vinculum matrimonii solvunt, de quo divortio non dixit Dominus. Is enim, quum nullas leges civiles dederit, neque hoc loco praescribere voluit magistratibus, quibus ipsi de causis divortium decernere possent. Neque vero de his divortiis, quorum causas ecclesia evangelica magistratibus constituere permisit, (est enim res civilis matrimonium) loqui Dominus potuit, quia eiusmodi divortia apud Iudaeos incognita erant. Itaque verba divini magistri ad locum de divortio et de causis divortii, de quo inter nos agitur, referri nullo modo possunt. Quin loquutus est tantum de iure coniugum dandi repudium; quo quum Iudaei petulantissime abuterentur, dixit, non licere repudiare uxorem, aut maritum missum facere, nisi ob adulterium. Sed hoc ius privatum, pertinaciae et iracundiae Iudaeorum causa datum, valde differt a iure magistratuum, certas ob causas vinculum matrimonii solvendi; de divortio autem, quod nunc dicitur, non loquutus est Dominus, ideoque nulla excusatione eget ecclesia nostra, quod praeter adulterium alias quoque divortii causas admittit.

Hinc autem intelligitur quoque, quibus legibus iura civium diversae religionis, qui matrimonium inierunt, definienda sint. Sequitur enim ex iis, quae modo disputata sunt, haec iura non

ex notione ecclesiastica matrimonii constituenda esse, sed ex natura matrimonii veri, i. e. monogamiae, quam ipsum ius naturae et recta ratio postulat. Quod nisi fecerint principes, ne interrogata quidem sede romana, nunquam paritatem iurium, sed perpetuam iniquitatem et iniuriam habebimus. Quare omnes, qui de iuribus illis constituendis cogitant, etiam atque etiam rogamus, ut istam de spirituali efficacia et significatione matrimonii quaestionem prorsus missam faciant, neque curent pontificiorum de sacramento matrimonii vociferationes, imo iura illa ita describant, ut natura matrimonii et recta ratio postulat. Neque veremur, ne quis putet, nos de sanctitate matrimonii levius, quam par est, iudicare. Imo saepe conquesti sumus, quod omnis fere matrimonii religio magis magisque exstingui videatur, non quod in nostra ecclesia matrimonia nonnunquam ob causas minus idoneas solvantur, sed quod omnino desierunt homines, vitae officia, sive a natura imposita, sive sponte suscepta, religionis et pietatis causa etiam tunc sancte colere, quum displicere inceperint. Quodsi illam regulam tenuerimus, et sanctitas matrimonii salva erit, neque difficile fuerit singula iura definire, quorum diversitas in matrimoniis mixtis ita circumscribenda est, ut iustitia postulat. Primum enim dubitari non potest, an matrimonia mixta vera et rata sint, quod ipsi patres Tridentini concesserunt. (Sess. XXIV. can. 5.) Quamquam enim valde optandum est, ut communi religione coniugum amor fidesque nova indies nutrimenta capiat, tamen nulla causa est, cur matrimoniis mixtis non eandem naturam tribuamus, quae supra descripta est. Simulant plerumque clerici catholici, se mixta matrimonia aegre ferre; religioni esse dicunt, scilicet, nisi spondeatur de liberis ecclesiae catholicae addicendis. Laudamus eorum religionem; sed contendimus tamen, naturam matrimonii non mutari diversa confessione coniugum, ideoque mixtum matrimonium idem valere, et civitatis esse, ut omnibus cavillationibus praecludat locum. Matrimoniorum inter Christianos et Iudaeos alia causa est, quam nolimus nuper ita esse decisam, ut licita sint huiusmodi matrimonia, hac lege, ut liberi fiant christiani. Sed matrimoniorum inter Christianos nullum discrimen est. Deinde et hoc intelligitur, quibus legibus singulorum coniugum iura in matrimoniis mixtis describenda sint. Nam quum paritas ecclesiarum cogitari non possit, nisi utriusque ecclesiae asseclae suo iure fruantur, sequi-

tur, in matrimoniis mixtis utriusque iura ita definienda esse, ut neutrius ius aut conditio alterius iure et conditione mutetur. Itaque quod quisque in sua ecclesia ius habuit, quum matrimonium iniret cum assecla alterius ecclesiae, id ipsi salvum maneat necesse est. Si alter ampliori iure utitur, id neque is amittit, qui matrimonium init cum homine, qui deteriori conditione fruitur, neque huic accrescit, nisi ecclesiae suae valedicere velit. Sed dum manet in sua ecclesia, suo tantum iure contentus vivat. Hinc denique sponte intelligitur, in causarum matrimonialium cognitione hanc legem scribendam esse, ut utriusque coniugis propria iura serventur, ideoque quodque consistorium alterius coniugis causam eatenus tantum decernat, quatenus de iure eius coniugis quaestio est, in cuius foro ecclesiastico causa agitur. Quemadmodum igitur non licet consistorio catholico, coniugem evangelicum, qui cum catholica matrimonium contraxit, perpetuo vinculo constrictum iudicare, si is iustam causam divortii habuerit, ita neque evangelicum consistorium potest permittere, ut catholicus, qui secundum suae ecclesiae leges tantum a thoro et mensa separatus est, matrimonio iungatur cum evangelica, nisi, quod melior ratio suadet, lege praescriptum fuerit, ut eiusmodi separatio ad dies vitae facta communi iure pro vero divortio habeatur. Nam eiusmodi separatio cum tanta erga coniugem innocentem iniuria tantisque ad vitae licentiam incitamentis coniuncta est, ut a christiano magistratu ferri non debeat. Sed quae hactenus disputavimus, ea nunc in singulos locos disposita, exempli causa breviter describamus.

Tit. I.

DE MATRIMONIO LEGITIMO.

§. 1. Matrimonium verum ratumque est, quod secundum leges contractum est, quibus magistratus christianus matrimonia contrahi voluit.

§. 2. Hae leges, in ipsa legitimi matrimonii natura sitae, ad haec quatuor fere capita redeunt: *primo*, ut sponsi in matrimonio, (i. e. connubio unius maris et feminae) se ad dies vitae perseveraturos esse bona fide promittant, *secundo*, ut fidem castitatis mutuo spondeant, *tertio*, ut sobolis, si qua ex eo matrimonio nata fuerit, communem curam habeant, *quarto*, ut liberi bonorum paternorum ex legibus civitatis heredes sint.

§. 3. His legibus si contractum fuerit matrimonium, verum ratumque est; neque necesse est, ut utraque pars amplius quid in matrimonio desideret; (v. c. gratiam sacramenti) nam natura matrimonii nihil amplius postulat.

§. 4. Sed quia necesse est, ut, qui contractum facere velit, is non tantum sponte et deliberato animo id faciat, sed aut sui iuris sit, aut eorum, sub quorum potestate est, consensum consequutus fuerit, sequitur, causas incidere posse, ob quas matrimonium initum *nullum* sit, et a magistratibus tollatur.

§. 5. Nullum est igitur matrimonium, quod aut ab hominibus, qui recta ratione non utebantur, aut insciis invitisve parentibus avisve contractum est, aut quod vi minisve extortum, aut unius partis dolo malo impetratum est.

Consensus parentum necessitas ex eo tantum nascitur, quod legitima soboles iure suo succedit in bona avita. Cogi enim nemo potest, ut, quibus nolit, bona sua relinquat. Liberorum ipsorum alia ratio est. Ea enim lege matrimonium parentes inierant, ut liberi bonorum suorum heredes essent. Sed hoc ius in nepotes aut pronepotes transire non potest, nisi consentientibus parentibus.

§. 6. Dolus autem malus tunc demum nullum facit matrimonium, si fraus facta fuerit in illis rebus, quibus natura matrimonii legitimi constituta est.

Itaque quaestiones de dolo redeunt proprie tantum ad conditionem civilem coniugis, et ad familiae sustentandae facultatem. De castitate ante matrimonium servata subtilis quaestio est; impotentia autem praegressa per se non facere nullum matrimonium potest, quoniam dubitari non potest, quin verum matrimonium etiam ab iis, quibus nulla sobolis suscipiendae spes superest, recte ineatur. Quare §. 2. sobolis ipsa procreatio praetermissa est; haec enim non matrimonium postulat.

§. 7. Denique quoniam cavendum est, ne matrimonio contrahendo iuribus aliorum fraus fiat, necesse est, ut nomina eorum, qui matrimonium inire cupiant, publice denuncientur.

Tit. II.

DE LEGITIMIS IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

§. 1. Itaque matrimonia vera et rata sunt, quae isto, quo dictum est, modo, inter christianos inita sunt, licet *diversae*

ecclesiae addicti sint coniuges. Neque valet in hac causa matrimonii consummati et non consummati discrimen.

§. 2. Sed fieri potest, ut aut morum causa aut ob alias rationes intersit civitatis, ut inter quosdam homines matrimonia non ineantur, certe non iniri possint sine venia singulari; hinc *impedimenta* personalia matrimonii nascuntur.

§. 3. Ius autem definiendi causas, quae impediant, quo minus quaedam personae matrimonium ineant, est penes magistratum civilem. Totum enim hoc negotium ad civilem potestatem proprie pertinet.

Nam in religione christiana nihil ea de re praescriptum est. Mosaicae autem leges non latae sunt christianis.

§. 4. Non licet igitur cuidam ecclesiae impedire matrimonia ob causas dogmaticas (v. c. ob confessionis diversitatem, cognationem propinquiorem et spiritualem), sed tantum ob eas causas, quas magistratus civilis constituerit.

TIT. III.

DE DIVORTIO.

§. 1. Quamquam eo consilio initur matrimonium legitimum, ut dum vivat uterque coniux, sancte servetur, saepe tamen causae incidunt, quibus aut prudentia suadeat aut ipsum ius postulet, ut, petente alterutro coniuge, divortium fiat, i. e. vinculum matrimonii solvatur.

§. 2. Has causas magistratus civiles certis legibus prudenter describant. Nam neque Dominus divortii causas praecepit et vetus ecclesia secus habuit, quam consuetudo non ita vetus Pontificiorum.

§ 3. Quamquam igitur ecclesia romana docet, vinculum matrimonii non nisi alterius coniugis morte solvi posse, tamen eaedem divortii causae valent, etiamsi alterutra pars ecclesiae romanae addicta sit.

§. 4. Itaque si evangelicus a coniuge catholica divortium facere velit, id etiam a consistorio catholico impetret, si iustas causas habuerit (§. 2.). Contra divortium quaerere coniux catholicus potest, si eiusmodi causas habuerit, quas magistratus civilis pro legitimis declaraverit. (vid. tamen §. 7.)

§. 5. Divortium, auctoritate consistorii evangelici factum,

verum ratumque habeant catholici necesse est, ideoque ne arrogent sibi hoc, ut vinculo matrimonii obstrictum evangelicum habeant, qui ex legibus civitatis a coniuge solutus est.

§. 6. Separatio a thoro et mensa perpetua pro vero divortio habenda est, ita, ut coniux evangelicus vinculo matrimonii solutus sit, etiamsi consistorium catholicum hoc negaverit.

§. 7. Contra vero, quoniam non est in potestate magistratus civilis, ut cives religione liberet et contra suae ecclesiae decreta agere iubeat, sequitur, conscientiae catholici relinquendum esse, an secundum matrimonium inire velit.

§. 8. Sed matrimonium quod quis cum evangelica, quae a priori coniuge divortium fecit, inierit, ratum esto, liberi autem ex matrimoniis secundis procreati legitimi sunto.

Tit. IV.

DE PROLE EX MATRIMONIIS MIXTIS ORIUNDA.

§. 1. Quum multae querelae fuerint et nunc quoque sint de clericorum romanorum studiis efficiendi, ut sponsi diversae confessionis aut sponte promittant, aut religione perterriti longisve vexationibus defatigati, spondeant, se curaturos, ut futuri liberi in fide catholica educentur, quod illi quidem aut prorsus negant se facere, aut a sponsis sponte et ultro factum esse contendunt: ipsius invidiae minuendae causa certa lege constituendum est, ad quam ecclesiam liberi, e mixtis matrimoniis nati, pertineant, donec ipsi edocti confessionem sponte edere possint.

§. 2. Quod usu apud nonnullos receptum est, ut pueri patris, puellae matris ecclesiae addicantur, id non probandum est, partim ob periculum discordiae domesticae, si plures pueri puellaeve nascantur, partim quia difficilior educatio redditur, et simultatibus discordiaeque inter ipsos liberos occasio praebetur.

§. 3. Neque magis eorum ratio probanda videtur, qui, quod parens pater et caput familiae sit, suadent, ut omnes liberi ei ecclesiae addicantur, cui pater addictus est. Nam sic non solum iracundiae tacitae locus relinquitur, inprimis apud uxores, quibus paterna religio carior, quam viris, esse solet, sed etiam uxor deterioris fit conditionis; nam communium liberorum cura ex parte privatur.

§. 4. Sed omnino distinctione opus est. Fieri enim potest,

ut aut uterque sponsus eandem patriam habeat, aut alteruter aliunde advenerit. Utriusque causae diversa ratio est.

§. 5. Primum igitur, quoniam tota haec res ad magistratum civilem pertinet, estque iuris civilis, non iniquum videri potest, advenam adstringi legibus eius civitatis, in quam migraverit. Nullus enim peregrinus, qui matrimonium cum inquilina contrahere cupit, conqueri potest, quod liberi ex eo matrimonio procreati addicantur ei ecclesiae, cui coniux, quam in nova patria invenit, addicta est.

§. 6. Itaque liberi ex mixto matrimonio nati, si alteruter coniux peregrinus est, addicantur ecclesiae coniugis alterius, in cuius patriam ille advenit.

§. 7. Sed si uterque eandem patriam habeat, par est, liberos matris ecclesiae addici, partim quod humanitas erga sexum religiosiorem ita postulare videtur, partim quod vel sic maxima pars curae liberos instituendi patri relinquitur, qui prudenter prospicere potest, ut liberi, si ad maturitatem iudicii pervenerint, ipsi decernere possint, quam confessionem sequi velint.

Praeterea aptissimum hoc esse videtur, quum ipsa copulatio fieri debeat a parocho sponsae.

§. 8. Sponsiones, quae contra has leges factae fuerint, irritae sunto, neque liceat ministro unius alteriusve ecclesiae eiusmodi sponsiones accipere, etiamsi sponte factae dicantur. Qui secus fecerit, is legi fraudem sciens fecisse videatur.

§. 9. Baptizandi sunt infantes in ea ecclesia, cui addicti sunt; nec licet clerico baptismum exercere extra parochiam suam, nisi sciente et consentiente parocho. Pecuniae parocho solutae nulla excusatio esto.

§. 10. Liberi e matrimonio mixto procreati in scholam eius ecclesiae mittendi sunt, cui addicti sunt. Non licet igitur pueros alienae ecclesiae recipere, nisi literarum humaniorum aut artium discendarum causa. Parentes sponte liberos suos obtulisse, non excusabit scholae magistrum aut praefectum, si secus fecerit.

Frequens est apud nos haec excusatio. Dicunt, se liberos, e mixtis matrimoniis natos, in suas scholas recipere, si parentes eos offerant, sive quod locum non reperiant in scholis evangelicis, sive quod pecuniam solvere non possint. Sed remittant parentes ad eos, qui scholis praesunt, ad pauperum curatores, ad confessionarios suos; vitent ipsi causas suspicionum et in-

vidiae, dum leges servent; imo interdicat lex, quod illi misericordiae et caritatis causa se facere iactant; nostri magistratus curabunt, ut nec locus desit in scholis, et pauperum liberi gratis erudiri possint. Certum est, illos parentes, qui liberos suos scholis catholicis tradiderunt, plerumque longe alias causas habuisse, neque ullum repertum fuisse, cui petenti occasio defuerit, a magistratu evangelico impetrandi, quod ab illis oblatum est.

Tit. V.

DE MATRIMONIORUM MIXTORUM CONSECRATIONE.

§. 1. Quoniam sapientissime institutum est, ut matrimonia, licet per se sint res mere civiles, auctoritate ecclesiae consecrentur, prospiciendum est de mixtis matrimoniis, ut constet, in qua ecclesia consecrari debeant.

§. 2. Totum autem hoc negotium ad eum pertinet, ad quem pertineret, si sponsi eiusdem confessionis essent; id est ad parochum sponsae.

§. 3. Proclamatio igitur ab iis parochis curanda est, ad quos ea res ex legibus in universum pertinet, i. e. a parochis sponsi sponsaeque propriis. Utriusque autem ecclesiae parochos numerum denunciationum publicarum, legibus constitutum, servare oportet.

Consentit concil. Tridentinum cap. I. de reform. matrimonii. Sed periculosam addit causam minuendi numerum denunciationum, quae minime probanda est.

§. 4. Sed copulationis et consecrationis negotium ad proprium parochum sponsae pertinet, neque parochus sponsi alii ecclesiae addicti postulare potest, ut in sua quoque ecclesia consecratio aut certe benedictio repetatur.

Ita in Saxonia legibus ecclesiasticis constitutum est. Quod Pontificii lubenter accipiunt, si sponsa catholica est, sed si evangelica est, sponsus autem catholicus, non acquiescunt copulatione in ecclesia evangelica facta, sed postulant certe benedictionem matrimonii in sua ecclesia, scilicet sacramenti causa; quamquam concedunt matrimonium ratum esse sine sacramento, ut supra dictum est.

Tit. VI.

DE CAUSARUM MATRIMONIALIUM COGNITIONE.

§. 1. Causarum matrimonialium cognitio quamquam proprie ad magistratum civilem pertinet, tamen, quoniam interest civitatis, ut matrimoniorum sanctitas ipsa religione custodiatur, ab initio hic mos servatus est, ut causae eae, in quibus de matrimoniis aut contrahendis aut solvendis agitur, deferantur ad eos, quorum curae res sacrae demandatae sunt.

§. 2. Sed quum dubitari soleat, ad quem pertineat cognitio matrimoniorum mixtorum, lege cavendum est, ne dum alterutra ecclesia sibi plus, quam aequum est, arroget, alteri ecclesiae iniuria fiat. Est autem duplex ea quaestio, prima de foro competente, quod dicitur, altera de legibus, secundum quas causas decidi oporteat.

§. 3. Primum igitur, quum in omnibus causis haec lex valeat, ut actio deferatur ad forum rei, aequum est, causas matrimoniales quoque deferendas esse ad consistorium sacrum eius ecclesiae, cui reus vel rea addicta est. Itaque coniux catholicus actionem instituat apud consistorium evangelicum, evangelicus apud consistorium catholicum, seu quo alio nomine res ecclesiae catholicae in ea terra gubernentur.

§. 4. Sed utrique ecclesiae haec lex scribenda est, ut decernant ex iure eius, qui causa vincit, sive is eidem ecclesiae addictus sit, in cuius foro agitur, sive ad aliam pertineat. Quisque enim ex iuribus legibusque suae ecclesiae iudicandus est.

§. 5. Praeterea quum leges, quibus iura civium civilis magistratus descripsit, non mutandae sint privatis singularum ecclesiarum opinionibus, sequitur, ut utraque ecclesia easdem leges in decernendis causis matrimonialibus observare debeat.

Alioquin ecclesia esset, quod dicunt, status in statu.

§. 6. Itaque si coniux catholicus contra coniugem evangelicum actionem instituerit, causa decernenda est a consistorio evangelico sic, ut evangelici tantum iura decernantur; item consistorium catholicum causam evangelici et catholici ita decernat, ut ius evangelici salvum relinquat.

Sic v. c. si coniux evangelicus divortium petierit a coniuge catholica, causa ita decernenda est, ut evangelici ius salvum

maneat. Itaque si ille iustam causam habuerit petendi divortium, non licet evangelicum iudicare ex dogmate catholico, sed ex suo iure, aut ex legibus civilibus de matrimonio constitutis.

§. 7. Hinc denique sequitur, ut utrumque consistorium, causam, quam decreverit, alteri consistorio denunciet, ut coniux alterius ecclesiae ius suum in suo foro persequi possit. Hoc autem consistorium causam alterius coniugis e suo iure decernat.

Sed haec hactenus. Putamus vero non alienum ab his temporibus hoc exemplum esse, quo demonstrare in animo fuit, quibus legibus aequalitas illa iurium, promissa quidem, sed in paucis civitatibus constituta, describenda videatur. In qua quidem descriptione quamquam praevidebamus plurima Pontificiis, nonnulla etiam nostris esse displicitura, tamen e re esse putavimus, ut periculum faceremus, ne causam publice motam deseruisse videremur.

OBSERVATIONES DE POTESTATE ECCLESIASTICA

AD ART. ABUS. AUGUST. CONF. VII. P. I.

Quum de aequis singularum ecclesiarum iuribus certa lege describendis dicere nuper instituerem, non me fugiebat, totam de Ecclesia disputationem ita esse ambiguam, ut nisi quis a principio exordiatur, de singulis sine offensione vix possit dicere: sed quia tempus urgebat, obscuritatis periculum subire satius videbatur, quam totam causam relinquere, inprimis quoniam ius illud, de quo tunc agebatur, ita est manifestum, ut etiamsi de natura ecclesiae et de finibus ecclesiasticae potestatis diversae sententiae sint, de mutuis tamen iuribus ecclesiarum componendis dubitari non possit. Nam si de unius tantum ecclesiae iuribus in civitate constituendis agitur, dubia res videri potest, quia ante omnis quaerendum est, an tantum ius concedere princeps possit, quantum illa postulaverit: non disceptatur enim de iure tertii, sed quid

maiestas civitatis, quid publica utilitas ferat, unice videndum est. Sed quum inter duas pluresve ecclesias aequum ius constituendum est, non hoc quaeritur, quantum una vel altera sibi arroget, et quasi suo iure postulet, sed quantum omnibus concedi possit, ut et civitas salva sit, et singulae ecclesiae eodem iure utantur. Putabam igitur, istam disputationem tunc quidem omitti posse, quia aequum illud ius, quod ambitiose ostenditur, manifesto postulat, ut, quamvis ampliorem potestatem ecclesiasticam sibi arroget ecclesia romana, tamen nihil amplius ei tribuatur, quam potest ei tribui, nisi potiori, non aequo iure uti debeat. Nam quod dicunt, hanc ipsius evangelicae ecclesiae culpam esse, quod non plus postulet, neque ex principiis suis postulare possit, id non magis honeste dicitur, quam si quis, duobus hominibus de aequo iure litigantibus, plus ei dandum dicat, qui plus postulaverit. Praeterea reputabam, in causa praesenti rem non integram esse, sed ex parte ecclesiae unius iam definitam. Nam si neutra ecclesia iure suo iam uteretur in civitate, in potestate legislatoris positum videri posset, ut utriusque iura finiret; quamquam vel sic nullum aequum ius nasceretur, nisi tantum alteri, vel non poscenti, tribuerit, quantum altera postulaverit. Faciamus, ecclesiam quandam ius, quod altera ad principem pertinere putat, sibi ipsi arrogare, ita ut ius supremae inspectionis circa sacra neget principi, et pro sacrilegio id habeat, si viderit princeps, ne quid detrimenti civitas ab ecclesia capiat, legislator, quum decernit, ut pari iure utraque ecclesia utatur, non poterit illi ecclesiae licentiae illius privilegium dare, hac lege, ut altera eo careat. Quae quamquam id non cupide sibi arrogat, ferre tamen non potest, ut illa legibus civitatis non pareat, quae utramque receperit. Certe utramque pari iure uti in eadem civitate, vix credant pueri. Sed longe alia res est, si de eo agitur, ut ecclesiae cuidam, quae antea nullo iure publico in civitate utebatur, nunc dentur iura quaedam, ut ea cum ecclesia, quae dudum fuit in ea civitate, communia habeat. Quis enim non videt, haec nova iura iis finibus continenda esse, ne iura scripta prioris ecclesiae laedantur; alioqui novo iure illa uteretur cum summa iniuria alterius. Sed dicunt, paritatem iurium, quae expetitur, id ipsum postulare, ut prior ecclesia suo iure cedat, ut pari postea utraque iure utatur. Dicunt, scio, sed quo iure id postulent, non intelligo, siquidem hoc loco non de vi, sed de iustitia et iure agitur. Nam

quum iura dantur ei, qui antea nulla habuit, dari non possunt ita, ut iura, quae quis iam habuit, tollantur, nisi is consentiat; non potest aliquis alterius damno locupletior fieri. Imo ius postulat, ut alterius iura, legibus civitatis iam constituta, salva maneant, ille tantum accipiat, quantum salvis his iuribus dari potest. Sed sic non pari iure hanc ecclesiam usuram esse dicent. Teneo, verum est. Sed quis hanc paritatem iurium promisit? an quo iure eam postulant? Stat enim hoc, de iustitia et iure agi, non de confusione et internecione iurium, quae fuerunt, omnium, qua bonis suis exuantur cives, ut ea dentur inquilinis. Sed tamen promissa est paritas iurium. Promissa est; sed iusta, sed finibus ecclesiae descripta, sed necessaria ad naturam ecclesiae conservandam, sed conveniens principis maiestati, quae iuribus civium tuendis et iustitia summa colenda, divini rerum omnium moderatoris, a quo originem habet, etiam imaginem refert. Nam quemadmodum in civitate bene constituta omnes cives pari iure utuntur, tametsi singuli fruantur suis bonis, quibus carent alii, ita etiam duae ecclesiae pari iure frui possunt, licet una singularia quaedam iura habeat, quibus alteri carendum est. Etenim paritas iurium non in eo cernitur, quod omnia iura omnibus communia sunt, sed quod par est ius in rebus iis, quae communes omnibus civibus esse possunt ac debent. Quod quum de singulis civibus negare nemo possit, etiam de collegiis, societatibus, corporibus, quae in civitate sunt, valeat necesse est. Haec enim pari iure utuntur, non quod eadem omnibus iura sunt communia, sed quod iisdem legibus in civitate utuntur. Sunt enim alia aliis iura propria, partim *publica*, i. e. cum civitatis, in qua sunt, constitutione coniuncta, partim *privata*, i. e. iure communi civium nata. Ex illo genere sunt v. c. iura ordinum civitatis, et alia, quae definiunt modum, quo collegia in civitatem adscripta sunt, privata sunt bonorum, quae iure civium parta sunt, aedes, praedia et similia. Horum omnium singulare, non commune omnibus, ius est. Itaque quum novum corpus in civitatem recipiendum est, id fieri non potest sic, ut illa corpora, quae iam habuerunt civitatem, iuribus suis exuantur; imo si nulla alia conditione recipi illud posset, ipsa iustitia postularet, ut non reciperetur. Potest autem recipi hac conditione, ut *eadem lege in civitate utatur* in rebus omnibus, quas alter nondum iure suo obtinet. Haec vero est paritas iurium; nam pari quisque iure utitur in sua causa,

ion in causa aliena. Quod probe intellexerunt iustissimi principes, qui foedus Germanicum inierunt. Iura paria esse voluerunt, sed non omnia communia, sed ea tantum, quae ipsi *civilia* et *politica* dixerunt, i. e. quae supra diximus omnibus civibus communia esse posse ac debere. Quae quamquam non singula enarrata sunt, hoc tamen certum est, tantum de iuribus *singulorum* eos cogitasse. Nam de *ecclesiarum* iuribus dicere consulto omiserunt *): quamquam manifestum est, eos rata haberi voluisse omnia iura evangelicorum **). Sed illa iura civilia et politica nulla alia sunt, quam quae civibus omnibus, tamquam subditis eius civitatis, in qua vivunt, competunt. Quod autem civilia et politica iura distinxerunt, id non vereor, ne quis sic interpretetur, ut civilia iura dicat esse privata singulorum, politicis autem ipsius ecclesiae publica iura innui putet. Etenim *civilia* sunt, quibus quisque fruitur in ea civitate, cui subiectus est, *politica* sine dubio ea dicuntur, quibus constat potestas ad munera publica in civitate adspirandi ***). Ambigue eos loquutos esse, nemo mira-

*) Vid. Klüber *Uebersicht der diplom. Verhandlungen des Wiener Congresses* P. I. p. 489 sq.

**) Sic enim scribere legem voluerunt: *die katholische Kirche in den teutschen Bundesstaaten wird eine ihre Rechte und Dotation sichernde Verfassung erhalten. Eben so werden die Rechte der Evangelischen, in jedem Bundesstaate, in Gemässheit der Friedensschlüsse, Grundgesetze oder anderer gültigen Verträge, aufrecht erhalten.* Klüber *Acten des Wien. Congr. Tom. II.* p. 471. 476. 490. Legatus Borussiae hanc formulam suaserat: *Die Rechte der Evangelischen gehören in jedem Staate zur Landesverfassung und ihre auf Friedensschlüssen, Grundgesetzen oder andern gültigen Verträgen beruhenden Rechte sind dem Schutze des Bundes anvertraut.* Utinam alterutram formulam recepissent; quod cur non fecerint, imo cur priorem, iam probatam, (d. II. Iun.) sex diebus post defatigati cavillationibus extinxerint, dici non potest. A suspicionibus merito abstinemus. Vid. Klüber *Uebersicht* etc. p. 448 sq. Longe alia causa fuit civitatis Francofurtensis. Nam quum ecclesia catholica, quae in ea urbe est, petiisset, ut constitueretur civitas „*nach dem Grundsatze unbedingter politischer Gleichstellung der drey christlichen Confessionen*", art. XLVI. constitutionum Vindobon. ita scriptum est: *Ses institutions seront basées sur le principe d' une parfaite égalité des droits entre les différens cultes de la religion chrétienne. Cette égalité des droits s' étendra à tous les droits civils et politiques, et sera observée dans tous les rapports du gouvernement et de l' administration.* Tunc enim agebatur de lege, qua Francofortum in numerum civitatum foederis Germanici reciperetur.

***) Eadem distinctione usus erat sagatus ille pacificator *Posoniensis*. Sed eodem, quem diximus, sensu, verba accepta esse, eventus docuit. Quidquid sit, de *Ecclesiae* iuribus constituendis in illo articulo non cogitarunt, imo maxime caverunt, ne verbis uterentur, quibus illa de ecclesiarum constitutione quaestio moveretur. Tantum de

bitur. Quae quum ita sint, frustra illam iurium paritatem obtendunt impotentiae suae, et providebit iustitia principum, ne iuris aequitas in summam civium iniuriam vertatur.

Sed quoniam solent magnifice loqui de maiestate divina ecclesiae, et, quasi nobis Spartam non invideant, quum ipsis Roma obtigerit, sibi, qui soli sunt ecclesia, illa iura repetunt, quae ecclesiae, omnium iurium dispensatrici et fonti, divinitus data, a nobis autem temere abiecta sint, operae pretium facturus videor, si veram ecclesiae evangelicae de potestate ecclesiastica sententiam breviter exposuero. Quod ut faciam, monet me etiam quorundam e nostris ratio, et status ipsius ecclesiae evangelicae, qui naturalis auctoritatis rarissima vestigia prodit. De quo multi quidem viri boni frustra conquesti sunt, et iam eo res devenisse videtur, ut sibi quisque omnia licere putet, et iuribus, quae numquam cessit cuiquam ecclesia evangelica, immodice utatur. Itaque nos quoque recordari oportet, quam potestatem ecclesia nostra omni studio tenere debeat.

Constat autem, sententiam *de potestate ecclesiastica* pluribus librorum symbolicorum locis expositam esse, sed inprimis in Aug. Conf. articulo postremo et in appendice articulorum Smalcaldicorum. Sed in utroque loco quamvis satis subtiliter Melanchthon disputavit, tamen e re esse videtur, ut totam disputationem in singulos locos conferamus. Est autem duplex huius rei argumentum, primum, ut iustis finibus circumscribatur potestas ecclesiastica, deinde ut defendatur ab iniuriis aliorum. Sed ante omnia causam ipsam accuratius definire necesse est.

Quemadmodum omnis naturalis potestas vel hominum singulorum vel societatum et collegiorum ex ipsorum natura nascitur, ita etiam ecclesiasticae potestatis fons et principium in ipsius ecclesiae natura oriatur necesse est. Sed haec ipsa totius disceptationis causa fuit, quod naturam ecclesiae ignorarunt, imo quod ecclesia se ipsam saepe ignoravit. Neque id mirum cuiquam videri potest. Etenim ecclesia talem originem habuit, quae uti divini numinis providentiam luculentissime ostendit, ita vero etiam hominum iniuriis amplissimum locum dedit: omnia enim, et divina beneficia maxime, pervertuntur studiis hominum. Itaque

singulis civibus provisum est. Voluerunt enim, ut singuli cives illis iuribus, nulla ratione confessionis habita, uterentur.

amquam de origine ecclesiae nemo dubitare potest historiae :lesiasticae peritus, iuvat tamen ea in memoriam revocare, quon oblivio in causa, quam agimus, plurimum obfuit.

Si ecclesiam vocamus societatem, religionis vinculo iunctam *ibusque externis* constitutam, concedendum est, Christum, donum nostrum, ecclesiam ipsam non condidisse. Nam neque les dedit, quibus homines, πιστεύοντες εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, rerentur, neque socialia iura constituit, neque de civilis et ecclesticae potestatis finibus praecepit; neque id Apostoli fecerunt. .que externa societas, diversa a civili societate, ab initio nulla t; et quamquam singulae ecclesiae iam primis seculis utebantur ;ibus quibusdam et institutis, tamen neque commune externum sculum erat, neque legum auctoritate *unius ecclesiae* forma nstituta, imo singulae a magistris suis paterno amore regeban-, ipsae magistris sponte obtemperabant; nullus magistratus perabat, quomodo res suas regerent, christiani magistratibus, a deo datis, non necessitate, sed reverentia dei, parebant, que ab iis requirebant aliquid amplius, quam ut verum deum lere, et bonorum civium iuribus frui liceret. Haec ecclesiarum nditio fuit, donec Constantinus ad sacra christiana transiisset*). enim auctas mirum in modum societates christianorum non sibi inquendas esse putabat, sive quod prodesse iis ex animo cuet, seu quod ad novum rerum romanarum afflictarum ordinem ferre posse intelligeret religionem novam, quum idololatriam lum fractam et ad civitatem sustinendam prorsus ineptam vict. Ab eo tempore ecclesia christiana *statum publicum* in imio romano nacta est, et societatis externae formam et leges epit. Quid postea factum fuerit, omnes norunt: crevit in imnsum basilica Petri, tantumque vicarius Christi, seculorum desu, ignorantiae, superstitionis, impotentiaeque beneficio exor-, imperium accepit, ut non solum universae ecclesiae praeesset,

*) Monarchiae ecclesiasticae nullum vestigium; neque post Conantini tempora statim apparuit; serius crevit occulto velut arbor vo. Sed hoc quoque historia manifesto docet, impp. Romm., qui quuti sunt Constantinum, nullum sibi imperium in ecclesiam arrosse, quale nunc iure suo habere principes a nonnullis affirmatur. lamquam enim leges de religione servanda tulerunt, tamen alieni ant ab episcopali auctoritate sibi vindicanda, neque eam jam tunc laturi ssent clerici. Praeterea neque ius oritur arrogantia singulorum, que omnino potestas ecclesiastica historice definienda est. Nihil enim empla valent, ubi de iure et iustitia agitur.



ipsi principes intelligerent. Sed quid evenerit,
Itaque hoc tantum commemorabimus, quod a nost
ut et res ecclesiae, et ipsorum principum maiestas
Scilicet hoc unum egerunt, ut veram potestatis ec
turam ostenderent, ut Caesari redderent, quae sunt
siae tantum, quae dei sunt, reservarent. Atque
mentum articuli postremi Augustanae confessionis
ptimo quidem articulo de Ecclesia dixerant, ut ve
ram ostenderent, et quibus signis vera ecclesia c
set, declararent, sed disputationem de potestate e
rito in eum locum reiecerunt, in quo de abusibus
vioribus vitio temporum receptis dicendum erat.

In principio igitur distinguitur potestas eccle
testas gladii, nam ex utriusque commixtione om
erant. Itaque ostenditur, ecclesiam habere nullam
tem, quam in mandato dei, praedicandi Evangelii
retinendi peccata et administrandi sacramenta, ut
piant non res corporales, sed res aeternas, iust
Spiritum sanctum et vitam aeternam, eamque pote
tantum per ministerium verbi, ideoque non impedir
ministrationem, quae circa alias res versetur, qua
Nam si quam habeant Episcopi potestatem gladii,
habere ex mandato Evangelii, sed *iure humano, a*
gibus et Imperatoribus ad administrationem civil

onis, quia sufficit ea legere, ut, quid de fonte ecclesiasticae testatis sentiendum sit, et qui sint utriusque fines, recte intelatur. De singulis deinceps dicendum est, ne obtrectationibus ːus relinquatur. Simulant enim se ignorare, quid nos de divina igine et potestate ecclesiae sentiamus, ut nuperrime quidam, men Evangelici in Borussia mentitus, commenta hominum cum rinis institutis a nostris theologis commisceri dixit. Scilicet od affirmamus, ea instituta humana, quae contra ius et fas in clesiam recepta fuerint, non amplius valere, postquam error iniuria, quibus originem debebant, detecta sint, neque chrianos vituperari potuisse, qui, quum e scriptura sacra istarum rum vanitatem intellexissent, eas missas fecerint, dixit, nos nnia iura labefactare, neque principibus neque ecclesiae quidam maiestatis supremae relinquere, sed omnia divina et humana ngulorum hominum arbitrio permittere. Sed id ipsum ne fiat, clesiasticam potestatem iustis limitibus circumscribendam esse cimus; nam immodestia iniuriam, iniuria odium parit: quae iustum odum excedunt, ea per invidiam, metum, ipsamque aeternae stitiae ultionem tandem certissime pereunt.

Primum igitur manifestum est, nostros utriusque potestatis ıtes *a Deo* repetiisse. Diserte enim dicunt, *utramque propter andatum dei religiose venerandam et honore afficiendam esse, mquam summa dei beneficia in terris*, et paulo post: discernt nostri utriusque potestatis officia, et iubent utramque honore icere, et agnoscere, *utramque dei donum et beneficium esse.* ; de potestate gladii quidem nos honorificentius quam adversas sentire, iam ex eo manifestum est, quod nos quidem nullam vilem potestatem affectamus, hi autem omnis potestatis, civilis ıoque, originem ab ecclesia, seu potius a vicario Christi, repent, a quo imperator et reges omnes accipiant potestatem et s tenendi regna de mandato Christi. Hanc Pontificum Romarum sententiam fuisse universa historia a Gregorio VII. usque Sec. XVI. luculenter docet *). Quod si postea modestius lo-

*) Vid. *Melch. Goldasti Monarchia S. Rom. Imper.* Tom. I. p. —18. sq. Tom. II. p. 314. sq. Conf. Martini Meyeri, Cancellar. Mogunt. istola d. a. 1457. ad Aeneam Sylvium in huius Opp. p. 1035. Saxoniae incipes quam prudenter semper caverint, ne subditi sui externis iuribus i cogerentur, docet Guilielmi III. Duc. Sax. (Alberti, a quo gens xon. Reg. originem ducit, avunculi), edict. d. a. 1446. in quo etiam ec leguntur: *Item es sind bisher durch die Inwohner unser Lande*

quuti sunt, dira necessitas eos coegit cautius mercari. Sed non mutasse eos sententiam, docet ipsa Synodus Tridentina, (Sess. XXV. Cap. XVII. XIX. XX.) docet Bulla in Coena Domini (a. 1627.) docent controversiae de quatuor articulis ecclesiae Gallicanae *), docet Clementis XI. vehemens adversus regiam dignitatem Frider. III. Elect. Brandenb. oratio (a. 1701.) **) eiusdemque controversia cum Iosepho I. Imp. German. ***) docent denique edicta Caroli VI. ipsiusque Mariae Theresiae ****). Sed quid multa? Satis est, nostram ecclesiam semper sine omni exceptione docuisse, potestatem civilem a Deo ius et originem habere. Sed neque de spirituali Ecclesiae potestate minus honorifice nos sentire, ex illis, quae supra posuimus, verbis luculenter apparet. Scio quidem, esse haud paucos, qui secus statuant, omnemque ecclesiasticam potestatem ab ipsis principibus repetendam esse putent. Neque mirum fuerit, si haec sententia multis placeat, sive quod sic magis tutam Ecclesiam fore putent, sive quod eius auctoritate, si non a Deo sit, suo iure, ut velint, ad res civiles componendas uti possint. Sed nescio sane, an non hoc gravius malum dicam, quum adversus Pontificum Romano-

vil auslendische Gerichte gesucht, das den Landen eine Unere v. auch grossen Schaden v. merklich Verterbenis ist, nu dem vorbas zu bewarne, so haben wir gesagt v. bestallt, dass vorder me kein Einwohner unser Landen v. gebiete niemanden vor kein usslendische Gericht, es sei geistlich oder weltlich, ziehen oder forden soll, umb keinerlei Gesache, wie die gesein mag.

*) Vid. *Iac. Ben. Bossuet Defensio declarat. quam de potestate eccles. sanxit clerus Gallicanus. Luxemb. 1730.* Quoniam de his articulis nova controversia his ipsis diebus mota est, iuvat, primum adscribere, qui sic habet: *Beato Petro eiusque successoribus, Ch[risti] vicariis, ipsique ecclesiae rerum spiritualium et ad aeternam [sa]lutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, [a Deo] traditam potestatem, dicente Domino: regnum meum non [est de] hoc mundo — Reges ergo et Principes in temporalibus nulli [eccle]siasticae potestati dei ordinatione subiici, neque auctoritate [cla]vium Ecclesiae directe vel indirecte deponi aut illorum subditos [...] a fide et obedientia ac praestito fidelitatis sacramento solvi [...]* Legenda sunt, quae Bossuetus, Luthero minime favens, scripsit [...] tom. I. p. 93 sq. Nota est Iesuitarum sententia, Apostolos prin[cipi]bus secularibus de facto non de iure subiectos fuisse.

**) *Clement. XI. Oratio in Consist. secreto* a. 1701. p. 5. 6. [...] Vid. *Ioh. Pet. Ludwig Päpstlicher Unfug wider die Krone Pr[eus]sen.* Sub Friderico II. Rege Borussiae demum sublata est controv[er]sia. *Berlin. Monatschr.* 1786. m. Aug. p. 116 sq.

***) Vid. *Clement XI. Epist. et Brev. minor.* p. 347. sq. Ei[us] Bulla d. a. 1707. in Opp. p. 134 sq. *Fabri Staatskanzley* Tom. [...] p. 629.

****) Vid. *Pragmat. Gesch. der Bulle in Coena Dom.* T[...] p. 75. sq. et *Histor. Gemälde der Politik des Röm. Hofs. S.* 15[...]


m impotentiam ipsi se principes defensuri sint. Quam vero em Ecclesiae reliquam esse dicamus, si desinant agnoscere di- iam eius auctoritatem, si eam inter humana instituta habeant, ibus civilis prudentia, ut e re sit, uti possit, si spiritualem testatem omnem ad humanae sapientiae vim in animis hominum lucant, denique si illam regulam sequantur, *cuius regio sit, is etiam ecclesiam esse.* Illi videant, quomodo aliquando ra- nem sint reddituri deo; nos ecclesiae nostrae sententiam, dum ristiani revera haberi cupimus, constanter teneamus, Ecclesiam testatem suam a Deo, non minus quam imperia civilia, habere, lemque iure utramque exerceri. Nec vereor, ne dicant, de gine divina Ecclesiae non ita constare, ut potestas eius a Deo eti possit. Haec vox enim illo Pontifice digna foret, quem isse narrant: haec fabula de Christo multum nobis profuit. Sed i discrimen esse dicunt, quale sit, ostendant. Nam quum le- ima imperia etiam infidelium esse concedant, et iniustis quoque, qui sint, principibus obtemperandum esse dicant propter deum, ilis maiestatis originem certe nullo alio modo et iure referre deum possunt, quam quo nos Ecclesiae, et potestatis spiri- lis quam ea habet, auctorem dicimus esse deum. Et si ius cto constaret, certe necesse esset, ut ostenderent, Ecclesiam testatem illam, quam sibi vindicat, civilis imperii auctoritate cepisse. Quod quum nequeant ostendere, (prius enim Ecclesia ipso Domino potestatem spiritualem acceperat, quam orta erant ilia imperia, quibus nunc, divino beneficio, regimur,) conce- e eos oportet, utramque potestatem certe eodem iure a deo tendam esse. Postremo, quod in scriptura et ipse Dominus Apostoli gravissime monent, ut omnes obediant magistratibus ter Deum, id nos quidem aeque concedimus et docemus, at- negamus, Ecclesiam iure divino esse iudicem in rebus civi- s, sed hoc non eo valet, ut ipsius Ecclesiae, quam habet a , potestas tolli possit.

Sed res postulat, ut, quae sit haec potestas, e sententia esiae nostrae accuratius explicemus. Priusquam autem id fa- mus, necesse est, ut de duplici Ecclesiae natura dicamus, quae solum a Pontificiis confunditur, sed etiam a nonnullis nostrum discernitur, ut altera nihil nisi forma inanis et φάντασμα videatur. Scilicet dicunt, duplici ratione considerandam esse lesiam, partim ex se et natura sua spirituali, partim ex ra-

tione et forma civili. Quod discrimen nos quoque diligenter custodiendum esse censemus, sed dubitamus, an ab omnibus recte observetur. Itaque dabunt mihi hanc veniam lectores, ut me paullo altius orationem repetere patiantur. Ecclesiam duplici sensu dici satis constat. Dicitur enim *invisibilis*, interna, spiritualis, i. e. societas fidei et spiritus sancti, in cordibus, ut Melanchthon dixit, (Apolog. p. 144.) dicitur *visibilis*, externa, i. e. externarum rerum et rituum societas. Atque invisibilis quidem illa una est, sancta, in perpetuum mansura. Sed quamquam de singulis membris eius tantum dei est iudicare, an sint vera membra Christi, tamen habet ea externas notas, ut agnosci possit, videlicet puram Evangelii doctrinam et administrationem sacramentorum, consentaneam Evangelio Christi. Visibilis autem est societas externa hominum, inter quos multi esse possunt mali, verae ecclesiae secundum ritus externos tantum socii. Invisibilis est communio spiritus sancti, visibilis est societas, quae habet inter se communionem Evangelii et sacramentorum: utriusque caput est Christus. Recte igitur intelligunt, hoc loco, ubi de potestate ecclesiastica quaeratur, non de invisibili, sed de visibili ecclesia sermonem esse, sed hanc visibilem eo loco habent, ut ea tota civilis tantum societas esse videatur, cuius nulla sit potestas, nisi quam principes ei concesserint. Quae sententia, quamquam multis iuris ecclesiastici *) magistris placuit, et nunc maxime commendatur, falsa tamen est, et naturae Ecclesiae contraria, gignitque non minoris periculi impotentiam, quam Pontificis Romani arrogantia. Est enim quidem visibilis ecclesia, societas externarum rerum et rituum, sicut aliae politiae, sed ideo non sequitur, eam omnem esse societatem, quae nullum aliud ius habeat, quam quod civile imperium ei concedere voluerit. Nam quemadmodum sunt etiam civiles quaedam societates, quarum natura necessario fert, ut iura quaedam habeant, quae si negentur, ipsa tollatur natura societatis, neque in arbitrio nunc positum sit, quibus legibus in civitatem recipiantur: ita etiam ipsa natura Ecclesiae quaedam iura postulat, eaque sic necessaria, ut minime sita sint in potestate civilis imperii, quod dare ea non potest, quoniam ea habet Ecclesia, si nolit concedere, nihil reliquum ei est, quin nos

*) Ius *ecclesiasticum* dici moneo, quod est ecclesiae evangelicae: est enim situm in natura ecclesiae. Illud *canonicum* dicant, quod constat canonibus et decretis humanis. Vulgaris nominum confusio rerum ipsarum rationem perturbavit.

recipiat. Neque enim de civilibus iuribus quaerimus, quae neque natura sua habet Ecclesia, neque necessaria sunt ad summum eius finem obtinendum, quae non ita arrogantes sumus, ut negari a principe non posse dicamus. Posset v. c. princeps ecclesiam quandam recipere hac lege, ut non liceret ei bona acquirere, haec enim ut habeat ecclesia, natura eius non necessario postulat, quamquam christiani principis est, ut eam publicis, i. e. civium christianorum sumtibus alat. Hactenus igitur concedimus ecclesiam visibilem non differre ab omnibus aliis societatibus, quae in civitatem adscriptae sunt. Sed habet tamen Ecclesia iura quaedam; cum sua natura coniuncta, quae neque expetenda sunt a civitate, quia in eam afferuntur, neque negari possunt, quia alioqui desineret esse ecclesia. De rebus aliis nemo dubitat, tantum de Ecclesia ita sentiunt, quasi omnis in civitate intereat. Civitate aliquis donatur; nemo dubitat, quin etiam libertate donetur, imo quin liber maneat; fuit enim liber, neque civis est, qui est mancipium. Collegium opificum receptum est; ergo receptum est hoc suo iure, ut opificium exerceat: civilis potestatis, si recipi decretum est, hoc unum est, ut videat, ne quid detrimenti res publica capiat. Sed haec adeo sunt manifesta, ut verear, ne sint, qui haec exempla non necessaria, nec satis digna Ecclesiae maiestate putent. Et potuissem sane splendidiore uti exemplo, cuius me ipse hic locus et huius urbis decus, et munus, quod iam per annos XXXI. gessi, monere videbatur. Sed verebar, ne ambitiosius videri posset, si de iuribus Universitatis literarum dixissem. Itaque mittamus exempla; res ipsa loquatur. Est enim Ecclesia societas quidem externa, ideoque iura quaedam accipere a civili imperio potest; sed habet etiam sua iura, quae neque dari aliunde, neque negari possunt, sed ei ita propria sunt, ut iis sublatis ipsius ecclesiae natura tollatur. Haec dicimus, quae Dominus ipse dedit, quum daret mandatum docendi evangelium, quum constitueret alios apostolos, alios prophetas, evangelistas, pastores et magistros ad ministerium perficiendi sanctos ad exstruendum corpus Christi (*Eph. IV, 11.*). Aut concedant, Ecclesiam habere potestatem quandam, priorem et superiorem iuribus humanis, aut negent, eam esse divinitus institutam. Nam quae cum isto mandato necessario coniuncta sunt, ea non humani iuris sunt, sed divini, neque ea sunt in ipsius Ecclesiae arbitrio, ut liberum ei sit, iis cedere, aut ea relinquere aliis, qui non habent



nomine iussit Apostolos docere Evangelium. Er
est, prospicere de modo, quo ad singulos illud
ratur; sed definire modum, quo Ecclesia curet,
fidei et spiritus sancti in cordibus oriatur, non
sed iuris divini. Nam quemadmodum ipsae litera
quid, sed ad mentem et animum referendae, ideoq
dae, qui eas fideliter et ipsi didicerunt, et aliis r
sunt, licet magistratus civilis sit, videre, ne qu
iis, qui tradunt eas publice, res publica capiat,
imperium hoc ius habet de singulis prospiciendi;
id, cuius causa Ecclesia condita est, non in illius
sed ab ipsa Ecclesia curandum est. Sunt enim qu
qui putent, Ecclesiam hoc ius suum divinum, i. e. i
quod ex consilio Christi efficiendum est in Eccl
cipi tradidisse, hunc summum ius in Ecclesiam h
summum Episcopum, in eum omnia iura Ecclesia
quod terrae, in qua est ecclesia, dominus sit, siv
episcopi Romani auctoritate excussa, iura episc
sponte permiserit. Sed huius sententiae vanitas
subtiliter demonstrata est *), ut nos quidem hoc
termittendam esse censeamus. Quae quum ita
invisibilis illa ecclesia, sed etiam visibilis, quamq
externarum rerum et rituum, propria iura sua h
sunt in potestate civitatis, sed aeque sancta sunt

civilem, i. e. quum in rebus civilibus, i. e. iis, de quibus nullum habet mandatum Dei, non subiecta est legibus civitatis, sed alieno iure utitur. Sed quum dicamus, in eiusmodi rebus Ecclesiam suo iure nullam potestatem habere, haec perversa rerum ratio tollitur, neque relinquitur quidquam Ecclesiae, quod non habeat ex mandato Christi et iure divino. Nolumus Ecclesiam esse civitatem, sed nolumus quoque civitatem esse Ecclesiam; nolumus civitatem esse subiectam Ecclesiae in rebus civilibus, sed nolumus quoque Ecclesiam subiectam esse civitati in rebus his, de quibus habet mandatum Christi. Quemadmodum ipse princeps, ut membrum ecclesiae, ei subiectus est in his rebus divinis, licet, quum de rebus civilibus agatur, singulis ecclesiae membris iure summo imperet, ita etiam singula quidem membra Ecclesiae subiecta sunt principi in rebus omnibus civilibus, licet Ecclesia iure suo libera sit ab imperio civili in rebus divinis.

Nunc eo devenimus, ut de singulis potestatis ecclesiasticae iuribus, quae in articulo Aug. Conf. enumerata sunt, deinceps dicamus. Quod, quum huius libelli angustiae non capiant hanc disputationem, proxime faciemus.

P. II.

Postquam ecclesiae nostrae sententiam de origine et finibus ecclesiasticae potestatis exposuimus, consequitur, ut doceamus, quae huius potestatis partes sint, et quae ex ea iura nascantur. In qua disputatione eam rationem modumque sequemur, quem ipse articulus Aug. Conf. monstrat, ne in re tam gravi opinionibus nostris indulsisse videamur. Quod si quis dicat, totam hanc causam non ex librorum symbolicorum auctoritate pendere, sed certa ratione iuris expendendam esse, lubenter hoc quidem concedamus, si id agatur, ut societas aliqua, quam ecclesiam appellant, humana lege constituatur. Nam quemadmodum omnis iuris constituendi exordium ab illa summa lege capiendum est, quae seculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas constituta, sed quae est ipsa ratio summa insita in natura, (*Cicero de Legg.* I. 6.) ita etiam dubitari non potest, quin societatum, quae hominum consilio oriuntur, omnium, ius ex eadem aeterna iustitiae lege repetendum sit; neque veremur, ne causa

Ecclesiae periclitetur, si quis, in iuribus eius constituendis, ista summa ratione utatur; imo maxime necessarium est, ut, quae iura Ecclesia sua natura et sponte habeat, tandem plane intelligatur: quod vero fieri non potest, nisi ipsius Ecclesiae naturam perspexerimus. Sed haec ipsa perversa ratio est, quod, quum omne ius a lege scripta repetant, neque naturam Ecclesiae, ab ipso deo ortam, ferre possunt, sed eam ipsi creare cupiunt, ut, quodcunque ei ius aut concesserint aut negaverint, iure suo summo egisse videantur. Quam rationem si sequi velint, videant, quam societatem condituri sint, modo ne eam appellent ecclesiam Christi. Haec enim ab ipso Domino mandatum et munus accepit, in quo colendo efficiendoque ipsa eius potestas cernitur; ex qua iura quaedam oriuntur, quibus negatis sublatisve ipsius Ecclesiae natura tolleretur: sunt enim necessaria, quoniam ademtis iis mandatum illud divinum effici non potest. Haec igitur omnia ordine deinceps exponamus. Sunt autem haec tria, quibus potestatem ecclesiasticam Melanchthon descripsit, videlicet mandatum dei praedicandi evangelii, remittendi et retinendi peccata, et administrandi sacramenta. De quibus singulis ita dicemus, ut et qualia sint, et quae iura requirant, e sententia ecclesiae nostrae doceamus.

Sed priusquam id fieri possit, necesse est, ut speciem inconstantiae, quae in hoc articulo sese offert, dispellamus. Nam quod in eo loco, quem modo attulimus, commemoratur mandatum *remittendi et retinendi peccata*, id paulo infra silentio praetermittitur, ubi scripsit Melanchthon: ecclesiastica potestas suum mandatum habet, evangelii docendi et administrandi sacramenta. Ex quo verendum est, ne quis eorum qui omni iurisdictione ecclesiam arcere cupiunt, calumniandi occasionem arripiat. Nam illud quidem mandatum lubenter se Ecclesiae concedere simulant, cui aut se ipsos impares esse sentiunt, aut neque honoris quidquam neque ambitionis inesse vident; sed quum iurisdictionem ecclesiasticam audiunt, irascuntur, quasi nos imperium civile affectemus. Sed verba corrigamus: habeant igitur sibi iurisdictionem suam, nos in posterum tantum de *disciplinae ecclesiasticae* exercendae potestate loquamur: fortasse aequiores iudices nanciscemur. Haec vero potestas, quam potestatem clavium olim dixerunt, a Melanchthone non praetermissa est. Nam illo loco tantum non commemorata est, quoniam mandato docendi evangelii

et administrandi sacramenta exercetur. Et paullo post, quum de iurisdictione ecclesiastica loquitur, (pag. 39.) diserte dicit, eam constare mandato remittendi peccata, et impios, quorum nota est impietas, excludendi a communione Ecclesiae, *sine vi humana, sed verbo.* De quibus omnibus nos infra dicemus, sed tertio loco, quia hoc Ecclesiae munus reliquis continetur.

Prima igitur pars potestatis ecclesiasticae constat mandato *docendi evangelii*, de quo non una est nobis disceptatio. Pontificii enim totum hoc mandatum, quod habent omnes ministri ecclesiae divino iure, ad episcopum Romanum ita referunt, ut non solum huius unius auctoritate omnes ministri ecclesiae istud mandatum accipiant, sed etiam tantum ex arbitrio eius defungi eo debeant. De quo Melanchthon graviter dixit in articulo eo loco, ubi de episcoporum potestate disputavit (pag. 40.) docuitque episcopos nullam habere potestatem, docendi aut imperandi quidquam contra evangelium. Neque in obscuro reliquit, quid sit evangelium docere. Docet enim et hic articulus (pag. 42.) et art. V. de iustificatione, quae sit summa Evangelii, i. e. doctrinae de gratia dei propter Christum, docet tota Evangelicorum cum Pontificiis disceptatio atque contentio. Est enim quidem vulgaris plerumque opinio, hanc unam esse sempiternae discordiae causam, quod Pontificii doctrinam christianam non e sola scriptura repetant, neque unquam missas facere possint traditiones suas, quibus defendant, quae non habent fundamentum in scriptura sacra. Et ipsi Pontificii tanto impudentius scripturae auctoritatem minuunt, quum videant nonnullos nostrum parum abesse, quin dicant, ipsos libros sacros e mera traditione ortos esse *). Sed Pontificii non tam atrociter negarent, quod nostra ecclesia affirmat, doctrinam Evangelii, universamque salutis per Christum partae rationem, tantum e scriptura sacra cognoscendam hauriendamque esse, nisi ipsorum commentis, quibus, tamquam utilibus ad promovendam gratiam, et satisfactoriis pro peccatis, christianorum animos implicant, hic unus evangelii locus obstaret, quod

*) Non vereor, ne sint, qui haec de istis omnibus dicta putent, qui de origine Evangeliorum docte et subtiliter disputarunt. Sed norunt omnes, hos longe abfuisse ab eorum temeritate, qui levissimis suspicionibus nisi, de authentia librorum sacrorum ita iudicarunt, ut nihil reliquum esse videatur, quin nos in sententiam eamus pontificiorum, et traditioni apostolicae, a matre ecclesia conservatae plus etiam quam libris sacris confidamus.

gratiam per fidem in Christum gratis consequamur, non propter certas observationes aut propter cultus ab hominibus institutos. Quidquid enim habent ex traditione sua, missa, ieiunia, feriae, indulgentiae, purgatorium, ipsa summi Pontificis suprema maiestas, et quae sunt alia, ad promerendam gratiam ecclesiae dei imposita, ea omnia ista una evangelii voce, quasi coelesti fulmine tacta, collabuntur. Si in uno scripturae loco legerentur ista omnia, quae illi dicunt salutis causa credenda, et ad promerendam iustificationem facienda esse, non dubito, quin missam facturi sint traditionem, ut nos nostra confessione iugulent, et ad matrem ecclesiam redire cogant. Sed cur non ipsi redeant potius ad evangelium, manifestum est. Scilicet rebus illis, quibus obscurata est doctrina evangelii, sublatis, corruet basilica Petri, dilabetur monarchia ecclesiastica, christianis a laqueis conscientiae liberatis, nullus avaritiae, ambitioni, impotentiae locus relinquetur, denique redibunt omnia ad gratiam dei, cuius dispensatores et vindices neque homines, neque sancti aut angeli constituti sunt, secundum evangelium. Itaque nos constanter hoc, tamquam summum ecclesiae evangelicae munimentum, teneamus, docere evangelium nihil aliud esse, quam tradere doctrinam coelestem de gratia dei propter Christum per fidem consequenda, docere, quomodo ea fides largiatur novum spiritum, ut deum ex animo diligere, legibus divinis obtemperare, et vera bona opera, mandata a deo, non metus aut lucri causa, sed ex dilectione dei facere possimus, ut crescat magis magisque Ecclesia, non habens maculam aut rugam aut aliquid tale, sed sancta et inculpata, augeaturque communio sanctorum, qui habent inter se societatem evangelii, sed etiam eiusdem spiritus sancti, qui corda eorum renovat, sanctificat et gubernat. (*Apolog.* pag. 145.) Haec ideo disputavimus uberius, quod adversarii quoque gloriantur, se evangelium docere, ut, cuius mandatum curent aut negligant, intelligatur. Nunc ad rem nostram redeamus.

Etenim si illud, quod modo descripsimus, mandatum tradendi evangelii a deo est, sequitur, non hominis esse imperare, quid docendum sit in Ecclesia. Nam quum ne ipsa quidem ecclesia tradere aliud evangelium possit, quam quod accepit a Domino, quo tandem iure sibi hoc arroget quispiam, ut edicat, quid pro evangelio docendum sit. Neque enim Lutherus, Zwinglius, Calvinus aliique instauratores doctrinae evangelicae hoc sibi ius ar-

rogarunt: (videor enim mihi audire quosdam horum virorum exempla exprobrare:) non sibi, neque episcopis, aut Ecclesiae, sed scripturae sacrae fidem haberi voluerunt, qua dum omnes christianos uti iusserunt, luculenter monstrarunt, nullum se aliud evangelium tradi velle in Ecclesia, quam evangelium Christi. Sed illi tamen suo ingenio, ut tunc quidem poterant, interpretati sunt scripturam, suamque interpretationem et ipsi pro vera habuerunt et aliis commendarunt; ergo ipsi, quid pro evangelio habendum esset, docuerunt. Fecerunt id quidem, sed supremum iudicem, scripturam sacram, ipsi monstrarunt. Omnino saepe miratus sum, qua ratione fiat, ut, quum de nullo alio libro recte intelligendo desperent, solam scripturam negent ita intelligi posse, ut veram Christi et Apostolorum sententiam cognoscamus. Nam quod accidit in libris omnibus, ut quaedam loca difficilius intelligi possint, id non tantum valere in sacris libris potest, ut in paucissimorum intelligentiam cadere videantur. Tametsi igitur in quibusdam locis errari potest, tamen universa evangelii doctrina ex mente virorum sacrorum intelligi recte potest ab omnibus, qui ad quemvis alium librum legendum apti sunt. Itaque quoniam cavendum est, ne opiniones hominum plus, quam par est, in re tam gravi valeant, docemus, quemlibet hominem christianum habere ius legendi scripturam sacram, ut ipse pro viribus doctrinam evangelii cognoscat. Sed hoc ipsum recusant Pontificii, nulla alia de causa, quam quod sciunt, longe aliam rationem consequendi iustitiam dei in libris sacris tradi, quam ipsi hominibus monstrare solent. Quare ius explicandi scripturam, ecclesiae, quam illi quidem dicunt, i. e. Pontifici Rom. eiusque ministris *), vindicant. Verum est, neminem explicare scripturam posse, nisi rerum necessariarum scientia imbutum; et lubenter concedimus, a doctrina divina eorum imperia arcenda esse, qui, quamvis aut civili prudentia, aut virtute bellica excellant, tamen a ministris ecclesiae

*) *Die mit ihrem sichtbaren Oberhaupte vereinigten Bischöfe nennet man auch gewöhnlich mit einem Worte die Kirche.* Vid. *Ignatii Michl Grosser Katechismus für die grössern Schüler der katholischen Schulen in Dresden.* Dresdae 1803. p. 58. *Sanctam* esse solam ecclesiam catholicam, in eodem libro p. 70. sic probatur: *Keine andere christliche Gemeinde kann ein Wunder aufweisen, welches Gott zum Zeugnisse der Heiligkeit eines ihrer Mitglieder gewirkt hätte, keine kann also behaupten, dass eines ihrer Mitglieder heilig geworden sey, und deswegen kann auch keine behaupten, dass sie heilig sey.*

discere potius quam eos docere debeant. Sed neque ipsis ministris ecclesiae singulis ius concedi potest, constituendi doctrinam evangelii, aut praecipiendi, quid pro evangelio tradendum sit in Ecclesia. At quaerat aliquis, et quaerent fortasse multi, quis tandem hoc praecipere debeat, quum non ipsa ecclesia docere possit, sed in ecclesia doceatur evangelium ab hominibus singulis, qui ut recte doceant, omni studio providendum sit. Video, imo et hoc intelligo, librorum symbolicorum auctoritatem mihi opponi posse. Enimvero libros symbolicos satis constat, ex nostrae quidem ecclesiae sententia, non habere auctoritatem iudicis, (haec est enim sola scriptura sacra,) sed tantum esse testes doctrinae, quam nostra ecclesia recepit et probavit, quia eam optime cum evangelio Christi consentire intellexit, eosque ideo et olim receptos esse et nunc quoque retineri, ut exstet certa forma doctrinae, qua ecclesiae evangelicae a Romanensibus aliisque reiectis sectis et haeresibus seiunguntur. (*Form. Conc. Epit.* p. 571. no. III. *Decl.* p. 633.) Illi autem libri, licet a singulis viris scripti sint, tamen approbati et recepti sunt earum ecclesiarum nomine, quae Papatum et huius falsos cultus et superstitiones, aliasque sectas, evangelio repugnantes, non probarent, eoque nomine iudicatum est, in iis unanimem et communem ecclesiarum nostrarum veram sententiam contineri, quia praecipuorum eorumque excellentissimorum illius temporis theologorum auctoritate confirmati et in evangelicis ecclesiis et scholis recepti sunt. Sed id ipsum est, quod volumus. Olim enim non singulorum auctoritate res tanta gerebatur, neque incerti auctoris formulam principes nostri commendabant aut imperabant, sed theologorum suorum, quorum eruditio, fides et prudentia satis spectata et ab ipsis ecclesiis cognita esset, consilio et opera utebantur, imo cavebant, ne suo nomine forma doctrinae aut cultus publici constituta videretur, certe nunquam prohibuerunt, minisve deterruerunt ministros ecclesiarum, ne laicorum animos incertos et fluctuantes confirmarent. Nam quod Augustana Confessio ab ipsis principibus exhibita est, id ideo factum est, quod iusserat Imperator rationem doctrinae reddere ipsos principes, qui in suis terris evangelium doceri, et abrogari superstitionem passi essent. Et satis constat Confessionem non unius Lutheri aut Melanchthonis auctoritate scriptam esse, sed eam totam fere compositam esse ex iis articulis, de quibus inter excellentissimos istorum principum theologos

dudum convenisset. Quare nunquam conquestae sunt ecclesiae, suo nomine doctrinam, quam non probassent, traditam receptamve esse; nam theologi nullam aliam doctrinam proposuerant, quam ecclesiae, e libris sacris edoctae, veram esse intellexissent.

Sed ne ipsi ministri ecclesiarum auctoritate sua utantur ad doctrinam ab evangelio dissentientem, in ipso articulo, de quo disputamus, satis cautum est. Dicitur enim quidem (p. 39.) Episcopos habere munus cognoscendi doctrinam, et doctrinam ab evangelio dissentientem reiiciendi, sed statim additur, (p. 40.) eos non habere potestatem statuendi aliquid contra evangelium. Episcopi autem commemorantur, quoniam eorum auctoritate tunc omnia gerebantur in ecclesiis; iam vero quum sapienter constituta sint collegia theologorum, quorum curae res sacrae commissae sunt, facilius etiam prospici potest, ne ministri ecclesiae, ipsive episcopi, aut quo alio nomine appellentur, qui dioecesin regunt, in tradendo evangelio peccent aut peccari patiantur. Iurisdictionem dixit Melanchthon, quod de ea illo tempore maxima contentio erat. Episcopi enim nomine Pontificis Rom. tantam potestatem affectabant, ut iuris humani aeque ac divini dicendi potentiam summam habere ex mandato dei viderentur. Neque vero legitimam obedientiam negare episcopis (p. 44.), aut disciplinam sacram, in ecclesia receptam, tollere tunc quidem animus erat, postea vero, quum non potuissent impetrare ab episcopis *), ut puram evangelii doctrinam doceri paterentur, episcopos cum ipso Pontifice missos facere cogebantur. Itaque hoc quidem loco omnem legitimam potestatem, quam iure divino episcopi habeant, accurate descripsit, ipsam autem iurisdictionem nullam aliam esse dixit, quam quae constet mandato remittendi peccata, de quo suo loco dicemus. Sed de mandato docendi evangelium eodem loco praecipitur, si quid contra evangelium doceant aut statuant, qui praesunt ecclesiis, tunc habere ecclesias mandatum dei, quod obedientiam prohibeat.

Postremo, quoniam necesse est, ut singuli, quos ad docen-

*) pag. 44. fin. *Petrus vetat episcopos dominari et ecclesiis imperare (1. Ep. V, 3.) Nunc non id agitur, ut dominatio eripiatur episcopis, sed hoc unum petitur, ut patiantur evangelium pure doceri, et relaxent paucas quasdam observationes, quae sine peccato servari non possunt. Quodsi nihil remiserint, ipsi viderint, quomodo deo rationem reddituri sint, quod pertinacia sua causam schismati praebent.* Conf. *Apolog.* p. 296. *Append. de potest. et primatu Papae*, p. 351 seq.

dum evangelium idoneos esse exploratum est, singulis ecclesiis praeficiantur, quaerendum est, quis habeat ius et potestatem eligendi et vocandi ministros ecclesiarum: de quo non una est controversia. Sunt qui ad principem hoc ius deferant, sive quod is summus episcopus sit, sive quod terrae, in qua sunt ecclesiae, dominus sit; sunt, qui singulis ecclesiarum patronis tribuant, ex antiqua consuetudine; sunt etiam, qui ipsis ecclesiis vindicare cupiant. Si de consuetudine ageretur, facilis esset responsio. Sed ecclesia Domini est: dominus autem non consuetudinem sed veritatem se appellavit; itaque re ipsa, non opinionibus aut consuetudine duci nos oportet! Primos quidem evangelii doctores ipsum Dominum elegisse, satis constat. Hi socios sibi adsciverunt, qui et novas ecclesias conderent, et eas, quas ipsi Apostoli condiderant, si opus esset, inspicerent; nam ab initio omnia, ut par erat, Apostolorum nomine et auctoritate agebantur. Sed ipsae tamen ecclesiae iam tunc elegerunt eos, qui res suas curarent; noluerunt enim Apostoli quemquam ministrum imperare ecclesiae, quod ne ipsi quidem fecisse reperiuntur. Itaque quum ecclesiae singulae satis firmatae essent, iis ipsis permiserunt, ut res suas componerent, praeficerent sibi presbyteros, diaconos aliosque, qui ad hoc aut aliud munus in ecclesia gerendum aptissimi viderentur*). Neque postea alia ratio valuit. Quamquam enim mature factum est, ut ad eos, qui non solum res externas curarent, sed inprimis docendo prodessent ecclesiis (1 Tim. V, 17.) primus honos deferretur, ex quo episcoporum auctoritas orta est, tamen ius eligendi ipsas ecclesias exercuisse, innumerabilia exempla docent, et si haec omnia deessent, vel ex eo intelligeretur, quod ipsi illi episcopi romani usque ad seculum XII, non a purpuratis, sed a Senatu populoque Romano electi sunt**).

Sed mittamus historiam; sciunt enim omnes, quantopere universa ecclesiae disciplina subinde mutata fuerit, neque in evangelicis ecclesiis ius integrum mansisse. Non ignoramus, mutatis

*) Vid. *Actor.* VI, 2. et XV, 22. Sed non opus est exemplis. Conf. *1 Petr.* V, 1 seq.

**) Res ita nota est, ut eam optimi quique scriptores pontificii fateantur. Vid. *Mabillon Commentar. in Ordinem Rom.* cap. 17. p. 109 sq. in Museo Ital. Tom. II. Paris. 1724. Conf. *Constit. Nicol. II.* (a. 1059.) *de elect. Rom. Pontif.* apud *Harduin. Coll. Concill.* Tom. VI. P. I. p. 1064 sq. et in *Murator. Scriptor. Rer. Ital.* Tom. II. P. II. pag. 645 sq. Sciunt haec omnia, et tamen recentiorem consuetudinem defendunt nomine dei.

temporibus ipsum ius eligendi mutari debuisse, neque cum iis facimus, qui suaserunt nuper, ut hoc ius ipsi populo reddatur. Qui norunt ingenium populi, hi, quum bene intelligant, rarissime fieri, ut, si omnes deliberent, prudens consilium consensu omnium capiatur, sed paucorum tantum auctoritate plerosque moveri, lubenter concedent, rem optime geri, si nomine ipsius ecclesiae ius ministros ecclesiarum eligendi, collegia sacra exerceant, a summo quidem magistratu instituenda, neque vero ita regenda, ut alios eligere cogantur, quam quos ad docendum evangelium aptissimos esse iudicaverint. Neque de iure patronatus, quod praediorum dominis aliisque concessum est, ambitiosius contendendum est. Sufficit enim, quod ius eligendi nomine ecclesiae exerceatur; huius enim proprium est, non principis, quem qui summi episcopi nomine dicunt hoc im[illegible]nt ipsum exercere aut ad alios deferre, hi videant, quibus argumentis probent, ecclesiam evangelicam ius episcopale ad principem detulisse. Mihi certe omnia diligentissime exquirenti ne levissimum quidem eius rei vestigium occurrit, imo alia omnia se obtulerunt: quamquam non ignoro, quibus causis illa opinio, ecclesiae et episcopalis potestatis naturae prorsus adversa, orta et propagata fuerit. Quin ex locis Aug. Conf. supra allatis intelligitur, longe aliam mentem fuisse viris illis, qui ecclesiam evangelicam instaurarunt. Etenim si ius episcopale putassent ad ipsum principem deferendum esse, qua tandem ratione potuissent praecipere, episcopis non esse obtemperandum, si quid contra evangelium docerent, aut statuerent, i. e. principi non esse obtemperandum in civitate? Imo satis constat, eos principi christiano nullum aliud ius concessisse, quam quod habent ob muneris sui officium, id est ius tuendi et defendendi ecclesiam. Sed aliud est defendere, aliud regere ecclesiam. Regere enim ecclesiam non possunt, nisi qui ipsi possunt docere evangelium; nam ecclesia verbo divino, non gladio, regitur; defenditur autem, dum ab ea arcentur omnia, quae impediunt, ne id recte fiat in ecclesia, cuius causa a Domino condita est: sed condita est non ob civiles rationes, sed ob regnum divinum, quod constat iustitia et beatitudine in spiritu sancto. Quae quum verissima et certissima sint, non vereor, ne quis illud ius obtendat, quod vulgo vocant ius supremae inspectionis. Nam huius iuris ea natura est, ut non ordinando et instituendo, sed prospiciendo et cavendo potius exerceatur. Praeterea ecclesia habet iura quaedam, quae, ut supra

dictum est, neque ei adimi, neque ad alios ab ea deferri possunt, etiamsi hi, tamquam summi imperantes, primaria membra ecclesiae esse videantur. Quamquam igitur ecclesia iure suo postulare potest, ut summus magistratus, si est membrum ecclesiae, ipsam defendat, ideoque eos, qui externam ecclesiae disciplinam respuant, legibus coerceat, (in quaque enim civitate ius et singulos et societates defendendi, ad summum magistratum delatum cogitatur) tamen ea iura, quae cum mandato divino necessario coniuncta sunt, non potest in quemquam ita deferre, ut is imperet pro suo arbitrio, novasve leges et iura ecclesiae imponat. Sed ad rem redeamus. Haec enim propterea dicta sunt, quod in prima potestatis ecclesiasticae parte, de qua disputavimus, gravissimum est cavere, ne mandatum Domini docendi evangelium civilis prudentiae arbitrio relinquatur. De quo prudentissime cautum esse in articulo VII. abusuum, manifestum est.

De secunda potestatis ecclesiasticae parte, quae constat mandato administrandi sacramenta, paucissima haberemus dicere, nisi hic locus cum quaestione de cultu sacro publico coniunctus esset. Nam hoc quidem intelligitur, sacramenta, quum a ministris ecclesiae rite administranda sint ex mandato Domini, eorum administrandi rationem non magis civili imperio, quam ipsius evangelii docendi provinciam subiectam esse. Est igitur ipsius ecclesiae, curare, ut sacramenta ita administrentur, uti ipsorum natura et finis postulat. Et quamquam magistratus civilis est, ita, ut supra dictum est, et ecclesiae et civitati prospicere, tamen is non habet potestatem mutandi rationem sacramenta administrandi, aut ceremonias, quibus ea celebrentur, praecipiendi; sed quemadmodum in sacramentis sunt nonnulla, quae ne ecclesiae quidem mutare liceat, v. c. ut panis et vinum in coena sacra distribuantur, ut baptismus fiat verbis, quae ipse Dominus praeivit, ita etiam ea, quae libera sunt, quoniam nullum mandatum Domini habent, non nisi ab Ecclesia, seu ab iis, qui eius nomine rerum sacrarum curam habent, instituenda aut mutanda sunt. Possunt enim quidem etiam de sacramentorum administratione quaedam ad curam magistratus civilis referri, veluti ut infantes certo tempore ad baptismum offerantur, ut pompae superstitiosae prohibeantur, sed sunt haec paucissima et a vera sacramentorum natura aliena, neque eorum cura ad magistratum civilem pertinet ex iure summo circa sacra, sed ex iure civili. Quamquam enim Ecclesia non est civitatis causa

condita, tamen magistratus christiani est videre, ut civium ecclesiae christianae lege viventium iura serventur. Itaque certum tempus definiat, quo infantes baptizentur, non quia necesse est baptizari parvulos, hoc enim nihil ad ipsum attinet, sed quod cavendum est, ne extra ecclesiam vivant, qui iuribus christianorum in civitate fruuntur. Eadem ratione, si quis quaerat, an liceat principi pompas superstitiosas permittere in ea civitate, quae ecclesiae evangelicae lege constituta est, non dubitem, quin id licere negem, etiamsi ecclesia, quae eiusmodi cultus habet, in eam civitatem recepta sit: non potuit enim simpliciter recipi, sed ea lege, ut salva maneat ratio iurium eius ecclesiae, ex qua ipsius civitatis forma orta est. Itaque eiusmodi res extra templa illius ecclesiae non permittet magistratus christianus, quia ecclesia simpliciter recepta iure suo postulat, ut civium, qui ab illis rebus abhorrent, salva religio servetur. Hinc autem luculenter intelligitur, tantum in potestate ecclesiae situm esse, instituere ritus, quibus sacramenta celebrentur, eamque rem totam non pertinere ad magistratum civilem. Itaque si qua ecclesia evangelica ita sit superstitiosa, ut exorcismo opus esse in baptismo putet, poterit ea quidem eam ceremoniam, rectae rationi et Evangelio repugnantem, veterisque ecclesiae exemplo male defensam, cum suo probro atque dedecore revocare, sed minime licebit principi christiano, hanc superstitionem mentibus populi excussam, ecclesiae non desideranti, sed maxime repugnanti, recusanti et denuo imponere; cui si ipse indulgeat, quaerat sibi episcopum, qui suos liberos ab opinata diaboli potestate liberet, sed permittat christianis, ut suos liberos putent esse in potestate dei et sub tutela Christi, qui puerorum, qui neque christianis parentibus nati erant, neque per exorcismum purgati, dixit esse regnum dei. Omnino de cultu sacro publico, cuius magna pars sacramentorum administratione constat, tanto magis cavendum est, ne quid temere fiat in ecclesia, quo maiorem ille prudentiam desiderat, quae neque antiquis formulis liturgicis examinandis, nec privato religionis studio comparari potest, sed praeter magnam rerum sacrarum peritiam et usum, inprimis accuratam earum rerum et temporum observationem postulat, quibus nisi sapienter accommodata sit liturgiae ratio, verendum est, ne totus cultus, publicus aut in superstitionem aut in stuporem et sacrorum contemtum vertatur. Itaque ius liturgicum, quod vocant, non est principis, sed eorum,

[illegible] habent, et soli habere po- [illegible] soli idonei sunt. Denique i- [illegible] disputatum est. [illegible] iure principium reformandi [illegible] est, quod populum [illegible] imperii teneham. Si [illegible] hoc ius principi [illegible], [illegible]. Praeterea manifesto [illegible] non esse subiiciendam, [illegible] maiestas divina [illegible] videatur, [illegible]

[illegible] dicemus: quam si [illegible] summarenus, sane [illegible] quoniam hanc grav- [illegible] angustiae, cum [illegible]. Potest autem ex iis, [illegible] hanc potestatis eccle- [illegible] cum ipsa eccle- [illegible] quo magis [illegible] nominumque, [illegible] molliciem, plus quam [illegible] aut levitatis [illegible] iugum denuo [illegible]

[illegible]

[illegible] EVANGELICAE

[illegible] potentiae [illegible] eos, qui [illegible] reos agant, homi- [illegible] vetustate sacra- [illegible] cupiant, id eo tempore [illegible] in Germania ecclesiam evange-

ontificios fecisse et nunc quoque facere, inter omnes con- Neque id prudens quisquam mirabitur. Est enim ita com- populi animus, ut quamvis rerum novarum audiendarum simus sit (Actor. XVII, 21.), tamen consuetudinis inertia delectetur, ideoque turpissima saepe pati quam utilissimis s asuescere malit, nullaque alia re magis quam auctoritate m' commoveatur. Quare omnes, qui ad populum regen- diiciunt animum, de nulla re acerbius conqueruntur, neque quidquam reformidare solent, quam novas opiniones, quasi las inerti materiae iniectas,. et si quid secus quam consue- erat agi docerique viderint, tranquillitatem publicam civium- oncordiam in discrimen adduci, nisi ipsi credant, certe persuadere cupiunt. Sciunt enim optima quaeque recentis nota facillime opprimi, sed iniusta quaevis vetustae con- linis tutique usus dulcedine gravissime commendari. Itaque Lutherus divinum evangelium humanis opinionibus per secula obscuratum et corruptum reddere populo christiano set, virum immortalem accusarunt, quod in ecclesia divina ficis Rom. prudentia optime constituta discordiae semina eret, Christianos ipsos dissociaret, pacemque publicam legi- deo firmatam turbaret, et *unitatem* ecclesiae Christi, quam s profiterentur, temere tolleret. Scilicet obtendebant verba Symboli Apostolici: *credo unam sanctam catholicam et olicam ecclesiam,* et sacrilegium a Luthero committi dice- quod is unam *Christi* ecclesiam esse diceret, non Pontificis ni.

Verum ad has hominum evangelio adversantium vocifera- s iam dudum satis responsum est, ut vix operae pretium us videatur, qui ambitiosa illorum et perversissima de uni- ecclesiae Christianae ludibria refellere studeat. Sed novum n excogitarunt, certe quod olim callide protulerunt, novis plis probare student: maximam in ipsa ecclesia nostra dis- m esse, non unam esse ecclesiam evangelicam, sed plurimas e ita dissentientes, ut vera, quae evangelica dici ipsa velit, sci amplius non possit; imo singulos diversissima sentientes, nomen Christi colentes, sed rationis humanae arbitrio temere bientes, eiusdem ecclesiae, quae evangelica dici velit, mem- e iactare, in hoc uno tantum omnes consentire, quod a ve- clesia alienos se esse profiteantur. Audivisse vos omnes, ci-

ves carissimi, has eorum criminationes arbitramur. Nam non in aures principum tantum insusurrantur, sed proferuntur publice, in vulgus imperitum sparguntur, clarissimis ecclesiae nostrae nominibus inferuntur. Sed illorum quidem causa vix verbum respondere necesse fuerit. Nisi enim demonstraverint, ecclesiam evangelicam de iis rebus dissentire, de quibus perpetua nobis cum Pontificiis inimicitia erit, salva res est. Quodsi, spreta scripturae sacrae auctoritate, *aliud evangelium tradere nonnulli instituerunt, quam quod accepimus*, horum exemplo tanto clarius illustrabitur vera ratio ecclesiae nostrae, quae ab omni opinionum humanarum arbitrio liberrimam esse iubet doctrinam fidei, neque aliquid desiderat amplius, quam ut in evangelio in libris sacris tradito unica spes vocationis nostrae quaeratur.

Sed sunt etiam in nostra ecclesia nonnulli, qui de opinionum, de quibus dissentiamus, diversitate acerbius conqueruntur, et theologorum nostrorum discordia ipsam ecclesiae evangelicae unitatem in discrimen adduci aut sibi persuaserunt aut alios credere volunt. Itaque discordiam istam gravissime accusant, quod ipsi ecclesiae ruinam minetur, neque alia ratione servari res nostras posse dicunt, quam si principes summi episcopi auctoritate et munere induti theologos legibus coerceant, concordiae formulas praescribant praeficiantque ecclesiae *paucissimos*, quorum consilio omnia gerantur in ecclesia, ut videant, ne quid ministri ecclesiae ipsique theologi secus agant aut doceant, quam ecclesiae praesidibus placuerit, neque populi christiani voluntate pax et concordia publica turbetur, sed ut omnes vitam agant tranquillam, ut spartam suam colant in timore dei et magistratuum, et de salute animarum in auctoritate summi magistratus eiusdemque summi episcopi placide acquiescant. Scilicet civitatum causa Christum mortuum esse et ecclesiam instituisse, manifestum est; itaque ecclesiam evangelicam par est servire civitati, quae eam aut sponte receperit, aut esse intra fines suos patiatur. Quamobrem, quum salus publica suprema lex sit, salus autem summa in pace et concordia quaerenda sit, omnis opinionum in ecclesia dissensio quovis pacto tollenda est. Hanc unitatem ecclesiae evangelicae dicunt, eaque conservanda non tantum evangelium salvum fore putant, sed etiam ipsam ecclesiam adversus adversariorum consilia optime defendi posse pollicentur. Sed vos,

cives carissimi, qui ea aetate estis, ut huius fabulae exitum videre possitis *), de *vera unitate ecclesiae evangelicae* attentius meditari oportet; neque enim vocem illam plenam quidem amaritudinis et ambitionis, sed gravem suspicionibus, spernere decet temere, neque vero vehementius ea commoveri.

Primum igitur omnes, qui de hoc argumento gravissimo deliberant, diligenter reputare oportet, quae sit, quibusve de causis dicatur ecclesia *evangelica.* Nam quod vulgo dicunt, ecclesiam evangelicam eam esse, quae Pontificem Romanum, tamquam Christi vicarium totiusque ecclesiae caput non agnoscat, sed Evangelio tantum regi velit, id quamquam sufficit, si prima eius ecclesiae origo explicanda est, tamen ad veram eius rationem monstrandam minime idoneum esse videtur. Nam quum primum Lutherus aliique ostendissent, doctrinam in ecclesia catholica receptam evangelio repugnare, romanique pontificis dominationem non ferendam esse, propterea quod adversaretur evangelio ipsique merito Christi, Evangelici appellati sunt, qui reiectis traditionibus humanis, solum evangelium in libris sacris traditum amplecterentur. Nam Protestantium nomen principibus tantum et civitatibus illis conveniebat, quorum protestatio facta erat in comitiis Spirensibus, ideoque in actis imperii non hoc quidem nomen, alioqui non satis aptum ad religionis confessionem designandam, sed illud Evangelicorum solemne fuit. Itaque dum staret legibus suis imperium germanicum, corpus Evangelicorum publica auctoritate vigebat, cui quum in pace Westphalica adscripti fuissent omnes, qui ecclesiam Romanam non agnoscerent, sive Calvini et Zwinglii, sive Lutheri formulam sequerentur, factum est, ut, obliterato fere nomine Protestantium, evangelicae ecclesiae nomen aptissimum haberetur, quo hi, qui tantum Evangelium Christi in libris sacris divinitus traditum sequuntur, in eoque solo pia fide colendo salutis per Christum recuperandae rationem quaerunt, distinguerentur a reliquis, qui sunt sub Pontifice Romano, cuius mandata ab omnibus, qui salvi fieri per Christum cupiant, aequali pietate servari oporteat. Quodsi recte, i. e. e scripturae sacrae auctoritate, de evangelio Christi sentirent omnes, qui illo nomine utuntur, nihil magis optandum esset, quam ut omnibus singularum partium nominibus omissis, communi no-

*) Scripsit auctor ao. 1826. — *Adnot. editor.*

mine Evangelicorum uteremur*). Sed quum de evangelio ipso diversae multorum opiniones esse videantur, necesse est, ut una sit de evangelio omnium sententia, ne plures eaeque sibi repugnantes ecclesiae evangelicae deprehendantur. Quod ipsum volunt, qui de unitate huius ecclesiae aut turbata conqueruntur, aut de ea restituenda et conservanda vana consilia agunt.

Est igitur ecclesia evangelica communio eorum, qui in evangelio, quod in libris sacris divinitus traditum est, salutis per Christum partae rationem quaerunt, ideoque fidem habent evangelio neque ad liberationem a miseria peccati, futurique aevi beatitudinem per Christum consequendam aliquid amplius requiri putant, quam quod scriptum est in libris sacris. Est enim evangelium doctrina coelestis de salute humana. Quam quum e libris sacris tantum recte cognosci posse credamus, quia demonstrari non potest, hoc evangelium usquam alibi divinitus traditum auctumve esse, ecclesia nostra recte evangelica vocatur, quoniam nullum aliud evangelium amplectitur, quam quod divino numine traditum est in libris sacris. In vulgus haec nota sunt, scio, sed dabunt mihi hanc veniam lectores, ut liceat repetere, quae etiam multi eorum, qui Evangelici haberi volunt, haud raro oblivisci videntur; nunquam vero, ut Seneca dixit, satis dicitur, quod nunquam satis discitur. Et astute accusant nos adversarii, quod ex maiorum nostrorum disciplina nihil nobis supersit, quam iniustum odium Pontificis Romani, ipsum autem evangelium nos ore tantum gerere, sed pro licentia, quae summa sit in ecclesia nostra, suo quemque modo fingere sibi evangelium. Ostendunt etiam nobis libros symbolicos nostros; negant vel unum esse, qui his libris acquiescat, licet ecclesia doctrinam et disciplinam sacram in illis traditam, pro evangelica receperit, iubentque theologos nostros certe istius disciplinae finibus se continere, ut quae vere sit evangelica ecclesia agnosci possit.

Sed priusquam vana esse ista crimina ostendamus, de ipsa *unitate*

*) Recte igitur nostra aetate suaserunt summi viri, ut hoc nomine omnes uteremur, praesertim quod hoc ipsum nomen clare discrimen demonstrat, quo nostrae ecclesiae ratio differt a commentis ecclesiae romanae. Sed mirum est, adversarios ipsos hoc nobis nomen tribuisse, quasi nescirent, ita concedi, se aliud evangelium habere quam evangelium Christi. Et qui cautius loquuntur, acatholicos nos appellant; quod nomen deprecari nos oportet, etiamsi quibusdam nostrum haud displicere videatur.

dicendum est. Latet enim in hac voce ambiguitas quaedam, qua factum est, ut res diversissimae commiscerentur. Nam qui de conservanda *unitate* ecclesiae olim loquebantur, hi de consensione quadam christianorum cogitarunt, quae ita sit necessaria, ut ea sublata, non *una* amplius futura sit ecclesia; unam autem esse vel hoc Pauli dicto constat, quod unus est dominus, una fides, unum baptisma, unus deus et pater omnium. Hanc *unam* ecclesiam esse docebant nostri (*Artic. VII. Conf. Aug.*), in qua evangelium recte doceatur et recte administrentur sacramenta. Sed quoniam adversarii negabant, ad hanc unam veram ecclesiam pertinere eos, qui non consentiant cum ecclesia, quam dicebant, catholica, i. e. Romana, addiderunt, in quibus rebus necessarius sit consensus, ut una Christi ecclesia conservetur: dixerunt, *satis esse consentire de doctrina Evangelii et administratione sacramentorum.* Itaque duplici sensu unitas dici potest, vel de numero, quod non sint plures, sed una vera ecclesia, vel de consensione, quae necessaria sit, ne plures existant ecclesiae Christi. Melanchthon quidem utrumque sensum expressit hac una voce unitatis, quod ex confessione germanica intelligitur, quae quum fere semper, tum hoc quoque loco cum latina conferenda est. Ibi enim clare scripsit: *diess ist genug zu wahrer Einigkeit der christlichen Kirche**), *dass da einträchtiglich nach einem Verstand das Evangelium gepredigt und die Sacramente dem göttlichen Worte gemäs gereicht werden.* Sed qui de unitate ecclesiae evangelicae nostris temporibus loquuti sunt, hi haud raro, duplicis sensus immemores, quum germanice scriberent, unitatem dixerunt *Einheit*, quae vox de numero tantum non de consentione et concordia dicitur. Ex quo factum est, ut, quum dissensiones nostras arguerent, de sublato communi ecclesiae evangelicae vinculo queri viderentur. Quod an consulto illi fecerint, ambiguum relinquamus: sed hoc certum est, eos quum magnam de ecclesiae evangelicae unitate in discrimen adducta solicitudinem prae se ferrent, dissensiones tantum notasse, neque vero, quod ante omnia facere debuissent, in quibus rebus haec una evangelica ecclesia consentire debeat, demon-

*) Legitur quidem: *der christlichen Kirchen*; sed est haec forma prisca genitivi singularis. Neque vero tunc de pluribus ecclesiis cogitabant, ut satis constat.

strasse. Quae quidem ambiguitas neque caritate, neque concordiae amore excusari potest. Scilicet si accuratius distingueretur, clarius etiam, quod sine invidia dici vix potest, dicendum esset, ecclesiae evangelicae unitatem cogitari non posse, nisi perpetuo ad unum omnes adversentur ecclesiae romanae.

Nam quum unum sit evangelium, *una* est etiam ecclesia evangelica, in qua docetur hoc evangelium, etiamsi non omnes, qui illud audiunt, recte de eo sentiant. Ad hanc *unam* ecclesiam evangelicam omnes ecclesiae, quas dicunt, particulares pertinent, quae nullum aliud evangelium amplectuntur, quam quod traditum esse constat per Apostolos in libris sacris, licet hae ecclesiae non uno modo de rebus singulis sentiant; satis est eas consentire in eo, quod reiiciant omnia dogmata, quae non habent clara et certa testimonia in libris sacris. Hac ratione haec una ecclesia evangelica discerni potest ab omnibus ecclesiis, quae praeter evangelium Christi amplectuntur aliam doctrinam coelestem, et spem vocationis (*Eph. IV. 4.*) non collocant in uno domino, Iesu Christo, i. e. in iis, quae Christus olim docuit, peregit et passus est ex consilio patris, et nunc peragit et peracturus est usque ad finem rerum humanarum, secundum scripturam, sed in traditionibus humanis, quibus observandis liberatio a poenis peccatorum et aeterna beatitudo per ecclesiae gratiam redimenda sit. Hi enim *aliud* habent evangelium, non illud quidem, quod Christus de coelo deportavit, quod Apostolos iussit omnibus gentibus annunciare, quod vetus ecclesia habuit, quod divinum esse certis documentis constat, sed novum, de quo Christus ne verbum quidem dixit, quod Apostoli ignorarunt, quod non habuit vetus ecclesia, sed quod Romani episcopi subinde non sine magno labore effinxerunt, spretaque omni divinae scripturae auctoritate, ignorantia multorum seculorum adiuti, neque sceleribus parcentes, prostratis legibus divinis et humanis omnibus, populis christianis obtruserunt. Satis igitur intelligi potest, quae sit *una ecclesia* evangelica. Quodsi qui tam suaves sunt et faciles, ut parum abesse videantur, quin romanam quoque ecclesiam evangelicam quodammodo dici posse putent, sint licet illi quidem suo obsequio beati: sed dum stabit sententia Pauli (1 Cor. III. 11.) nos eam tantum ecclesiam evangelicam dicere par est, quae evangelium in scriptura traditum unice amplectitur. Reliquas autem Christianas quidem licet appellare, quia Christum, tamquam sospitatorem

veneràntur, atque ope eius ac merito salvos se fieri credunt: sed quia longe alia ratione salutem ab eo quaerunt, quam ipse monstravit, atque ex vero evangelio nihil fere praeter nomen Christi reliquum fecerunt, evangelicas salva veritate non licet dicere; habent enim non evangelium Christi, sed Pontificis Romani, qui ipsius evangelii summus magister, melius etiam et plenius quam Apostoli, perspicit, quid ad salutem per Christum vere consequendam credere et facere oporteat Christianos, ideoque, *non obstante scriptura sacra*, longe alia mandat ac praecipit, quam Apostoli, qui ab ipso Christo edocti erant et verissime habebant spiritum dei, salutis causa a Christianis credi observarique voluerunt.

Ex his vero clare patet, quod sit commune *vinculum unitatis* in ecclesia evangelica. Est enim illud evangelium in scriptura sacra traditum, quo veluti fundamento superstructa est ecclesia evangelica, est haec ipsa scriptura sacra, in qua vitae aeternae per Christum accipiendae ratio unice monstrata est. Nam quum una ecclesia Christi constet eo, quod in ea recte doceatur evangelium et recte administrentur sacramenta, et una sit evangelica ecclesia, quae tantum evangelium amplectitur ab ipso Christo et Apostolis traditum, utiturque sacramentis secundum verbum dei; consequitur, nullum aliud huius ecclesiae unius vinculum requiri, quam hoc ipsum evangelium, eiusque unitatem summo, quod ea tenet, principio contineri, *verum evangelium* tantum *e libris sacris cognosci posse.* Itaque quae huic principio nituntur, nullumque aliud evangelium agnoscunt, nisi quod traditum est in libris sacris, hae christianorum familiae omnes ad unam ecclesiam evangelicam referendae sunt, cuius unitas eo ipso constat, quod hoc unum verum evangelium Christi omnes quaerunt, divinitus non hominum arbitrio traditum; estque perpetuo mansura haec una ecclesia evangelica, quam diu non deseret hoc evangelium, quod ipso auctore Christo confidimus aeternum futurum esse: Christus enim, postquam aeternam redemtionem morte sua fecit ascendit in coelum, ut omnia perficeret, et ecclesiam eorum, qui *ἐν τῷ αὐτοῦ ὀνόματι* gratiam dei et salutem, non nomine hominis cuiusquam, quaerunt, reget et conservabit donec, exacto rerum humanarum cursu, omnibus verae felicitatis humanae, cuius causa olim se devovit, impedimentis sublatis, regnum tradet patri, *ἵνα ᾖ ὁ θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσι.*

Sed quaerat aliquis, quale tandem sit illud evangelium, de

quo tam diversae sint et discrepantes multorum in ecclesia nostra sententiae, ut quod dicamus habeamusque verum evangelium, amplius agnosci non possit. Scio, audio; sed facilis et promta est responsio, modo omni ambitione vanaque superbia vacet animus. Est enim unum hoc, quod volumus, quod quaerimus, in quo salutis nostrae rationem petendam esse credimus, evangelium in libris sacris divinitus traditum, haec est *una fides nostra*, hanc tenet ecclesia evangelica. Quamquam igitur non omnes eodem modo sentiunt de singulis partibus doctrinae salutaris in libris sacris traditae, quia hos ipsos libros sacros passim varie interpretantur, tamen, quum in eo consentiant, quod docet ecclesia evangelica, nullum aliud esse evangelium, nisi quod traditum sit in libris Apostolorum, idemque evangelium quaerant (licet non omnes idem reperiant), salva est unitas ecclesiae evangelicae. Nam opinionum commenta delet dies, sed verbum dei manet in aeternum.

At obstrepunt tamen nonnulli, qui veram evangelii doctrinam intellexisse sibi videntur; dicunt necesse esse, ut una sit forma doctrinae et disciplinae evangelicae, in libris symbolicis descripta aut summorum episcoporum, i. e. principum, auctoritate sancita, quam si quis temere relinquat, eum ecclesiae evangelicae unitatem non servare, ideoque legibus prospiciendum esse, ut ex ecclesiae evangelicae formula, aut communi omnium consensu olim constituta, aut usu recepta, christiani omnes vivant ἐν ἑνότητι πνεύματος. Scilicet si alii aliud evangelium pro vero, e libris hausto, tradant, nihil praeter nomen ecclesiae evangelicae relictum videtur; haec enim ecclesia hoc ipsum evangelium verum esse putavit, quod publice in libris symbolicis declaratum est. Non caret magna specie haec argumentatio; sed vanam tamen eam esse facile intelligitur. Etenim ecclesia evangelica hoc fundamento suo nititur, universam christianae doctrinae et disciplinae rationem tantum scripturis Apostolorum contineri. Hoc principium, hic exitus est omnium, quae in ecclesia evangelica agi decerique debent. Itaque libros symbolicos recepit ecclesia, quia verum evangelium, mentemque Christi, in his libris expositam credidit secundum verbum dei s. scripturam sacram, noluitque illis libris maiorem fidem tribui, quam testimoniis, quibus constaret, veram evangelii doctrinam e libris sacris haustam retineri, ne errores, qui adversantur huic doctrinae, inter nos denuo spargerentur aut crimini nostris dari amplius possent. Neque auctores

bolicorum ita sui, et ecclesiae suae obliti sunt, ut , quas aut ratio temporum suasisset, aut necessitas perpetuas esse voluerint, hac lege, ut omnes, qui postea interpretaturi essent, illas tamquam normam equerentur. Sciunt omnes, quo consilio scripta et t confessio Augustana, sciunt, Apologiam illis tan- ıus inservire debuisse ad contundendas calumnias et adversariorum, sciunt, Articulos illos Smalcaldicos tationis causa ab Luthero scriptos esse, neque igno- , auctores formulae concordiae *verbum dei* tamquam itatem pro fundamento posuisse, sed illa scripta tan- ι testes veritatis amplexos esse et solas scripturas nica regula et norma omnium dogmatum agnovisse. *12 sqq.)* Haec non eo consilio a nobis dicuntur, cclesiae evangelicae symbolicos superfluos neque am- ıs esse putemus; quin hos testes veritatis hoc potis- re diligentissime adhibendos esse censemus, ut vera esiae nostrae ostendatur, et a calumniis adversario- ır.

.tur aliud sibi volunt, qui consensum illum in eccle- a postulant, damnantque interpretum controversias as opiniones theologorum, quam quod ecclesia no- ıoluit, ut in rebus divinis explorandis et in do- ti constituenda, humanis opinionibus regamur? ıes, quod ipse dominus facere iussit, ἐρευνᾷν τὰς uamquam saepe experimur, evangelium, in libris sa- aliis σκάνδαλον esse, aliis μωρίαν, multosque sua ıtos, ab intelligentia sensuque scriptorum sacrorum siunctos, scripturam sacram passim perperam inter- ı, dum Evangelici esse haberique cupimus, hanc le- nos constanter oportet, religionem non esse coer- ɔnibus humanis. Vituperamus Pontificios, quod iu- cripturam sacram intelligere et interpretari secundum ɿuem teneat ecclesia; negamus, Pontificem Roma- us definiendi, quomodo intelligenda scriptura sacra, m, in quo spes vocationis nostrae ponenda sit; no- ɜ hominem quemquam imperare evangelio dei. Ergo ecclesia dei denuo subiiciatur iugo humano. Erat a formula fidei, in quam omnes iurabant christiani,

erat unitas fidei omnium christianorum, erat consensus et conspiratio omnium ministrorum ecclesiae ad defendendam istam formulam. Quae igitur causa fuit, quare Lutherus, Zwinglius, Melanchthon, amantissimus concordiae, et reliqui, ista unitate beata frui noluerunt? Scilicet quod istius concordiae auctores et defensores homines esse intelligerent non autem spiritum divinum, memoresque dominum dixisse, necesse esse, ut scandala veniant, concordiam veritate destitutam discordiae ex veri quaerendi studio natae posthabendam esse putarent, et vere perspicerent, evangelium dei non singulorum erroribus, sed humanarum opinionum diuturno imperio obscurari tollique ex animis christianorum, quod denique fidem christianorum verbo dei in libris sacris tradito constare vellent, non formulis humanis, ideoque aditum ad fontes divinae doctrinae omnibus, vel cum errandi periculo, patere mallent, quam in sua aliorumve hominum verba iurare Christianos. An nos ardentius, quam illi praestantissimi homines, evangelium amamus et sanctius colimus? an illis seculis, quibus una formula imperabat, a qua discedere nefas habebatur, verum evangelium rectius intelligebatur a populo christiano, an eo tempore, quo nullus laicus legere scripturam poterat, ipsique clerici latina tantum versione utebantur, sanctior religio, christianorum castior vita puriorque fuit? Imo historia ecclesiae luculenter docet, gravissimos et teterrimos errores non ex liberrimo verum quaerendi studio natos esse, sed e superstitionis taedio, quod quum hominem semel ceperit, nisi coelestis veritatis lux adsit, optimum quemque eo adigere solet, ut divina pariter atque humana contemnat, priscique erroris contumeliam sacrorum omnium irrisione redimendam putet. Quare illius patris familias aequitatem imitari nos oportet, qui, quum sciret, inter purissimum semen herbas inutiles progerminare, tamen servorum suorum iracundiam cohibuit, noluitque statim tolli zizania, ne simul triticum evelleretur. Nondum enim adest ὁ θερισμός, ἡ συντέλεια τοῦ αἰῶνος. Interea sedeant, quod aiunt, hypocritae et pharisaei in cathedra Mosis suo tempore ἑκάστου τὸ ἔργον φανερὸν γενήσεται· ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει. Nos autem ne eos nos esse putemus, quibus liceat servos alienos iudicare, sed hoc tantum, quod nostrum est, agamus, i. e. curemus, ut veritas coelestis evangelii indies rectius intelligatur et aqua vitae aeternae, ex ipso fonte pera-

ni, i. e. e scriptura sacra, ab omnibus hauriri possit, ne ecclesia evangelica iterum regatur opinionibus humanis.

Sed quoniam non desinunt nobis discordiam exprobrare, et consensionem quandam exigunt, ne una ecclesia evangelica rumpatur et misere discissa pereat, ante omnia dicant necesse est, in qua re consentire ecclesiam velint, quamve consensionem ad unitatem eius servandam postulent. Stultus enim aut malignus foret, qui dubitaret, eos de re, de qua tam alto supercilio loquuntur, quamque non sine aliorum contumelia commendant, ipsos etiam acerrime cogitasse. Dicent nimirum, consentiendum esse de evangelio. Verissime, modo etiam dicant, quale evangelium intelligant. Quod nisi perspicue dixerint, et summam evangelii, de qua omnes consentire necesse sit, sine ambagibus exposuerint, nihil egisse videbuntur. Nam illud quidem manifestum est, in ecclesia evangelica doceri evangelium debere, neque fuit quisquam, qui negaret. Sed haec ipsa causa discordiae est, quod alii aliud evangelium quasi in libris sacris traditum sit, docent, sive quod reperisse id sibi in illis libris videntur, sive quod sua dogmata eorum auctoritate confirmare cupiunt. Itaque qui ad unitatem ecclesiae conservandam quadam sententiarum consensione de evangelio opus esse dicunt, hos et verum evangelium, quod inesse in libris sacris putent, dicere et summam rerum, de quibus consentiendum sit, distincte exponere oportet. Neque ad librorum symbolicorum doctrinam nos relegare licet. Quamquam enim verum evangelium, quod in libris sacris traditum est, in istis libris contineri certum est, tamen quum multa iis dogmata insint, quibus vera evangelii doctrina illo tempore explicanda et defendenda esset, neque aliud quidquam egerint statores ecclesiae, quam ut doctrinam coelestem, e scriptura sacra restitutam, proponerent, ceterum vero omnia, quae scriberent docerentque, verbo dei, tamquam supremo iudici, subiicerent, vel sic ad libros sacros recurrendum est; ne religionem christianam libris humanis contineri populus credere assuescat, neque omnia dogmata, in libris symbolicis tradita, (licet verissima sint) temere ad eas res referantur, *quorum cognitio homini christiano ad aeternam* salutem *sit necessaria;* (Form. Conc. Epit. p. 572.) his enim rebus verissime constat Evangelium. Sed multa sunt, quae quamvis ex libris sacris recte demonstrari possint, ideoque etiam ab ecclesia evangelica recepta sint, tamen non proprie pertinent ad evange-

lium, i. e. ad doctrinam coelestem de salute generis humani, sive, ut verissime Melanchthon scripsit, ad promissionem gratiae et misericordiae divinae. *[Hypotypos. Theol. in Hardtii Hist. Lit. Ref. P. IV. p. 49.]* Dicant igitur ingenue, quid ad consensum unius ecclesiae evangelicae requirant; sed meminerint etiam, in eo ipso libro, quo non meliorem esse post scripturam sacram ipse Lutherus dicere solebat, Melanchthonem scripsisse: *non est, cur multum operae ponamus in locis illis supremis* (loquitur de mysteriis divinitatis, *quae rectius adoraverimus, quam vestigaverimus*), *quaeso te, quid adsecuti sunt iam tot seculis scholastici Theologistae, cum in his locis solis versarentur?... Et dissimulari eorum stultitia posset, nisi evangelium interim et beneficia Christi obscurassent nobis illae stultae disputationes.... Siquidem hoc est Christum cognoscere, beneficia eius cognoscere: non, quod isti docent, eius naturas, modos incarnationis contueri. (l. c. p. 31.)* O praeclaram vocem, dignam magistro ecclesiae evangelicae et praeceptore Germaniae! o verissimam doctoris evangelici imaginem, quam intueantur omnes, qui doceri evangelium volunt et tamen alios, e sola scriptura sacra formam evangelii petentes, acerbe vituperant, ac si quem videant, spretis formulis et commentariis theologorum, id unum curare, ut gratiam et misericordiam dei, in libris sacris revelatam, intelligant christiani, unitatem ecclesiae periclitari perhibent. Discant illi, ad veram unitatem ecclesiae satis esse consentire de doctrina evangelii et administratione sacramentorum, sed veram evangelii rationem non aliunde neque certius neque propius cognosci posse, quam e libris sacris*). Sed discant etiam omnes, qui magistri ecclesiae evangelicae malunt quam ministri et servi Christi vocari, ecclesiae evangelicae unitatem non commentis humanae sapientiae, sed verbo dei constare, eamque tum demum in discrimen adduci, si primario ecclesiae nostrae decreto abrogato, scripturaeque sacrae auctoritate imminuta, opiniones humanae pro

*) Sunt haec verba Melanchthonis in Praefatione ad Locos communes theol. l. c. p. 30. ex qua, quoniam non est in manibus omnium, haec, quae sequuntur, adscribam. „Nihil perinde optarim, atque si „fieri possit *christianos omnes* in solis divinis literis liberrime ver„sari et in illarum indolem plane transformari. — Fallitur, quisquis „aliunde *Christianismi formam* petit, quam e scriptura canonica. „Quantum enim ab huius puritate absunt commentarii. — Quo quis„que recentior est, eo est insincerior, degeneravitque tandem disci„plina christiana in scholasticas nugas, de quibus dubites, impiae magis sint, an stultae.“

verbo dei venditentur, suamque iustitiam, non illam τῆς καινῆς κτίσεως ἐν Χριστῷ, sed propria virtute quaesitam, neque divinam gratiam per Christum revelatam, sed humanae rationis aestumatione reconciliatam, christiani evangelici petere didicerint.

Quae quum ita sint, in tanta eorum, qui librorum sacrorum auctoritatem interponunt, dissensione, ad unitatem ecclesiae evangelicae conservandam quid faciendum esse putabimus? Nimirum hoc agendum est, ut christiani verum evangelium ex ipsa scriptura sacra in dies rectius cognoscant; nulla est enim veri evangelii magistra melior expultrixque errorum quam scriptura sacra. Quamquam enim fieri non potest, quin varie errent multi in singulis locis explicandis, neque unquam ab omnibus controversiis cessatura est ecclesia dei, una tamen mansura est ecclesia evangelica, quamdiu omnes divinam gratiam, redemtionem et aeternam salutem per Christum consequendam in sola scriptura sacra traditam esse credent, in eaque sedulo quaerere pro viribus laborabunt. Nam quemadmodum unus est deus, quamvis diversissime colatur numen eius ab hominibus, ita unum est manebitque evangelium, licet non omnes divinam eius vim eodem modo sentiant, ut unus est Christus, dominus et redemtor, idem futurus omnibus seculis, etiamsi non omnes eum recte cognoverint. Modo quaeramus eum, ubi manifestatus est hominibus, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, in scriptura sacra, et obtemperemus verbo dei magis quam hominibus. Quare vos, cives carissimi, qui ministerio ecclesiae evangelicae vitam vestram omnem dicare constituistis, etiam atque etiam rogamus et obtestamur, ut scripturae divinae indies rectius intelligendae summam operam constanter navetis veramque evangelii scientiam, ex ipso fonte haustam vobis comparetis, populumque christianum olim ita instituatis, ut verbi divini suaeque fidei firmissimum fundamentum habeat in scriptura sacra, vosque non servos hominum esse intelligat, sed servos Christi. Sed de hac causa alio tempore dicendum est.

DE ANIMIS IUVENUM IN GYMNASIIS AD PIETATEM CHRISTIANAM FORMANDIS.

Quum multae sint easque iustissimae querelae eorum, qui in scholis pueritiam atque adolescentiam formant, tum haec verissima et gravissima esse videtur, quod vitia discipulorum, qui, postquam ex umbra scholarum in lucem prodiere, magnorum virorum, hominibus tanquam rebus uti cupientium, exspectationi non satisfaciunt, magistris ipsis crimini dari soleant. Plena sunt omnia eiusmodi accusationibus, non eorum tantum, qui in gymnasiis et academiis doctos operarios formari volunt, quorum animi, primum betularum fascibus fracti, deinde carcerum superba disciplina mitigati, rebus praesentibus patienter acquiescant, neque quidquam requirant amplius, quam ut aliorum commodo sedulo inservientes, ipsi de die in diem unde vivant, habeant, sed etiam hominum liberaliorum, qui velint e scholis nostris prodire adolescentes, literarum artiumque ingenuarum studio ad veram vitae honestae et generosae rationem excultos, quorum virtute, robore animique rerum terrenarum voluptates spernentis constantia et fortitudine, salus omnium ac singulorum non solum servari integra, sed etiam augeri in dies posterisque aucta relinqui possit. Et quoniam verae virtutis humanae fontem in pietate situm esse recte intelligunt, ad hanc potissimum, qui sapiunt, adolescentium animos formari cupiunt. Quod quum secus accidere saepe animadvertant, scholas, academias, ipsosque magistros accusant, quasi in nostra potestate sit, ut omnes pueri et adolescentes, diversis ingeniis a natura praediti, a parentibus aut neglecti aut mollius educati, mixtae iuventutis consuetudine corrupti, vera honestate et pietate imbuantur. Nimirum quod qua ratione a deo, qui creat et conservat naturam, efficiatur, ignoramus ipsique ignorare se fatentur, id ab hominibus fieri volunt, quorum honestissimis studiis saepe ii maxime adversantur, qui sua ignorantes vitia, aliorum socordiam accusare consueverunt: neque intelligere videntur, rem arduam esse, in scholis, quarum maxima pars aut magistrorum

pauperitate aut discipulorum mendicitate premitur, in quibus, quo frequentiores sunt, eo difficilius est singulorum animos et ingenia observare, paucis horis, quae singulis hebdomadibus institutioni religionis relictae sunt, vera pietate imbuere animos omnium, ut si in vitam adolescentes prodierint, inter summa peccandi pericula, vel a voluptatum illecebris, vel a perversis hominum studiis obiecta, constantes se purosque praestent, quin fieri omnino non posse, ut coelestem pietatis fructum, qui nec sponte oritur, neque sine magno et diuturno laborum et dimicationum aestu maturescit, e lectionibus magistrorum, et aequalium contuberniis in aliorum commodum conferant.

Est autem antiqua haec querela, adolescentes in gymnasiis omnia alia doceri, sed eorum animos non formari ad veram pietatem christianam; neque defuerunt, qui scriptorum ethnicorum studium, quo potissimum iuvenilis aetas alenda est, accusarent, mallentque scholas pietatis seminaria esse, quam linguarum veterum, antiquitatisque ethnicae cognoscendae palaestram: sunt etiam nostris temporibus haud pauci, qui sacrorum christianorum contemtum, et superbum illud oraculorum divinorum fastidium, quo plerique viri docti laborare ipsis videntur, in gymnasiis nasci putent, ideoque studia illa humanitatis, quibus adolescentia alitur, reprimenda esse censeant. Quorum superbiam non mirum est, quod viri vere docti et sapientes impatientius ferant. Sciunt enim, ab eo inde tempore, quo omnis puerorum institutio et disciplina in clericorum potestate esse coepisset, verae eruditionis rationem in dies magis magisque obscuratam, ipsamque religionem in superstitionem mutatam fuisse; sciunt, literas humaniores et philosophiam semper odio fuisse his, qui quod virtute et sapientia alios regere difficilius esse intelligerent, quam rudibus et imperitis imperare, tenebras magis quam lucem amarent, ne ipsorum opera manifesta fierent; sciunt denique atque intelligunt, quid sibi velint blandae voces illae, quibus nostra aetate homines, quos verissime descripsit τὸ φῶς τοῦ κόσμου, (Matth. VII, 15 sq.) et permulcere principes et sopire populos cupiunt. Itaque quum studia illa, quibus revocatis nova literis ipsique religioni lux affulsit, ab hominibus quibusdam non tantum sperni, sed gravissime accusari audiant, videantque totam illam intemperantiam, impatientiam, licentiam, impietatem, quibus nostra potissimum aetas laborare creditur, gymnasiis, in quibus haec studia vigent, impu-

tari, quid causae est, merito quin illis ambas irati buccas inflent, et pietatem christianam, quam illi quidem humanitatis studiis minui clamant, isto nomine dignam esse negent? Interea magistri scholarum suspicionibus et criminibus premuntur, in ipsas academias diu dissimulatum odium effunditur, neque defuerunt hodie, qui per ecclesiae evangelicae instaurationem hoc quoque rebus publicis damnum illatum esse dicerent, quod adolescentium institutio non amplius sit in potestate clericorum. Scilicet optime erant omnia constituta illo tempore, quo literas clerici tantum docebant, et omnia humana et divina religioni, quam illi quidem dicebant, id est superstitioni et superbiae ecclesiae serviebant: pacati populi, nullae seditiones erant, nisi quas Romani Pontifices excitassent, neque principes regnis exuti aut trucidati nisi in maiorem dei gloriam.

Sed quid obstat, quo minus hanc educationis gravissimam partem recipiant clerici, quam nemo iis eripuit, sed ipsi lubentes e manibus suis dimiserunt. Lutheri certe haec culpa non fuit, neque aliorum, qui isto tempore ad literas humaniores, in scholis summo cum studio tractandas populares, magistratus ipsosque principes, sedulo adhortabantur. Erant enim illi quidem alienissimi ab infausta eorum opinione, qui veram eruditionem, scriptorum classicorum, quos profanos antiqua superbia vocavit, assidua lectione linguarumque veterum studio comparatam, verae pietati obesse, animosque iuvenum, paganorum admiratione incensos, ab humili mysteriorum christianorum veneratione abducat; imo bene intelligebant, istarum literarum ignorantiam non solum tutissimum superstitionis praesidium sed etiam foecundissimam omni tempore matrem impietatis fuisse. Sed non obscurum est, quomodo factum fuerit, ut omnis puerorum in gymnasiis institutio laicis quos dicunt magistris relinqueretur. Nam postquam acrius literarum humaniorum studium in gymnasia revocatum erat, pauci e clericis satis eruditi reperiebantur, qui eas literas accurate et subtiliter tradere possent, neque sine magno verae eruditionis detrimento institutio scholastica tradenda erat hominibus, qui ad munus sacrum aliquando adspiraturi linguas vetustas certe accuratius, quam reliqui, iurisprudentiae artisque medicae studiosi, didicissent. Et quoniam fastidiebant pulverem scholasticum videbantque munera sacra et lautiora esse, neque laboribus tam improbis onusta, gymnasiorum magistri plerumque tantum ex eo-

rum candidatorum numero eligebantur, qui de munere sacro tempestive adipiscendo desperabant. Itaque institutio religionis in gymnasiis fere ubique relicta erat iis ipsis magistris, qui per totum diem tractandis scriptoribus graecis et latinis et herculeo specimina discipulorum corrigendi labore defatigati, illo officio eo segnius fungebantur, quo magis suis studiis humanioribus delectarentur. Accessit nostris temporibus ingens rerum copia, quas simul in gymnasiis impertiri pueris volunt, quasi vero earum rerum, quibus animi pueriles ad omnem veram eruditionem aliquando comparandam praeparandi sunt, scientia idonea imbui non possint illa ipsa librorum graecorum et latinorum lectione, non ea quidem in syllabarum aucupiis criticisque aculeis occupata, sed ad res cum verbis discendas apte instituta. Interea eiusmodi rebus (realia barbaries vocat) non solum ipsi magistri fatigantur, sed tempus lectionibus multis iisque diversissimis ita occupatur atque discinditur, ut neque magistris otium supersit, quo ad religionis institutionem uti velint, et discipuli, tot rebus distracti, horam huic institutioni destinatam, cui vix ipsi lubentes adsint praeceptores, perditam esse putent, inprimis cives superiorum ordinum, ad academiam adspirantes, e quibus, qui theologiae operam daturi sunt, satis mature res theologicas relicta schola disci putant, reliqui eas a se alienas esse arbitrantur. Si quis lectionum, quae eodem tempore in gymnasiis haberi solent, indices intueatur, hunc non miraturum esse putamus, quod tales e scholis pauci tantum prodeant, quales omnes esse cum maxime velint, qui docent in academiis, sed is etiam intelliget, iniustum esse, ob contemtum religionis, quem in gymnasiis nasci dicunt, ipsos magistros accusare, quibus vix quaternae per hebdomadem horae ad institutionem religionis relictae sunt.

Sed priusquam de vitio illo, quod dissimulari vix potest diutius, emendando cogitent, quibus nec voluntas neque potestas deest bene merendi de gymnasiis, necesse est, ut quid sit quod melius tractari velint, quidve effici cupiant, recte deliberent. Scilicet ad pietatem christianam formari animos iuvenum in gymnasiis volunt; audio, sed dent mihi hanc veniam, ut ex iis quaerere liceat, quam dicant aut intelligant pietatem christianam. Sciunt enim omnes, non unam esse omnibus de pietate sententiam, neque magis omnibus, quid fieri in scholis possit ac debeat, constare videtur. Certe qui iuvenes omnes pios reddi in gymnasiis po-

stulant, hi non levius errare videntur, quam qui e scholis prodire velint homines eruditos. Nam quum tota haec de pietate disputatio ad institutionem vitae christianae spectet, fieri non potest, ut aliquid amplius requirant, quam rudimenta pietatis, seu puerorum ideoneam praeparationem ad veram pietatem aliquando animis concipiendam: est enim pietas fructus vitae, non flos iuventutis; crescit tardius, diuturnam enim contentionem desiderat, neque in istius aetatis socordia maturescit. Sed fundamenta tantum ponenda sunt, quibus *ναὸς τοῦ ἁγίου πνεύματος* superstruatur, quod qua ratione fieri debeat, explicari non potest, nisi quae sint elementa pietatis christianae satis certo constet. Enimvero pius sibi quisque suo modo videtur, impium vocat, a quo superstitiosus, mysticus, fanaticus vicissim dicitur; hic fidem ostentat, alius factis superbit; multi in recte et honeste agendo pietatem quaerunt, virtutis causam ignorantes; sunt etiam, qui ex theologorum formulis christianam pietatem aestument. Si de gymnasiis catholicis sermo nobis esset, facilius componi haec lis posset: constat enim, in ecclesia, quae catholica dicitur, fundamenta pietatis christianae posita esse in fide catholica, quam qui simpliciter servat, is vero pius est, sed qui examinat impius est, imo peior pagano. Sed in ecclesia evangelica constat omnem institutionem pietatis christianae ex evangelio dei repetendam esse, de quo quum plurimi dissentiant, fieri non potest, quin de fundamentis pietatis in scholastica institutione ponendis diversissima consilia impertiant.

Duplex autem et olim fuit et nunc quoque esse solet modus adolescentibus in gymnasiis tradendi doctrinam religionis christianae, aut explicandis libris N. T. aut systemate quodam theologico proponendo: de utroque diligentius deliberandum est; utrique enim magna cautio adhibenda est. Nam quum omnis pietatis elementa in earum rerum scientia sita sint, ad quas ipsa religio referenda est, intelligitur, plurimum interesse, ut eae potissimum res puero in gymnasiis tradantur, quibus non solum accuratius cognitis, sed usu etiam et exercitatione subactis, vera pietas in posterum nasci possit: haud paucos enim, si recte suspicamur, adolescentes religionis taedium cepit, quoniam in scholis non coelestem evangelii doctrinam, sed systema aliquod theologicum acceperunt; multi quoque, frigoris taediique memores, quod per tempus scholasticum, quum sacris publicis ter quaterve

per hebdomadem interesse cogerentur, tolerarunt, a publica pietatis exercitatione abhorrent; reliqui, aut institutione domestica usi, aut in scholis urbanis instituti, rarissime inde ab iuventute religioni cultu numinis publico nutriendae adsueti sunt. Etenim quum ea aetate, quae in gymnasiis agitur, exempla plurimum valeant, quis tandem scholis, aut ipsis magistris, vitia discipulorum exprobret, quos illi, finitis lectionibus, aut aliorum curae aut suo ipsorum arbitrio permittere coacti sunt. Sed ne in ipsis scholis impietatis potius, quam pietatis semina spargantur, cavebunt ipsi magistri, aut cavere oportet eos, quibus gymnasiorum cura tradita est; hos enim par est et ipsos verae pietatis sensu imbutos esse, et optime intelligere, qua ratione scholis prospiciendum sit. Hi etiam pro sua sapientia videbunt, ut adsint magistri, qui doctrinae coelestis semina laetiores in posterum fructus prolatura adolescentium animis tradant, qui quidem neque in urbanis gymnasiis deficient, si modo eligere aptos velint. Nam in iis urbibus, in quibus gymnasia sunt, plures verbi divini ministri reperiuntur, quorum opera et otium scholis utilius impendi possit, quam plerumque fieri compertum habemus.

Sed quoniam vulgo rem actam esse putant, si libri N. T. in gymnasiis explicentur, minuenda est haec opinio. Principio sciunt omnes, in libris illis neque *σοφίαν τοῦ κόσμου τούτου*, neque graeci sermonis elegantias quaerendas esse. Adolescentes autem, quorum fervet animus, piam illam scriptorum sacrorum simplicitatem eo minus capiunt, quo magis reliquorum scriptorum, quos quotidie tractant, elegantiam et sublimitatem quoque in huius vitae rationibus explicandis conspicuam, admirari didicerunt. Itaque libros N. T., ipsis magistris praeeuntibus, legunt tamquam libros reliquos, rerum praestantiam e verbis aestumant, sermonis incompositi et quotidiani simplicitate offenduntur, omnes, qui non theologiae operam daturi sunt, librorum istorum incomtorum lectionem a se alienam esse putant. Ipsi quoque magistri in his libris explicandis haud raro subtilitatem tantum grammaticam exercere solent, ut adolescentes eos libros quasi speciminum styli loco habeant, ex quibus sermonis graeci vitia cognoscant, non autem ut suae vitae morbos et vitia intelligant et sanare discant. Audivimus esse quosdam, qui in libris N. T. in schola explicandis, hoc potissimum agant, ut formulas, in quibus scriptores sacri ab elegantia attica recesserint, non sine super-

bia discipulis denuncient, quasi istarum elegantiarum causa libri N. T. legendi sint.

Sed ab altera parte non levius peccatur ab iis, qui philosophicis disputationibus, aut blandis, quos aestheticos dicunt, sermonibus, religionis naturalis doctrinam tradentes, satis habent, christianae doctrinae effatis communibus insuper afferendis quandam rationis humanae decretis auctoritatem divinam addidisse, ac deinde historice tantum evangelii, veluti appendicis loco, mentionem faciunt. Hi quidem philosophorum graecorum et romanorum de numine divino, de providentia, de vitiorum turpitudine et de virtutis pulchritudine sententias celebrant, et sua quemque ratione reperire deum docent, adolescentes autem postea de Christo tamquam veri honestique magistro eximio audientes, cum Pythagora, Socrate, Platone aliisque eum comparant, quos longe elegantius docuisse intelligunt; denique scholas relinquunt laeti, suis viribus superbientes, beneficia Christi non curantes, imo id unice quaerentes, ut humanae sapientiae laude, victum, munera, honores sibi comparent. Quos quum vident morosi scholarum iudices, scriptorum ethnicorum lectionem accusant, et de ethnica adolescentium educatione conqueruntur, quamquam clarissima summorum virorum exempla docent, assiduam scriptorum veterum lectionem et indefessum antiquitatis studium a vera pietate christiana minime abhorrere. Quin istas ieiunas declamationes accusemus, quibus adolescentes et a vera philosophia et ab evangelio abducuntur. Sed quum mores huius seculi magis magisque ad mollitiem labi videamus, multique in pietate christiana non fortitudinis animi, sed patientiae placidae disciplinam quaerant, fieri non potest, quin crescat indies illud malum, cui dum mederi cupiunt, in vitia contraria incidunt. Misere enim falluntur, qui res divinas inservire volunt consiliis humanis.

Vident denique omnes, singularem curam iis potissimum adolescentibus adhibendam esse, qui aliquando ministri evangelii futuri sunt: miserrimum enim esset, si horum animos in scholis rerum sacrarum taedium cepisset. Nolumus enim quidem apud reliquos discipulos segnius tractari hanc partem gravissimam institutionis; imo valde vituperandam esse putamus socordiam eorum, quibus non ita magnum malum esse videtur, si iurisconsultorum aut medicorum animi vera pietate christiana non fuerint imbuti, quasi plebem tantum pium esse oporteat, ut paupertatem

atque omnia alia vitae humanae onera, futuri aevi praemia exspectans, patienter ferat. Sed quum maxime perniciosum sit, qui populum christianum institutione sua et exemplo vera pietate imbuere debeant, eos ipsos verae religionis sensu carere, de his potissimum iam in gymnasiis prospiciendum est, praesertim ut intelligant, nisi rerum divinarum scientia ante omnia suum ipsorum animum emendaverint et excoluerint, se, quamvis eruditi videantur, tamen coecos coecorum ductores esse futuros. Sed haec uberius nunc quidem explicari non possunt, et voluimus tantum vitia nonnulla notare, quibus adolescentium institutionem in gymnasiis passim laborare experientia cognovimus. Sanabilibus aegrotamus malis: desinant modo, qui scholarum curam habent, ista vitia magistris exprobrare, quorum plerumque deploranda potius sors iniqua, quam culpa accusanda est.

DE

IURE EPISCOPALI IN ECCLESIA EVANGELICA.

Episcopos in ecclesia Christiana ab initio nullos fuisse inter omnes constat. Nam qui primis seculis episcopi vocati sunt, hi, quamquam singularem inter presbyteros, reliquosque ecclesiarum ministros, dignitatem nacti sunt, tamen muneris potius et officii gravitate, quam iurium amplitudine insignes fuerunt, neque inertis dominationis hominum, qui christianam ecclesiam ad unius episcopi imperium regerent, turpe iugum ipsi principes populique tulerunt. Sed postquam hierarchia illa in monarchiam mutata est, per plura deinceps secula, inter reliqua iuris canonici commenta, etiam episcoporum iura nata sunt, principibus infesta, molesta populis ipsique ecclesiae perniciosa, sed a primae ecclesiae disciplina, ipsiusque Domini et Apostolorum consilio alienissima. Itaque quum Sec. XVI. ecclesiasticae dominationis impotentia ferri diutius non posset, ecclesiae, quae, ut evangelio dei obsequi possent, a Pontifice Romano secessionem facere cogebantur,

Episcoporum quoque iugum excusserunt. Unde factum est, ut in aliis ecclesiis Protestantium ne nomen quidem Episcoporum relinqueretur, in aliis episcopalis dignitas ad veram praesidum ecclesiae et curatorum rationem revocaretur. Quod iure factum esse, non est quod hoc loco demonstremus. Quamquam enim de nomine non ambitiosius contendendum est, neque vituperari possunt principes, qui ecclesiarum plurium curatores, quibus veram ἐπισκοπὴν crediderunt, episcopos etiam vocari voluerunt, maiores tamen nostri satis iustas causas habuerunt, cur, rebus ecclesiae adhuc turbatis, episcoporum, Pontifici Romano subiectorum, memoriam nomenque ipsum delendum esse censuerint. (vid. Boehmeri *Ius Eccl. Prot.* L. 1. Tit. XXXI. §. 76. 77.) Neque enim episcoporum nomine extincto, verum episcoporum munus sustulerunt: intelligebant enim, opus esse, ut res ecclesiae ordine administrarentur; neque populi arbitrio rerum sacrarum curam committere voluerunt: sed quum Episcopi officio suo deessent, eorum loco alios sufficiendos esse duxerunt, qui res ecclesiae sedulo curarent. Quare quum in Saxonia episcopi munus visendi ecclesias detrectassent, Lutherus omnibus modis efflagitavit, ut princeps elector aliis hoc negotium mandaret, non quod hunc optimum principem episcopi munus et officium habere putaret, aut ipsum pro summo in Saxonia episcopo haberet, sed quod eiusdem principis, cuius auctoritate illi episcopi fuissent, esse crederet, ut, postquam frustra eos officii sui monuisset, alios eligeret, qui ecclesiarum, a suis praesidibus relictarum, curam haberent. Res manifesta est: nos mutato nomine munus ipsum restituimus, quod in primitiva ecclesia episcopi habuerunt; Pontificii episcopos habent, sed nomen tantum, non rem ipsam retinuerunt. Recte Hieronymus scripsit: non omnes episcopi sunt episcopi: attendis Petrum, sed et Iudam considera.

Quae quum ita sint, dubitari non potest, quin episcoporum, qui olim fuerunt, et nunc quoque apud Pontificios reperiuntur, munus, in ecclesiis evangelicis sedulo et diligenter curetur, sive episcoporum, superintendentium, inspectorum, aliudve nomen apud nos gerant hi, quorum curae et inspectioni plures eiusdem provinciae ecclesiae subiectae sunt. Sed de *iure episcopali* in ecclesia evangelica disputant. Nam quum manifestum sit, praesides illos, quocunque nomine dicantur, istis iuribus, quae olim episcopi habuerunt, destitutos esse quaerere solent, ad quemnam

ea iura, (ius episcopale vocant) abierint, idque tanto cupidius faciunt, quo altius eorum animis inveterata de iuris canonici auctoritate opinio inhaeret. Etenim quum tanta fuerit ex iure canonico episcoporum auctoritas, ut non solum praesides et curatores, sed domini ecclesiarum ἀνυπεύθυνοι, i. e. terrarum, in qua esset dioecesis, dominis nullo modo subiecti viderentur, haec superba dominatio, cui aut derelicta cesserit, aut ultro tradita fuerit in ecclesiis evangelicis, dum quaerunt studiosius, totam iuris canonici de iure episcopali doctrinam ad ecclesias evangelicas transferunt, quasi iura, ab episcopis usurpata, veluti hereditate ab aliis capi debuissent. Itaque ius, quo episcopi olim usi fuerant, aut ab ecclesiis translatum ad principes, aut ad eos rediisse putant, alii, quis auctoritate et potentia episcoporum gaudeat in ecclesiis evangelicis, ad hunc diem disceptant, omnes autem ex iuris canonici decretis ius episcopale aestumare consueverunt. De qua perversa ratione iam ante hos vere centum annos J. H. Boehmerus conquestus est. [l. c. §. 3.] Sed neque nostra aetate desunt, qui in iure ecclesiastico protestantium describendo iuris pontificii principiis utuntur, ideoque in disputatione de iure episcopali in ecclesia evangelica episcopos quaerunt, aut qui haberi possint loco episcoporum, quales sub regno pontificio fuerunt*).

In principio autem huius disputationis necesse est accuratius definire, quid sit de quo disputetur, quum de iure episcopali in ecclesia evangelica quaeratur, quam late pateat, et qui sint, qui eo utantur. Primum igitur ante omnia tenendum est, non de ea iuris episcopalis parte quaeri, quae *iura ordinis* a magistris iuris canonici vocari consueverunt. Haec enim sive communia, sive propria episcopis fuerint, satis constat pastoribus reliquisque ministris ecclesiarum relicta fuisse. Quod eo facilius cessit, quum maxima eorum pars ad munus et officium, non ad dignitatem pertineret, ideoque dudum deserta ab episcopis fuisset. Sed de *imperio sacro* quaeritur, seu de *iurisdictione*, quam episcopi, qui sub pontifice fuerunt, olim exercuerunt. Dicimus autem non eam potestatem, quam iurisdictionem ecclesiasticam appellant, et ob

*) Verissime de usu iuris canonici in constituendo iure ecclesiastico, quo Protestantes utantur, praecepit C. G. Weberus, *Systemat. Darstell. des im Königr. Sachsen geltenden Kirchenrechts.* Tom. I. P. 1. §. 16.

quam episcopi iudices ordinarii habentur „in causis omnibus ad forum ecclesiasticum de iure spectantibus cum censuris ecclesiasticis;“ sed ius summum illud, quo in sua dioecesi utebantur episcopi, s. imperium sacrum, quod ex Pontificis Romani tantum auctoritate pendere dicitur. Etenim secundum hoc ius ecclesiarum in sua quisque dioecesi domini erant, quorum legibus ipsi quoque principes constringebantur, ita ut pro suo arbitrio res omnes ecclesiarum disponerent et perfectam *obedientiam, subiectionem* et *reverentiam*, non solum a clericis, sed etiam ab omnibus laicis, ne principe quidem excepto, iure suo postularent. Quod summum imperium sacrum, quum prorsus ablatum ab episcopis sit in ecclesia evangelica, putant plerumque ad ipsos principes pervenisse, ita ut episcoporum vices gerant, et vere sint ecclesiarum in suis terris summi episcopi, e quorum imperio res omnes ecclesiae, sola fide excepta, pendeant; hoc est ius illud episcopale, quo quis nunc utatur in ecclesia evangelica disceptari solet. Sunt enim, qui dicant, hoc summum imperium sacrum, quod sub Pontifice Romano episcopi superbi sibi arrogassent, ad ipsos principes, quibus ereptum fuisset, aut ultro rediisse, aut ab ecclesia delatum, iure territoriali exerceri, ideoque principes in ecclesia evangelica duplicem personam, principis et episcopi, in suis territoriis sustinere, ita ut eodem iure utantur, quo episcopi catholici etiamnum gaudent in ecclesia pontificia; neque defuerunt, qui hoc ius episcopale principum ad *illud ius circa sacra* referrent, quod principibus evangelicis imperii germanici legibus concessum est, postquam de iure publico, quo illi uterentur, diu dimicatum esset. Est autem non ius circa sacra, quod principes catholici quique, fortiores animo suique officii memores, contra Pontificis Romani imperium, inprimis in Germania, strenue defenderunt, neque nostra aetate, dum consilio potius et sapientia, quam ultionis studio et inertia res geretur, hierarchiae denuo relicturi sunt, sed totum illud ius episcopale per plura deinceps secula effictum, est imperium illud sacrum in ecclesiam Christi, quod Pontificum auctoritate olim episcopi habuerunt, est denique tota ista dominatio et potestas libera, ecclesia tamquam re sua utendi, quam post excussum regnum pontificium ad ipsos principes rediisse docent magistri iuris canonici, ita ut, si ius fidem imperandi exceperis, non solum episcoporum catholicorum, sed ipsius Papae locum principes in suis territoriis tenere videantur.

Sed hoc loco mirari satis non possumus, qui factum sit, ut iuris ecclesiastici protestantium magistri ius principum circa sacra ab illo iure pontificio repeti posse putaverint, quasi eam auctoritatem, qua ius illud conditum est, agnoscerent ecclesiae evangelicae. Nam quid agunt, qui ius episcopale illud in ecclesiis nostris quaerunt, qui principes evangelicos eandem potestatem ecclesiasticam habere dicunt, quam secundum ius canonicum episcopi habuerunt, nisi agnoscant, legitimam fuisse auctoritatem Pontificis Romani? Hac enim sola, constat ius episcopale. Sin minus, illegitimum imperium sacrum ad principes, quasi bonorum iniuste partorum heredes pervenisse, quo tandem pacto sibi persuadeant? Nam totum hoc imperium sacrum pontificium est; itaque pontificis iugo excusso totum extinctum est. Si Lutheri aliorumque virtus inveteratam Iurisconsultorum de auctoritate iuris canonici superstitionem minuere potuisset, dudum haec de usu iuris canonici in ecclesiis Protestantium opinio explosa esset, neque ius episcopale, quod fuit sub regno Pontificis, ad quem delatum fuerit, ad hunc diem quaereretur. Et illi quidem iuris utriusque, et canonici et civilis, doctores, qui contra Lutheri sententiam iuri canonico non prorsus valedixerunt, tunc quidem excusationem necessitatis habuerunt. Nullum enim ius aliud aderat, quo res ecclesiae regi causaeque ecclesiasticae decerni possent. Sed nostra aetate, tribus seculis elapsis, videant, quomodo se excusent, qui, postquam principum ius circa sacra sancitum est, et vera potestas ecclesiastica ab imperio civili disiuncta, legesque de causis ecclesiasticis novae conditae sunt, de iure illo episcopali loquuntur, quod nisi Pontificem mediatorem pie veneremur, pro insolenti imperio et iniustissima usucapione habendum est. Ferimus quidem subtiles et doctas de usu iuris Romani apud nos disputationes, illosque magnorum virorum labores lubenter admiramur: scimus enim iuris Romani rationem ab ipsis legislatoribus et a legum peritis probari; sed nunquam audivimus, iura civium nostrorum et collegiorum constituenda esse secundum leges Romanas. Quid vero est, cur nemo quaesiverit, quis in civitatibus christianis ius illud patriae potestatis, quo cives romani usi sunt, exerceat, ad quem populi, qui olim sub Romanorum imperio fuerunt aut tacite aut ultro detulerint, postquam iure Quiritium uti desierunt? Nimirum quod non romano iure sed suo utuntur. Sola ecclesia alienum iugum ferre cogitur;

hanc aequum esse dicunt ut iure canonico regatur, ut episcopis tamquam dominis, principibus ut episcopis subiecta sit, quoniam olim tam turpem servitutem passa est. Scilicet olim sub imperio sacro fuit, quod postquam detrectavit, principibus eadem lege subiecta est. Scio, prudentiores iuris ecclesiastici protestantium magistros de iure canonico eodem fere modo, quam de usu iuris romani sentire: dicunt enim, illius subsidium invocandum non esse, si decreta eius ecclesiarum evangelicarum rationi adversentur. Sed ius illud episcopale, quod isti exerceri in ecclesiis nostris volunt a principibus, totum rationi ecclesiarum protestantium repugnat. Quare omnes iuris utriusque doctores etiam atque etiam rogandi sunt, ut ius episcopale, natum in tenebris, nutritum ambitione, malignaque superbiae industria maturatum, in posterum ab ecclesiis evangelicis procul abesse iubeant.

Dicunt quidem, totum imperium illud, quod episcopi sibi arrogarunt, ab initio principum fuisse, ideoque ad principes iure rediise, quod iniuria eis ereptum fuisset. Sed hos vehementer oro rogoque, ut ostendant, imperium hoc, quo constat ius episcopale, ab initio principes habuisse, aut certe principibus christianis suo iure proprium esse debere. Deprecor autem imperatorum Romanorum exempla, quos Pontifices quoque nonnunquam fuisse constat, neque eorum imperiis movebor, qui alieni fuerunt ab ecclesia Christi: sed etiamsi haec omnia admitterem, negarem tamen, illos episcopos fuisse; si fuissent, negarem iure fuisse. Scilicet ius summum circa sacra, quod aetas recentior appellavit, iniuria ademtum erat principibus; hoc ad eos rediit, hoc inde a sec. XV. etiam hi principes sibi vindicarunt, qui, licet Pontificis Rom. auctoritatem non abiicerent, tamen sui iuris officiique memores fuerunt; hoc ne opus quidem erat, ut in ecclesiis Protestantium principibus pacto, stipulatione aliove modo, traderetur: nam iniuria exstincta, ius ipsum sponte rediit. Sed de hoc iure circa sacra non agitur in hac quaestione; de *iure episcopali* quaeritur; quamquam fuerunt, qui utrumque commiscerent, eosque principes, quibus per transactionem Passaviensem, per pacem Augustanam, denique per pacta pacis Westphalicae ius summum circa sacra concessum est, etiam episcoporum ius et auctoritatem in suis territoriis accepisse. Est autem dudum demonstratum, ius circa sacra longe differre ab iure episcopali: neque in legibus illis temere utrumque confusum est. Quod non est huius loci ut

demonstremus: satis enim constat, in pacis Osnaburg. formula ius circa sacra ab iurisdictione ecclesiastica (quae magna pars est iuris episcopalis) accurate distingui; (Art. V. §. 38. 48.) neque unquam principibus evangelicis ius episcopale in subditos catholicos concedere animus fuit his, qui negarunt, ipsi episcopo *catholico* Osnabrugensi licere iurisdictionem ecclesiasticam exercere in subditos suos A. C. addictos (Art. XIII. §. 8.) Sed de hac causa postea dicemus; nunc ad propositum revertamur. Dabunt autem mihi hanc veniam lectores, ut rem paulo altius repetam.

Ecclesiae ab initio singulae nullo communi vinculo consociatae fuerunt; imperatores romani eas aut non curabant, aut luporum more in eas grassabantur. Singulis presbyteri praeerant, qui res ecclesiae administrarent, hi episcopi quoque vocabantur. Sed neque episcopi, neque presbyteri imperium aliquod habebant, imo munus episcoporum tribus rebus continebatur, quod *docerent, inspicerent* ecclesias, et res totius ecclesiae communi consensu peragendas *dirigerent;* iurisdictionem et ius circa sacra nullum habuerunt. Postea, quum episcopi a presbyteris distinguerentur, illorum quidem potestas subinde aucta est, quod ex Tertulliani et Cypriani scriptis satis constat, sed illius imperii, quo ius episcopale continetur, ne prima quidem principia reperiuntur. Haec autem omnia inter ipsas ecclesias gerebantur; Imperatores romanos ius aliquod circa sacra christiana vel episcopale habuisse ineptum esset vel suspicari. Primus Constantinus ecclesiae, cui fidem dederat, curam publicam suscepit, et quamvis multa episcopis indulgeret, tamen ius suum circa sacra ita exercuit, ut res ecclesiae velut communis omnium episcopus, ut Eusebius ait, (*Vit. Constant.* Lib. I. cap. 44.) administraret. Sunt, qui verum ius episcopale Constantinum habuisse, ad eiusque exemplum omnes principes christianos ecclesiarum in suis territoriis summos episcopos esse censeant. Scilicet Constantinus, quum aliquando episcopos hilari convivio excepisset, se ipsum quoque episcopum esse dixit, unde manifestum est, eum imperatorem et episcopum fuisse; dixit enim, se episcopum esse, ergo fuit. Dixerit sane, sed non fuit; dixit, sed non talem, quales illi fuerunt, quales sunt, de quorum iure episcopali quaeritur. Sed salva res est. Nimirum ius circa sacra Constantinus exercuit, officio christiani principis sedulo functus est, externas res ecclesiae curavit, auxit, defendit, sua sacra

in palatio instituit, leges tulit, quibus subditi pagani ab i[illegible] tria subinde abducerentur. Haec postquam narravit Eu[illegible] (l. c. lib. IV. c. 24.) addit: ἔνθεν εἰκότως αὐτὸς ἐν ἑσ[illegible] ποτὲ δεξιούμενος ἐπισκόπους, λόγον ἀφῆκεν, ὡς ἄρα εἴ[illegible] αὐτὸς ἐπίσκοπος· ὧδέ πη αὐτοῖς εἰπὼν ῥήμασιν ἐφ' ἡμετ[illegible] ἀκοαῖς· ἀλλ' ὑμεῖς μὲν τῶν ἔσω τῆς ἐκκλησίας· ἐγὼ δ[illegible] ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθιστάμενος ἐπίσκοπος ἂν εἴην. Ha[illegible] ipso imperio, non de episcopatu intellexit ipse Eusebius; [illegible] enim: ἀκόλουθα δ' οὖν τῷ λόγῳ διανοούμενος, τοὺς ἀ[illegible]νους ἅπαντας ἐπεσκόπει. Ergo neque episcopus fuit, ne quidem iure episcopali usus est, sed ipsum ius circa sacra tunc liberrime exercuit. Eodem iure postea Imperatores et principes usi sunt. Sed hoc ius, Pontificum artibus subinde minutum, denique, per vim ademta investitura, totum fere in officium mutatum est, ipsum imperium ab eo tempore episcopi auctoritate Pontificum habuerunt. Postquam Lutherus in Germania ipsos principes desiderio recuperandi amissam potestatem incendisset, hi ab initio quidem dubitanter egerunt; verebantur enim, ne ius divinum episcoporum laederent, neque sacris ipsis imperare animus erat. Sed quum in confessione Augustana [art. XXVIII.] luculentissime demonstratum esset, iurisdictionem illam episcopos de iure divino non habere, sed omnem potestatem ecclesiasticam divino mandato docendi evangelium et administrandi sacramenta contineri, factum est, ut principes ius suum rectius perspicerent, ac deinde, ut solet fieri, recuperata, qua diu caruerant, supremae inspectionis et iurisdictionis potestate, ipsi in locum, quem episcopi tenuerant, successisse, totumque imperium sacrum accepisse viderentur. Interea ipsae ecclesiae, recuperata libertate christiana contentae, novum imperium eo lubentius ferebant, quod omnia ex consilio et auctoritate ministrorum et praesidum geri viderent, qui episcoporum loco res sacras administrarent. Ab eo inde tempore invaluit opinio totum ius episcopale ad principes pervenisse, quamquam de eius possessionis modo diversae sententiae fuerunt, quas non necesse est hoc loco enarrare.

Sed vident omnes, res diversissimas, ius circa sacra et ius episcopale, quod proprie dicitur, commisceri. Nam ius circa sacra principes tamquam partem civilis imperii habent, sed ius episcopale quum latissime pateat, diversas quoque causas habet. Etenim illam quidem eius partem, quam episcopi sibi arrogare-

iurisdictionem ecclesiasticam, et maximam iuris dioecesani principes suo iure recuperarunt, i. e. non ut episcopi, aut in episcoporum locum venerint, sed vi muneris et officii domini eius terrae, in qua est ecclesia; sed ius sacrorum, ipsum quoque totum suum fecerant episcopi, excusso iugo ficio, ad eos, qui ab initio habuerunt, ad ecclesiam rediit. unt enim, qui ius circa sacra et ius sacrorum ita commi- ut quia illud habeant principes, hoc quoque eos possidere, que loco episcoporum habendos esse putent. Neque unquam strare poterunt, ecclesias evangelicas hoc ius sacrorum pibus aut pacto aut alio modo detulisse. Nam quod dicunt, id factum esse, id eiusmodi est, ut quum de summis iuri- quaeratur, ferri plane non possit. Et quamquam illo tempore erant turbata omnia, ut ecclesiae, de sua salute sollicitae, de iurisdictione non cupidius contendere possent, satis tamen constat, inter medios belli tricennalis tumultus, in ipsa Saxonia nostra, de regundis finibus potestatis civilis in ecclesia acriter dimicatum fuisse.

Neque veremur, ne quis de verbis nos ambitiosius contendere dicat, aut nihil differre putet, utrum imperium, quod episcopi olim habuerunt, episcopale, an civile dicatur, modo constet id ipsum imperium totum ad principes delatum esse. Nam episcopi illi non solum civile imperium exercuerunt, sed ipsius ecclesiae *domini* fuerunt, ex quorum nutu penderent omnia, ita ut ipsos principes, ut filios ecclesiae, eorum mandata exequi oporteret, nisi excommunicationis fulmina experiri mallent. Licet igitur facile nobis persuadeamus, nullum esse principem evangelicum, qui more episcoporum, quorum vices gerat, imperare ecclesiae velit, tamen cavendum esse putamus, ne verborum ambiguitate prisca ecclesiae servitus occultetur. Dicunt quidem, si fides intacta maneat, si doctrinam ipsam, in Symbolis expositam, integram relinquant principes episcopi, salvam esse libertatem evangelicam, reliqua omnia principibus tuto committi posse. Sed videant ipsi, ne paulo levius de ecclesiae evangelicae libertate iudicent: meminerint illorum certaminum, quae de adiaphoris fuerunt, quum Mauricius invitus Lipsiensem formulam proposuisset; reputent denique, sacris qui imperet, eum ipsi christianorum religioni imperare. Imo totum illud ius episcopale missum faciamus et veram rationem civilis imperii et potestatis ecclesiasticae teneamus. Nam totum hoc ius ex diuturna iniuria natum est; in ecclesia evan-

gelica neque episcopi sunt ecclesiarum domini, neque principes sacrorum imperium habentes; suo iure et principes et ecclesiae utuntur.

Postremo quum ius episcopale potissimum constet iure sacrorum, intelligitur quanta incommoda oriantur, si ius episcopale principes habere dicamus. Primum enim satis constat, de principum evangelicorum iure circa sacra quomodo cavillentur Pontificii. Dicunt enim, principes hoc ius sibi arrogasse; nam quum in pactis imperii Germanici tantum suspensa fuerit episcoporum in ecclesiis evangelicis iurisdictio, principes eam non suo iure sed fiduciario exercere, eamque data occasione ad suos veros dominos redire debere. Et quamquam nunc paulo cautius loquuntur, certum est tamen, eos neque deposuisse unquam neque deposituros esse spem iura sua olim omnia recuperandi. Quid vero causae est, cur hanc ipsam spem alamus, de iure episcopali perpetuo loquuti, quin eam prorsus praecidamus, dum nostro iure, non pontificio, res ecclesiae agere constituamus. Sed maius etiam ex vulgari opinione incommodum nascitur, quod quum nunc maxime sentiamus, hoc loco expostulandum est. Feramus igitur, principem eius ecclesiae, cuius ipse socius est, episcopum esse, feramus sacrum imperium eius in ecclesia, quam amet, colat, veneretur, cuius confessionem et instituta ipse regiliose sequatur; sed qua tandem ratione negabimus, principem, ut episcopum, in ea quoque ecclesiá, quam falsam et haereticam habeat, quam nisi oderit, certe amare nequeat, sacrorum ius et imperium habere? Negamus tamen, deprecamur; summum enim ei ecclesiae periculum imminere intelligimus; sed quo iure, viderint, qui principem ius episcopale habere docent. Scilicet fidem intactam relinquet, ceterum ecclesiae imperabit ut dominus, secundum tritum illud: cuius est regio, eius est religio. Enimvero salva res est; non est enim episcopus neque sacrum habet imperium, ne in ea quidem ecclesia, cui fidem promisit, nedum in ecclesia aliena. Ecclesia unum dominum habet, Iesum Christum, huius imperio paret, ab hoc accepit potestatem suam, quam sive Pontifici sive principi permittat, pariter peccaverit. Princeps aut omnium ecclesiarum, quae in sua ditione sunt, aut nullius episcopus et dominus est: est autem nullius; ergo ab eius imperio sacro ea quoque ecclesia libera est, cui aut fidem nunquam dederit, aut valedixerit. Sed videte, quam callide cavillentur adversarii. Vos,

quiunt, quemque principem episcopi potestatem habere ipsi dici-
: quod si vere dicitis, licet falsissimum sit, concedere vos
ortet, quod negatis, eum vestrae quoque ecclesiae episcopum
se; nam quis habeat imperium sacrum in vestra ecclesia, nisi
inceps habeat, quem vos episcopi personam sustinere, spreto
cario Christi, temere affirmatis; nisi scilicet, quod negatis,
atus in statu (quod aiunt vestri Icti,) esse velitis. Quid igitur
postulatis? Habete vobis episcopum vestrum, aut cum prin-
pe vestro ad matrem ecclesiam redite, quae tantum abest, ut
incipes imperium sacrum habere concedat, ut omnem legitimam
vilem potestatem principes non nisi ab ecclesiae domino univer-
li accipere posse doceat. Scio, quid responsuri sint: ecclesiam
incipi imperium sacrum hac lege concessisse, ut ipsius liberta-
m et bona servaret, sed principem alienae ecclesiae addictum
n ut episcopum agnovisse, ergo si is deseruerit ecclesiam suam,
ae ipsi imperium sacrum crediderat, hoc ipsum quoque impe-
m amissurum esse. Sed si princeps, ut regionis dominus,
am ecclesiae dominus est, sequitur, eum omnium ecclesiarum,
ae in eius ditione reperiuntur, episcopum suo iure esse, neque
as esse, ut cum ecclesiis paciscatur. Quod dicunt, si pacta
int, ecclesiarum iura pactorum conditione constare, ideoque
a principis episcopalia exstingui, si is ecclesiam suam dese-
rit, id rationi, quam sequuntur, plane repugnat; habet enim
nceps (ex eorum quidem sententia) suo iure imperium sacrum.
aeterea in iis civitatibus, in quibus nulla eiusmodi pacta san-
a sunt, qua tandem lege res ecclesiae gerantur? Et ipsi con-
ant, pactis *tacitis*, quae dicuntur, plerumque rem constare;
quum de istorum pactorum conditione disceptetur, nihil re-
quitur, nisi ut secundum vulgarem opinionem ex iure princi-
m episcopali pactorum rationem aestumemus. Itaque totum
d ius episcopale missum faciamus, et de principum iuribus
mis circa sacra ita statuamus, ut recta ratio praecipit, et
ilis imperii officium postulat, ipsiusque ecclesiae dignitas cum
xime flagitat. Ita neque cavillationibus neque suspicioni locus
t, sed et principi et ecclesiae ius suum integrum conservabitur.

DE
MUTATIONIBUS LITERARUM PER PROXIMOS QUINQUAGINTA ANNOS FACTIS*).

Quamquam Te, venerande Becki, vitae publicae, inter labores magnos et gravissima negotia, per quinquaginta annos in hac literarum Universitate transactae memoriam his ipsis diebus recolentem, plurimarum rerum insignium, quibus ipse per illud tempus interfuisti, summorumque providentiae divinae beneficiorum grata recordatione par est commoveri et oblectari, tamen Te, quum literis magis quam Tibi vixeris, et per totam vitam Tuam de divinae humanaeque sapientiae copiis parandis et augendis summo studio et cum laude eximia laboraveris, memorabiles quoque earum literarum, quibus Tu maxime inclaruisti, mutationes diligentissime, ut soles, animo repetiturum, ex iisque magnam laetitiae Tuae partem sumturum esse, verissime intelligere mihi videor. Quemadmodum enim vel unius diei cursum placide respicere sub vesperam laborumque diurnorum futuros fructus animo carpere gratissimum esse solet, ita etiam maximo vitae spatio exacto, quibus rebus iuvandis ornandisque omne studium impenderis, earum laeta incrementa contemplari, ex iisque et laborum tuorum verissima praemia et futurae spem humanae felicitatis mente percipere, iucundissimum dignumque homine liberali habendum est. Nam qui divinae humanaeve scientiae operam dant, hi non aequalibus tantum docendo scribendoque prodesse plurimum, sed posteris quoque inservire cupiunt maxime, ut hi paratis a parentibus copiis ad maiora generis humani commoda utantur, ut, quod ipsi inchoatum reliquerint, perficiant et inter suos aequales feliciori rerum conditione olim fruantur. Nimirum ea est literarum natura, ut nunquam absolutae haberi possint, sed perpetua incrementa capere debeant; neque est vir quisquam vere eruditus et sapiens, qui in aliquo literarum et scientiae genere ullo tempore, aut suo labore effectum esse putet, ut nihil relictum sit, quod addi emendarive queat; imo quod quis suo

*) Ad Christ. Dan. Beckium quinquagenarium academiae magistrum epistola gratulatoria. d. d. VIII. Maii MDCCCXXIX.

tempore maxime excultum videt, id magis etiam a posteris excultum iri laetus prospicit: nam ut sibi ipse nunquam satisfecit, ita etiam ab iis, qui ipsi successuri sunt, opibusque sua quoque opera partis uti possunt, longiores progressus postulat. Mihi quidem, et credo tantum non omnibus, qui literarum studiis se dicarunt, maxima felicitatis pars in eo sita esse videtur, quod qui in literis excolendis vires vitamque absumunt, non his tantum, inter quos vivunt, sed posteris maxime prodesse possunt: nam praesentes laborum fructus tardius maturescunt; gloria, inter aequales parta, fallax est, nec diu post mortem superstes; mox enim (neque invidendum est), succedunt alii, nostra merita superantes: sed ipsi tamen fructus per omnes aetates perdurant. Et quum plerumque fiat, ut et nostrorum laborum et rerum ab aequalibus praeclare gestarum speratum eventum mors occupet, laeta spe posteritatis lubentius acquiescunt, qui non suum commodum spectarunt, sed aliis maxime inserviendum esse putaverunt.

Itaque quum mandassent mihi amici, ut aliquod pietatis amorisque nostri documentum et ipsorum et plurimorum discipulorum Tuorum nomine ederem, neque ingratum Tibi neque a communi laetitia nostra alienum me facturum esse duxi, si insignes, quas eae literae, in quibus Tu summa cum laude versatus est, per hos quinquaginta annos subierunt mutationes, breviter enarrarem. Quamquam enim tantae sunt, ut eas vix longissima hominis literatissimi narratio capere posse videatur, nedum libellus brevis, scriptus a theologo, hoc ipso tempore multis aliis negotiis occupato, quem verendum est ne haud pauci istarum rerum arbitrum haud satis idoneum habeant, duae tamen res fuerunt, quae animum consiliumque meum confirmarent. Primum enim fere omnes istae mutationes ab eo ipso tempore ortae sunt, quo Tu docendi initium fecisti. Nam causae quidem earum iam tunc aderant, neque subitae ultro irruerunt; sed illae tamen eiusmodi fuerunt, ut tantas conversiones tunc quidem praevidere nemo potuisset, et qua ratione tanta mutatio effecta fuerit, nemo, nisi ab ipsa origine omnia repetat, nunc satis perspicere possit. Tu vero, venerande Becki, qui rerum illarum ab initio testis affuisti, et per totum illud tempus omnia diligentissime observasti, quo modo, quibusque causis res tota gesta sit, omnium optime intelligis; praesertim quum semper Tibi persuasum fuerit, istarum literarum

tantam esse consocaitionem et necessitudinem naturalem, ut, qui in una inclarescere cupiat, ei nullam earum partem negligere liceat, ideoque earum omnium studium ita coniunxeris, ut ubicunque opus esset, singularum, quas optime teneres, praesenti auxilio uti posses. Itaque istarum mutationum imaginem vivam veramque ita obversari animo Tuo arbitrabar, ut, licet exprimi omnia non possent, tamen ad rerum Tuarum gratam memoriam vel levis suffectura videretur adumbratio. Deinde negari non potest, earum potissimum literarum, quas Tu inprimis amasti, mutationes ita esse comparatas, ut laetiora prope omnia conspiciamus magnamque de iis spem in posterum quoque concipere possimus. Nam multa quidem etiam tristia acciderunt; est enim haec sors humana, ut veri scientia multis erroribus redimenda sit: et sunt fortasse haud pauci, qui de rebus multis conquerantur, illamque priscam disciplinam, cui a pueris adsueverunt, nunc vero totam mutatam, morosius desiderent, praesertim in theologia, olim quidem optime, ut videbatur, constituta, sed hodie diversissimarum opinionum dissidio miserrime perturbata. Neque mihi placent omnia; Tu vero optime scis, quibus malis laboremus. Sed quis est tam ignarus rerum, ut e sui temporis ratione, quae futura sint, praedicere audeat, ut quae olim fuerunt, quorumque fructus ipse vidit, laudet unice, nova autem, incerta multisque dubitationibus impedita, damnet; aut quis tam vecors est, ut iuvenilis aetatis studia, senectuti nonnunquam molesta, accuset et, quae maturescere modo coeperunt, irrita et infecunda esse dicat. Quin concedamus, res nostras in eum locum deductas esse, ut optima quaeque sperare liceat: nam praesentis aetatis vitia futurum tempus emendabit; nos, quae nunc quidem dubia sunt, placidi feramus, et dum licet, quaedam ipsi corrigere studeamus. Sed liceat mihi nunc Tua venia de singulis deinceps breviter disputare.

Video autem a *philosophia* initium faciendum esse. Haec enim et regina omnis scientiae humanae habetur, et plurimos fautores habet, qui, quum eam rebus omnibus imperare velint, si rem gravissimam ultimo loco, veluti in summo cacumine positam viderint, magnam iniuriam aegre ferant; nimirum timeo iras philosophorum. Itaque quamquam Tu, rerum divinarum humanarumque scientia optime imbutus, nunquam inter philosophos, qui nunc proprie dicuntur, esse volueris, sed certaminum, quae per

haec ipsa decem lustra inter philosophos agitata sunt, spectator quam socius esse malueris, dabis tamen hanc mihi veniam, ut a philosophia, tamquam ab Iove, auspicatum dicendi exordium capiam; deinde de philologia, de historia, de theologia ultimo loco dicturus sum.

Erat autem philosophiae, quam dicunt, certa ratione in artis et disciplinae formam redactae studium ante hos quinquaginta annos ignobile, nullis magnis ausis inventisque clarum in patria nostra, ut Galli et Angli tunc quidem populares nostros longissime superarent. Nam lumen illud, quo Leibnitius magnam terrae partem illustraverat, studiis eorum, qui in angustis rerum formis sapientiam cerni putant, ita propemodum extinctum erat, ut rarissimae tantum magni istius ingenii scintillulae conspicerentur. Germani, quantumvis amare libertatem dicuntur, tamen a liberiori verum quaerendi docendique ratione diu abhorruerunt, et quum vicinorum, inprimis Gallorum, scientia ad omnes rerum humanarum usus amplissime se diffunderet, ipsi inter angustos systematis cancellos nos tenere, et formularum vincula non solum ferre patienter, sed etiam cum superbia quadam imponere nobis ipsi consuevimus. Sunt, qui laudent hoc Germanorum omnia ad certam formularum rationem et disciplinam redigendi studium, eoque ipso nos praestare ceteris putent. Sed de philosophia licet certe dubitare. Imperabat tunc quidem Wolfii schola, mathematica subtilitate omnem divinarum humanarumque rerum scientiam complexa, quae per quinquaginta fere annos omnes Germaniae philosophos tenuit; ex quorum numero etiam illi fuerunt, quos Tu Lipsiae audivisti. Nam Crusii schola ipso fere adhuc vivente evanuit. Scilicet huius viri philosophia ex proprio quodam eius sensu nata, paucis tantum conveniebat; atque etiam pertaesum erat certaminum. Plures enim exstiterunt viri egregii, quorum liberaliori studio singulae scientiae philosophicae partes illustrarentur, et ipsa philosophia, a vanis incertisque formulis liberaretur: inter quos Reimarus, Lambertus, Sulzerus, Moses Mendeli et Garvius noster eminebant. Inprimis vero ad meliorem verum quaerendi rationem monstrandam Lessingii ingenium contulit, mobile illud quidem et importunum tunc multis visum, sed ad vanam hominum, verborum nominumque languida auctoritate exsultantium, arrogantiam arguendam aptissimum. Illud vere maximum, quod ab eo tempore philosophia

rebus theologorum esse immiscere coepit, ita ut omnia divinae sapientiae decreta, tanquam ab hominibus tradita, non tantum rationis humanae iudicio subiicerentur, sed etiam ex mentis humanae rationibus omnique accommodarentur. Falluntur enim, qui nostra demum aetate tam late grassari coepisse philosophiam arbitrantur. Nihil novi nunc agitur, saepius iam acta est haec fabula. Quare non mirandum est, esse hodie nonnullos, qui ferunt patientius, quibus alii, tanquam novae impietatis infantis conatibus, vehementius commoverentur: sciunt enim, eiusmodi philosophiarum studiis omni tempore id modo effectum esse, ut veri iudicium confirmaretur. Sed quo latius se isto tempore philosophia ad res omnes diffundebat, eo magis necessarium erat, ut ad certas causas ipsa revocaretur, rerumque omnium, quas scientia assequi humana potest, fines ac principia quaererentur. Fuit hoc summum lumen. Kantii meritum, qui non solum omnes philosophiae partes examinavit, sed etiam ipsius scientiae verae fontes primos indagare instituit. Nam quum in rebus omnibus, atque in philosophia maxime, errorum falsaeque sapientiae causa haec primaria sit, quod quae aut non satis perspecta sunt, aut non possunt perspici, ea scire nos et intelligere putamus, rerumque simulacris, quae usus et experientia menti impressit, tanquam veris ipsius naturae perceptionibus ducimur, Kantius, ut rerum omnium, quae sub cognitionem humanam cadunt, fines accuratius constituerentur, ipsius rationis humanae vim naturalem ita examinandam esse existimavit, ut pura et genuina eius veluti forma, a rerum materia, quam experientia offert, seiungeretur. Quod licet iam alii facere conati essent, ille tamen primus ita perfecit, ut universum scientiae verae campum emensus, primus verae philosophiae auctor exstitisse videretur. Non est huius loci singula exponere; sed hoc omnes concedent, per Kantianam philosophiam, quam ipse magister optimo iure criticam vocavit, universam de rebus omnibus philosophandi rationem mutatam omniumque aequalium studium indagandi verum ita incensum inflammatumque esse, ut paucissimi fuerint, ad quos eae res non pertinerent. Nam theologi, iurisconsulti, medici ipsique grammatici pariter atque philosophi commovebantur; nulla doctrinae et eruditionis pars relinquebatur, quin examini critico subiiceretur; parum aberat, quin rustici quoque secundum philosophiae criticae principia erudirentur. Sed vana quidem nonnullorum stu-

dia dudum exstincta sunt, ipsius autem philosophiae tanta fuit vis, ut nova rerum fere omnium facies oriretur, et Germani communi philosophiae studio nunc primum inclarescerent, et, quod dicam sine invidia, vicinos longe superarent. Eo tempore, quidquid aut laudatur hodie aut vituperatur, natum est: scepticismi incerta ratio demonstrata, dogmatici decretorum suorum auctoritate exuti, empiricorum levitas graviter reprehensa, disciplina iuris melius constituta, philosophia moralis ad gravitatem severitatemque revocata, ipsa theologia multis quidem modis aucta et illustrata, sed vehementer etiam concussa et perturbata. Est autem haec scholarum omnium communis sors atque conditio, ut tardius aut ocius deflorescant, iisque succedant aliae et ipsae mox periturae; quare in eiusmodi rebus non nominis auctoritatisque perennitas, sed efficacitatis et utilitatis perpetuitas spectanda est. Itaque post Kantii memoriam plura quidem systemata deinceps condita sunt, sed illius tanta fuit vis, ut ne hodie quidem extincta sit, et a popularibus nostris beata illa inertis rationis somnia porro propulsura videatur. Quis enim tam ignavus est, qui, quod hodierna philosophorum studia quaedam a vera sapientia abducere videntur, illud reduci tempus velit, quo tota philosophia certis erat formulis inclusa, singulisque eius partibus deinceps enarratis, quisque philosophus satis idoneus videbatur? Haec ratio quum in hac academia nostra nunquam imperaverit, non mirandum est, fuisse quosdam, qui Lipsiae hoc exprobrandum putarent, quod nullos fere scholae philosophicae conditores habuisset, illiusque gloriae laude et luce careret, quam aliis locis philosophi quidam ad breve tempus conciliarunt. Mihi quidem res eo iam perducta videtur, ut nulla unius sectae dominatio aut fructuosa aut diuturna futura sit. Sed hoc loco impetrare a me non possum, quin philosophi illius mentionem faciam, qui licet nullam apud nos scholam condiderit, imo nomen Academici visus fuerit nonnullis ambitiosius quaesivisse, plurimorum tamen iuvenum animos ad veram philosophiam quaerendam excitavit et infinitum discipulorum numerum vere philosophari, id est, veram sapientiam quaerere docuit. Erat is Platnerus, summi vir ingenii, quem Tu amicum collegamque habuisti, ego quum ante hos triginta septem annos Lipsiam venissem, per annum integrum audivi. Vigebat tunc summa auctoritate, non verborum aculeis et formularum philosophicarum pondere quaesita, sed disputationibus

acutis, ad ingenia exercenda, ad superbiam ab animis iuvenum arcendam ignavamque philosophandi rationem arguendam aptissimis, orisque facundia, digna philosopho, comparata. Erant quidem tunc nonnulli, qui quererentur, quod nullam, ut dicebant, philosophiam in scholis eius discerent; scilicet nullius scholae formulas calamo excipere poterant; sed horum quidem naturae nulla philosophia conveniebat: plurimi autem erant, (et nunc quoque multos superesse puto) qui philosophari se discere intelligerent. Memini, prima aestate, quam Lipsiae vixi, quum in hortis Bosianis obambularet cum discipulis nonnullis et de vera philosophia, quae tunc quidem plurimis sola Kantiana videbatur, sermo incidisset, eum nos, ferventes animo, monuisse, non esse veram philosophiam scholae addictam, imo quemque eam sibi quaerere debere, nullamque unquam vocem digniorem philosopho emissam esse, quam Spinozae illud dictum: Fortasse, vera quae sit philosophia, nescio, sed veram me habere intelligo.

Sed ad *historiam* perveniendum est, quam Tu primum docere instituisti. Fervebat autem iam tunc praeclarum eius studium, neque deerant inter populares nostros, qui singulis historiae partibus illustrandis magnam sibi laudem pararent. Sed quum istius temporis memoriam repeto, historiae latissimum campum per hos quinquaginta annos mirifice illustratum amplificatumque esse video. Itaque quum universa historiae disciplina duabus rebus contineatur, primum rerum gestarum veritate et ἀσφαλείᾳ, deinde narrandi ratione apta rebusque perspiciendis idonea, liceat mihi de singulis deinceps dicere. Ac primum quidem critica illa pars studii historici quantopere aucta sit hoc tempore, quamquam omnes intelligunt, qui historiae operam dederunt, tamen, quum sint, quibus etiam in hoc scientiae genere modum excessisse recentiores videantur, operae pretium me facturum esse puto, si de his rebus, Te teste et arbitro, breviter disputavero. Historiae studium in Germania eodem tempore revixisse, quo ecclesia ab infinitis vetustatis erroribus defendenda erat, inter omnes constat. Itaque tunc primum examinari omnia diligentius coeperunt: monumentorum vetustorum fides explorata, innumerabiles fabulae detectae, multorum seculorum opiniones, ipsa religione sancitae, explosae; et quum, restituta libertate studiorum, nemo non verum dicere auderet, eo magis omnes, ne quid falsi dicerent, cavere poterant. Sed hoc studium criticum per duo fere secula in

historiam ecclesiasticam fere solam conferebatur, de reliquis minus solliciti erant: nam et certiora omnia habebantur, neque tantum in errore periculum esse videbatur. Illa vero gravissima critici studii praesidia, ars diplomatica, chronologia, geographia, doctrina numismatica, atque universa omnino antiquitatis scientia, nondum ita erat comparata, ut verae historiae quaerendae inservire posset. Librorum vetustorum, inprimis graecorum et latinorum exempla diligentius quidem excussa, sed fide critica destituta; dum in verbis emendandis haererent, rerum veritas aut neglecta aut temere credita; nulla fere erat historiae pars, cuius fides satis esset explorata; scriptorum tanta erat auctoritas, ut ad fidem rebus faciendam vel nomen sufficeret. Quis enim, ut rem exemplo illustrem, tunc quidem, quum Tu historiam vetustam enarrare inciperes, inducere in animum suum potuisset, ut de historiae Romanae fontibus ipsiusque nobilissimae gentis primordiis dubitari posse crederet? Nihil dicam de historiae sacrae originibus, quae olim certissimae habebantur, nunc vero tam incertae factae esse videntur, ut nihil reliquum sit, quod satis certum exploratumque haberi possit. Sed ipsa Graecorum historia, immortali rerum praeclare gestarum memoria longe celebratissima, olim ex historicis scriptoribus optimis, iisque elegantissime res omnes enarrantibus, sine omni dubitatione hausta, hac ipsa aetate Tua, a primis initiis repetita est, ipsique fontes, de quorum fide nulla fere suspicio fuisset, quasi modo reperti essent, cautissime examinati sunt. Et quum veteres illi rerum gestarum scriptores non sufficere viderentur, tanto studiosius novi testes quaesiti adhibitique sunt. Unde factum est, ut omnes partes historiae ingenti rerum undequaque comparatarum copia augerentur, nonnullae etiam obrui viderentur; sed dum incerta multa certioribus cedebant, etiam haud pauca non magis certa fidem invenerunt. Atque etiam sunt, qui scepticismum aequalibus nostris exprobrent, et incerta ac dubia omnia reddita esse querantur. Ego vero sic existimo, quum de rebus humanis omnibus semel dubitandum sit, ut ille philosophus dixit, tum in historia maxime, primam quidem historici legem esse, ne quid falsi dicere audeat, sed alteram non minus esse necessariam, ne in ulla re temere assentiatur. Neque inveniendo vero tantum obest nimia in assentiendo timiditas et ἀπιστία, quantum omni tempore incauta credulitas nocuit: illa enim ad certiora quaerenda incitat, et, dum de veris fal-

sisque pariter dubitat, quae falsa sint, cognoscit, vera confirmat; haec autem neque errores depellit, neque veri certas causas intelligit. Quare scepticismo historico, qui hac suspiciosissima aetate nostra plurimorum hominum doctorum animos occupavit, non nimis succenseo, quamvis nonnunquam theologorum bilem commovere videatur. Nam ea pars historiae, quae potissimum ad theologos pertinet, criticorum dubitationibus omnium maxime lacessita est et tam hostili animo a nonnullis petita, ut cohibere iram haud raro sit difficillimum; non quod minus feliciter res nostrae cedant aut ecclesiae perniciem allatura sint ista studia, sed quia manifestum est, non ea ratione fieri omnia, quam in quaque alia historiae parte aequi et prudentes viri sequendam esse ducant. Quamquam enim in eiusmodi rebus, quae ad religionem pertinent, vituperari non potest, si diligentius et veluti cum diffidentia quadam investigantur omnia et examinantur; nam quum omnis error temerarius turpis sit, tum in iis rebus maxime, quarum veritate vita humana regenda est: verendum est tamen, ne modum excedant, qui non ut verum reperiant, dubitant, sed, quae ab aliis pro veris habentur, ea ut aut falsa aut incerta esse demonstrent. Quo fit, ut ipsum veri iudicium perturbetur, quoniam, ut in calumniis solet fieri, semper aliqua suspicio haeret. Mihi quidem, licet ab omni temeritate in assentiendo valde abhorream, ingenue tamen fateor, nunquam eorum rationem placere potuisse, qui nullam fere potiorem dubitandi causam habere solent, quam quod ipsi falsa esse cupiant, quae aliis vera videantur. Et Tu optime scis, amicissime Becki, ut multa olim vera temere habita fuerint, quod multi pro veris ea habenda esse decrevissent, ita etiam nostra aetate de rebus multis hanc unam ob causam dubitatum esse, quod eas nollent nonnulli veras esse et haberi. Quum Wolfius ille de carminum Homericorum origine ita disputasset, ut divini poetae, quem universa antiquitas coluisset, vanum tantum simulacrum relinqueretur, par erat multorum animos gravius commoveri: et me ipsum fere succensuisse illi viro fateor, quod ipsius nomen Homeri aeque incertum fabulosumque atque Bacchi, Cadmi, Herculis aliorumque heroum nomina reddere studuisset. Et tamen illis carminibus eadem praestantia inesset idemque iis honos maneret, etiamsi demonstratum esset, ea a diversis hominibus, non ab uno Homero condita esse. Quod licet non satis idoneis argumentis ille demonstrasse videri possit, ne-

mo tamen irasci viro morosiori potest, quod universae antiquitatis testimonium elevaverit. Nam illa quidem carmina eo tempore scripta creduntur, de quo nullus scriptor aequalis fidem facit; erant in ore omnium, priusquam de eorum auctore quaereretur; unum omnes Homerum esse credebant, quamquam ne de patria quidem eius constaret. Sed de primis historiae et doctrinae christianae fontibus atque de ipsorum librorum sacrorum N. T. origine quis unquam credidisset ita dubitatum iri, quasi nulla eo tempore, quo scripti dicuntur, historia certa fuerit, sed omnes, qui aut eadem aetate aut statim post vixerunt, tanta tamque temeraria credulitate laboraverint, ut vana vulgi opinione ducerentur in ea re, quam ipsi gravissimam sanctamque esse existimarent. Verum de his quidem rebus uberius dicere, neque est huius loci, et ab huius diei laetitia alienum foret. Illud autem certum exploratumque habeo, talem rationem criticam in nulla alia historiae parte probari. Sed verendum erat tamen, ne iniuriam facere viderer, si crisin illam altiorem, quam dicunt, silentio praetermitterem. Haec autem, quum sensu potius quam certa ratione plerumque nitatur, quantum ad veram historiam collatura sit, optimus omnium errorum emendator, tempus ipsum docebit. Itaque ad alterum perveniam, quo historiae disciplina per hos quinquaginta annos mutata et Tuo ipsius studio melius constituta est. Quum enim non satis sit, res omnes colligere studiose diligenterque examinare, sed illud quoque spectari oporteat, ut enarrentur recta ratione, i. e. ut non solum cum voluptate legi earum historia possit, sed etiam ut earum causae eventusque recte perspiciantur; in hac quidem artis historicae parte populares nostri eo tempore, quo Tu historiam docere coepisti, ab Anglis, Gallis, ipsisque Italis longe superabantur; ipsius linguae patriae rigida tunc quidem gravitas quandam narrationis suavitatem et elegantiam recusare videbatur; plerique in colligenda congerendaque materia occupabantur; nonnullae partes historiae prorsus incultae desertaeque erant. Historia Germaniae nulla erat; tantum imperii germanici et imperatorum Rom. historia tradebatur: universalis quae dicitur historia non rerum humanarum omnium imaginem, sed singulorum populorum suis locis descriptam ingentis molis historiam referebat; ipsa historia ecclesiastica singulis quidem locis egregie illustrata, atque ab Arnoldo aequius tradita erat, sed vix theologis satis idonea, quibus solis

inservire credebatur. Et quis hodie legat sine taedio libros illos, in quibus Germaniae, populorum Europae, aut singularum gentium historiae, vel in compendio, vel copiosius enarrabantur illo tempore, quum Tu, Becki venerande, ad historiam scribendam animum adiiceres? Gattererum tunc omnes merito admirabantur, qui primus meliorem historiae universalis scribendae rationem ostenderat; sed hac methodo synchronistica rerum ordine et certa ratione coniungendarum initium tantum factum fuisse, omnes nunc intelligunt. Sed quid esset historiam universalem scribere, quo consilio discenda, quid ex ea cognoscendum esset maxime, tunc quidem primum animadverterunt. Atque Tu ipse inter primos fuisti, quorum ingenio effectum est, ut nunc illam historiam melius constitutam habeamus. Nam eorum quidem studia, qui ad rationes philosophicas eam scribendam esse praeciperent, nec Tibi, neque aliis sapientibus viris probari poterant, quoniam quid vere gestum sit, quibusve causis id factum esse certis documentis constet, quaerere oportet, non autem id agendum est, ut, si recta ratione in hominum populorumque vita semper acta essent omnia, quid accidere debuisset, ostendamus. Sed neminem tamen fere puto, qui ita nostris invideat bonis, ut universae historiae studio, non tantum ad rerum causas perspiciendas apto, sed etiam ad veros generis humani, singularumque gentium progessus regressusve observandos composito, ab ulla gente nunc quidem superari populares nostros censeat. Et quum isto tempore unus fere Moshemius in elegantiori historiam narrandi genere emineret, iam factum videmus, ut plures habeamus, qui cum elegantissimis aliarum gentium scriptoribus historicis possint comparari. Neque verendum est, ne narrationis, ad oblectandum magis quam ad instituendum aptae, vanis artibus historiae dignitas utilitasque inter nostros minuatur; ab hoc enim malo nativa et quasi gentilicia nos gravitas defendet. Sed quum multae partes historiae a popularibus nostris hoc tempore egregie excultae ornataeque fuerint, tum ea maxime, quae theologis propria esse videtur, historia ecclesiastica: huic enim tanta et tamque insignia haec aetas nostra incrementa attulit, ut a plurimis inveteratis opinionibus, in primis vero a contentiosa tractandi ratione liberata videatur. Atque hoc loco et res ipsa monet, et mea pietas postulat, ut Joh. Matth. Schroeckhium commemorem, optimum historiae scribendae magistrum, qui quum multas alias historiae partes illu-

straverit, tum historiam ecclesiasticam maxime tanto studio complexus est, ut immortalem et celeberrimam sui memoriam viris eruditis omnibus reliquerit. Ille enim non solum totum amplissimum illius historiae campum diligentissime emensus est, singulasque eius partes ita coniunxit, ut rerum causarumque omnium nexus planius perspici posset, sed etiam tanta integritate et veritate omnia enarravit, ut primus in scribenda historia ecclesiastica non theologi sed historici partes egisse videretur. Posteaquam enim nostri accuratius illam historiam excutere coeperant, illud quidem magno studio egerunt, ut innumerabiles perniciosissimosque, quibus olim decepti christiani fuissent, errores detegerent adversariorum, sed quum suarum opinionum testem habere historiam consuevissent, ipsi quoque non sine partium studio eam tractabant, eaque tamquam magistra veritatis etiam in iis rebus usi sunt, quarum vera ratio tantum e scriptura sacra cognoscenda est. Quamobrem quum id omnes maxime spectarent, ut dogmata sua ecclesiae veteris consensu et auctoritate defenderent, fieri non poterat, quin ipsi in idem vitium inciderent, quod in adversariis acerbius vituperabant. Schroeckhius autem quantum ad veram rerum sacrarum ipsiusque doctrinae christianae historiam sine ira et studio quaerendam scribendamque contulerit, et sciunt omnes, et Tu optime intelligis, venerande Becki, qui per plures annos historiam sacram, ipsis theologis plaudentibus, in hac academia docuisti, eiusque partem gravissimam, quae in dogmatum opinionumque origine et mutationibus versatur, doctissimo libro egregie illustrasti. Quae quum ita sint, sperare licet, fore, ut Germanorum studio universa historia in posterum quoque felicissime excolatur, sitque inter nos, qualem Cicero esse voluit, testis temporum, nuncia vetustatis, magistra vitae, lux veritatis.

Sed quoniam omnis verae eruditionis fontes sola *philologia* aperit, consequens est, ut de hac dicam; quod etsi ipsi philologi possunt subtilius, ego tamen lubentissime faciam, quum Tu in ea augenda ornandaque praeclarum studium semper posueris, eaque per hos quinquaginta annos a nostratibus ita fuerit exculta, ut nulla hodie gens reperiatur, quae in hoc literarum genere superare nos videatur. Dici hoc nunc quidem sine invidia posse arbitror, quamquam graviter mihi olim Batavi aliique succensuerint, quod iam ante hos septem et decem annos ad C. G. Heynium scripseram, gentem Germanicam, quum in omni scientiae

et eruditionis genere ita nunc excelleret, ut nulla verae doctrinae laude inferior reperiretur, tum in iis maxime literis et artibus, quae humaniores vocantur, excolendis augendisque tantum reliquas gentes superasse, ut non haberemus, quod Batavis suos triumphos invideremus. Quod Tu scis tunc quidem illos, inprimis Wyttenbachium, aegre tulisse, neque ego miratus sum. Sed hodie verissime id omnibus aequis et peritis harum rerum arbitris dicere videbor, philologiae laude Germanos nunc ita antecellere, ut a nulla gente superentur. Olim enim sedes philologiae in Batavis erat; Hemsterhusii, Valckenarii, Ruhnkenii et aliorum gloria omnes tunc quidem illius gentis scriptores fruebantur; ipsi Britanni neminem Bentleii similem habebant. Sed Germanorum ignobilia isto tempore studia erant; parum aberat, quin literarum humaniorum studium in Germania aut inutile ad pietatem christianam haberetur, aut ieiunae tantum librorum sacrorum interpretationi serviret; atque etiam in scholis istae literae plerumque ab hominibus tradebantur, qui eas theologiae causa leviter tantum attigerant. Sed accidit eo tempore divino beneficio, ut duumviri illi, quorum perpetua merita nulla nepotum superbia minuet, Gesnerus et Ernesti, in duabus literarum sedibus collocati, in diversis Germaniae partibus studium philologiae inter nos instaurarent. Ille enim, olim noster, in Universitate recenti Georgia Augusta veram philologiae rationem docendo scribendoque monstrabat; ex Ernesti autem schola per triginta fere annos infinita exiit virorum doctorum multitudo, quorum praeclaro studio vera philologiae laus longe propagata et mirifice aucta est. Ipse Tu conquestus es nuper, Te magni huius viri institutione uti non potuisse; summa enim ingenii eius vis infinitis laboribus non fracta sed consumta, iam tunc ab interitu proxima erat. Sed dum vigebat ille, non modo libris scribendis, sed docendo maxime summa sibi merita comparavit, ipsorumque Batavorum iudicio princeps philologus in Germania erat, atque ab omnibus tanquam verae eruditionis stator unice colebatur: quamquam sunt, qui magni huius viri merita ex graecorum latinorumque scriptorum, quas curavit, editionibus aestumantes, minus magnifice de eius eruditione sentiant. Sed hi quidem monendi sunt, virorum doctorum de aliquo literarum genere merita non serioris aetatis divitiis, sed eius temporis, quo illi inclaruerunt, ratione metienda esse. Ipse vero, mi Becki, meministi, quod ego ex patre meo

epissime audivi, fuisse in eo ingenium acutum et subtile, sed em simplex et liberale, ad priscorum hominum sapientum exema praestantissima formatum, ut et ipse ingenii veterum monuenta recte intelligeret, et ad ea intelligenda et imitanda audirum animos mirifice excoleret et excitaret. Et tamen plurimi, rum disciplinae eius cum summa laude recordarentur, concedeunt, Ernesti institutionem non tam insignis eruditionis in scho- ambitiosius ostensae copiis large effusis, quam summa magiri arte conspicuam fuisse, qua iuvenes, ad ingenii humani momenta recte intelligenda formatos, vero literarum amore incenret, atque non modo ad graecos latinosque libros explicandos endosque, sed etiam ad omne literarum genus subtiliter et libeliter tractandum aptissimos redderet. Atque equidem hanc summ magistri laudem esse semper putavi: licet enim omnes, qui it in scholis aut in academiis docent, veros esse philologos lim et cupiam, nihil tamen mihi vel eruditissimi et γραμματιίτατοι acturi videntur, nisi iuvenes cuiusque doctrinae liberaris amore imbuere et ad verum ubique unice quaerendum atque anibus honoris voluptatisque praemiis per totam vitam antepondum per ipsa antiquitatis studia incendere et inflammare posat. Accidit autem, ut statim post illius viri immortalis obitum duas fere partes philologorum apud nos studia dividerentur, iarum una in verbis maxime haerebat, omnique pulchri sensu stituta, de linguae graecae et latinae formulis et legibus gramaticis unice sollicita videbatur, altera in rebus tantum explicans versabatur, et grammaticorum subtilitatem paulo superbius ntemnebat. Et quoniam severior illa libros veteres tractandi tio minus placebat multis, qui molliorem disciplinam etiam mas utilem esse plurimis putarent, factum est, ut criticum gramaticumque literarum vetustarum studium per aliquod tempus ad nos refrigesceret. Sed mox philologi nostri ad veram diiplinam redierunt: neque enim potuit placere diu dulcis illa et iuna librorum veterum explicatio. Atque ab eo tempore unirsam philologiam a nostris mirifice auctam esse inter omnes nstat. Quae omnia si enumerare singula vellem, tempus deficret, et quominus id facerem res ipsa prohiberet; non posset im fieri, nisi multa virorum doctissimorum hodie superstitum mmaque laude excellentium splendida nomina commemorarentur: od ne faciam vel Tua ipsius modestia impedit. Quid enim de

grammatica dicam, quae ita instructa est a nostris, ut veram nunc primum habituri videamur; quid artem criticam commemorem, cuius laus ab Anglis et Batavis fere tota ad nostros philologos migravit; quid doctrinae metricae, post Bentleii Reiziique nostri tempora, nostra demum aetate ratione certa constitutae insignem vim et efficientiam monstrem; quid universam antiquitatis scientiam ita a popularibus nostris auctam, amplificatam ornatamque esse ostendam, ut tantum librorum sumtuosorum, quibus Angli Gallique superbiunt, copia Germanorum paupertas reliquis inferior videri possit? Nimirum Tu haec optime scis, venerande Becki, qui harum rerum omnium non spectator modo sed socius et adiutor fueris. Itaque de duabus tantum rebus disseram, non quod eae Te fugiant, aut sint reliquis obscuriores, sed quoniam de iis iniquius quidam iudicare videntur. Primum enim sunt nonnulli, qui etsi singularem, quam philologi nostri in rem grammaticam et criticam conferre curam solent, non reprehendant, tamen, quum de verbis et formulis examinandis corrigendisque summopere laborare omnes videant, rerum, quae in libris vetustis continentur, explicationem fere negligi et posthaberi arbitrentur. Nimirum verba corrigenda esse ut de vera scriptoris sententia constet, neque libros veteres legendos esse tantum ut graecorum latinorumque scriptorum elegantiam admiremur et imitemur, sed etiam ut rerum praestantissimarum ex illis hauriendarum copia instructi ad quodque eruditionis genus illustrandum quam aptissimi reddamur. Nam si quis ad aliquem scriptorem legendum adiiciat animum, id eum non propterea facere, ut quam eleganter ille scripserit, intelligat, sed ut res ipsas ab eo traditas cognoscat. Sed plurimos verbis tantum occupari, ideoque eos scriptores, quorum minus elegans lingua sit, negligi, etiamsi eorum libri res gravissimas contineant, quibus rerum olim gestarum ipsarumque literarum veterum scientia mirum in modum augeri possit. Haec reprehensio non caret veri specie: est enim manifestum, et in plerisque librorum veterum editionibus criticis (quas recensiones vocant) rerum ipsarum fere nullam aut certe perexiguam rationem haberi, et, dum scriptores graeci latinique elegantiores summa cum cura tractentur et frequentissime repetantur, multos, e quibus magnae eruditionis veterum copiae hauriri possint, fere neglectos iacere, quod eorum lingua minus grata est et ad veram elegantiam composita, aut quod in eis-

modi argumento versantur, quod magnam quidem subtilitatem et eruditionem postulat, sed orationis ornamenta, quae in aliis nitent, ne admittere quidem videtur. Quam de Plinio communem virorum doctorum querelam nuper ortam nemo falsam dixerit. Sed sunt etiam alii scriptores multi, iique aut doctissimi iudicio omnium, aut ad res veteres cognoscendas utilissimi, quos philologi cura sua minus dignos habuerunt: unde fit, ut in paucorum manu sint, neque legi sine offensione a multis possint. Ex quorum numero unum Aristotelem, doctissimum Graecorum, commemorasse sufficiat, cuius eae tantum partes diligentius tractatae sunt, quae ad philologos proprie pertinere videntur, reliqua, quae de officiis et de universa philosophia, atque de rebus civilibus et naturalibus scripsit, inculta et deserta sunt. Sed tamen his quoque rebus si recte auguror, iam parata est medela, et iam horridis scriptoribus illis Byzantinis sapienter provisum est, neque reliquis porro deerit cura philologorum. Alia est querela eorum, qui quamvis studia philologica inter nos maxime vigere concedant, tamen scholasticam institutionem non ita comparatam esse opinantur, ut illorum fructus in adolescentibus, qui ad academiam deferuntur, conspici semper possint; et licet nunc magistri, qui in gymnasiis docent, longe sint doctiores, quam olim fuerint paucissimi, saepe tamen fieri, ut ex eorum schola haud pauci ad nos veniant, qui nondum maturi, 'ut dicunt, esse videantur. Qua de re, quum Tu sapientissime scholis prospexeris et nunc prospicias, liceat mihi, quid sentiam, ingenue dicere. Et primum quidem des mihi hanc precor veniam, doctissime Becki, ut Te arbitro cum iis expostulem, qui studiorum humaniorum in scholastica institutione nullam aliam habere rationem solent, quam ut pueri libros sacros aliquando interpretari, leges Romanas intelligere, veterumque medicorum libros legere, doctasque recentiorum formulas cognoscere possint, ideoque nihil amplius desiderant, quam ut prodeant e scholis docti operarii, laboris patientes, ad civilia munera obeunda praeparati, non autem ut ad summa quaevis vitae humanae officia apti formatique sint. Et illud quidem recte intelligere videntur, linguarum veterum studium in scholis non philologiae causa colendum esse, sed ut animi iuvenum, qui literis vitam suam consecrarunt et civilibus sacrisve muneribus postea praeponendi sunt, non tantum ad rectum verumque indagandum appetendumque excolantur, sed etiam ut verae eruditionis fontes ipsi

adire ex iisque haurire et magistrorum in academia institutione cum fructu uti possint. Quod quum alia ratione, quam his ipsis philologiae studiis effici posse putant, valde errare videntur: haec enim ad iuventutem formandam et excolendam unice apta sunt. Quare graviter iis succenseo, qui haec studia veluti pro malo necessario habent, suadentque, ut adolescentibus quam plurima realia, (quae barbare dicunt) in scholis impertiantur, ne inanibus verborum copiis tantum instructi, ceteroqui rerum omnium scientia destituti, ad academiam accedant. Ex quo fit, ut quum in gymnasiis historia, mathesis, astronomia, physica scientia, algebra, ipsa philosophia, denique, iis tantum doctrinae partibus exceptis, quarum discendarum exercendarumque causa singulares, quas vocant, docendi facultates constitutae sunt, reliqua omnia tradantur, iuvenum ingenia rerum, quibus nondum maturi sunt, copia obruantur, ea autem, quae in gymnasiis discenda sunt, aut negligantur, aut segnius tractentur. Sed illud malum maximum: postquam venerunt in academiam adolescentes, res illas omnes aut prorsus negligunt aut leviter tantum attingunt: nimirum ea omnia, quae iam in scholis degustarunt, satis sibi didicisse videntur. Verum alia quoque causa est, quare vel summo literarum veterum studio non tantum ubique proficiatur, ut licet eruditissimi sint in scholis magistri omnique philologiae subtilitate exercitati, non omnes, etiam felicis ingenii adolescentes, satis maturi scholam relinquant. Scilicet omnes illas copias, quibus philologia nostris temporibus aucta est, in scholis effundere solent, hanc magnam laudem scholae suae magistri esse putant, quod discipuli non tantum, ut olim fieri solebat, latinam graecamque linguam grammatice teneant atque ad regulas linguae recte latine scribere possint, sed quod artem metricam, criticamque exercuerint, plurimosque scriptores, inprimis tragicos, legerint, atque ex universa philologia aliquid delibaverint. Sunt etiam scholarum curatores nonnulli, qui magistrorum opinione ducti, res optime geri putent, illisque lubenter credant, literarum rationes ita auctas esse, ut maior eruditio atque scientia iam ab adolescentibus postulari debeat, ut parum absit, quin longe feliciori conditione, quam quae ipsis contigerit, adolescentes hodie frui opinentur. Itaque linguarum studium vaga et inconstanti plurimorum scriptorum lectione in scholis occupatur; quaterni cum eiusdem ordinis discipulis latini totidemque graeci scriptores s-

mul tractantur; singulis singulae aut binae per singulas hebdomades horae destinatae sunt, totidem styli, quas vocant, exercitationibus constitutae, quod reliquum est temporis, declamationes cum istis realibus absumunt. Itaque non est mirandum, quod ex eiusmodi scholis haud raro ad nos veniant adolescentes bonae indolis, qui licet Sophoclem (ut dicunt), Euripidem, Aristophanem, Platonem et nescio quos alios legerint, versusque graecos atque latinos fecerint, barbaro scribendi genere, e diversissimarum formularum farragine composito, utantur, et vix leges grammaticas satis tenere videantur. Saepe Tu ea de re conqueri soles, venerande Becki, saepe me ipsum vehementius iratum vidisti, quum clarissimarum scholarum alumni nonnulli talia perversae institutionis specimina ederent, qualia nobis duodecim annorum pueris magistri nostri non indulsissent. Sed haec vitia tempus corriget; nos, dum licebit, curemus sedulo, ut institutionis scholasticae ratio emendetur, atque adolescentes magnis, aequalium nostrorum virtute paratis, bonis iam in scholis vere fruantur. Interea ex animo laetemur, ita nunc in Germania studia humanitatis vigere, ut quidquid contra aut ignavia committat, aut moliatur superbia, nunquam extingui posse videantur.

Restat, ut de *theologiae* mutationibus breviter disseram: tametsi tantae sunt, ut vix longissima oratio sufficere videatur; sed quae de philosophia, historia, atque etiam de philologia dicta sunt, ea omnia Theologiam attigerunt: praeterea ne Tibi molestus sim verendum est, si his de rebus, ut in causa propria, verbosius velim scribere. Erat autem eo tempore, quo Tu docere coepisti, ea theologiae conditio, ut licet multis bene constituta videretur, tamen vix posset manere diutius. Nam tunc quidem omnis theologia dogmatum auctoritate regebatur; ipsa scripturae sacrae interpretatio ad formulas theologorum explicandas potius, quam ad doctrinae divinae veram rationem monstrandam composita erat; in historia ecclesiastica tantum opinionum suarum testimonia theologi quaerebant, denique philosophia plurimis invisior et suspectior, quanto superbius et atrocius ad ipsam religionem christianam impugnandam ea haud pauci, inprimis in Anglia, usi fuerant. Itaque de doctrina fidei ad veras certasque evangelii rationes causasque revocanda nemo cogitabat; formulis, quas post formulam concordiae theologi satis artificiose composuerant, verum evangelium constare credebatur, veraque ecclesiae

evangelicae ratione relicta, non scripturae divinae auctoritate, sed dogmatibus theologorum fere omnia agebantur. Quamobrem iniquiores mihi semper visi sunt, qui res istas, quibus veram theologiam perturbatam esse queruntur, temere magno theologorum malo ipsiusque doctrinae divinae summo detrimento ortas esse arbitrantur. Nam quum vera theologia, i. e. vera et accurata doctrinae christianae scientia e sola scriptura sacra haurienda sit, quis veram nos olim habuisse theologiam credat, quin intelligat, vel sola librorum sacrorum interpretatione recte instituta effici debuisse, ut totum illud systema theologicum concuteretur demtisque dictorum probantium, quae vocantur, fundamentis ultro corrueret? Et ab initio quidem Ernesti aliique demonstrabant tantum, formulas theologorum cum scriptorum sacrorum sententia non satis convenire, eorum verbis longe aliam inesse vim, quam schola iis tribuere soleret, ideoque rationem singulas doctrinae partes describendi in scholis dogmaticis non solum non necessariam esse, sed etiam a scriptorum sacrorum consuetudine abhorrere. Sed de ipsis dogmatibus minime dubitabant, tantum alio modo ea tradenda esse intelligebant. Sed mox a verborum formulis ad res ipsas perventum est: illarum enim auctoritate elevata, fieri non poterat, quin de ipsorum dogmatum veritate quaereretur. Quae omnia quum aequiores nonnulli theologi scripturae sacrae auctoritate defendi non posse intelligerent, ideoque quaedam omittenda, alia corrigenda esse censerent, tota theologorum doctrina labefactata est. Omnes enim theologiae dogmaticae partes arctissime coniunctae erant, ut vel uno dogmate extincto tota res vacillare coeperit. Et si quae in opinionibus vetustis, etiam in errore manifesto, pertinaciter tenendis prudentia esset laudanda, quam ego quidem homine honesto et verace maxime indignam esse puto, certe adversarii ecclesiae nostrae prudentius agere consueverunt, quod quum omnium dogmatum ab ipsis probatorum coniunctio arctissima sit, omnia mordicus tenent, licet falsissima multa esse bene intelligant. Sed quum nostris theologis haec inesse sententia debeat, ut si quid a verbo divino in scripturis tradito abhorrere manifeste deprehenderint, id nullo pacto defendendum esse putent; vituperari non possunt, qui se ipsi vincentes, quae falsa viderent, aut relinquenda esse ingenue confitebantur, aut qua ratione corrigi emendarique possent, scripturae sacrae legitima interpretatione ipsaque historia duce, osten-

debant, ex quorum numero, cum multis aliis doctissimis viris, inprimis Ernestinae scholae alumnis, Te quoque fuisse, Te non invito affirmare mihi videor. Sed si quid inde mali ortum est, non illorum quidem virorum generosum studium accusandum est, sed theologorum potius inconstantia temeritasque vituperanda, qui rerum dissidentium compagine includi mallent quam ecclesiae doctrinam ad veram Evangelii rationem, ipsius Lutheri et Melanchthonis exemplo, revocare. Itaque non mirandum est, doctrinam dogmaticam nunc quidem totam perturbatam esse, eiusque partes singulas tam male cohaerere atque congruere, ut nulla vi contineri amplius posse videantur. Sed liceat mihi de singulis deinceps dicere. Ac primum quidem scripturae sacrae interpretatio quantum mutata sit, quum nemini obscurum esse possit, pauca sufficient. Olim varios scripturam interpretandi modos servabant theologi: multi enim non in literali, quem dicebant, sensu aperiendo acquiescendum putabant, aliis allegorica, typica, mystica interpretatio placebat; ipsa ars interpretandi nullis certis legibus constabat. Sed ab illo tempore, quo Ernesti ea arte inclaruit, veramque interpretationem esse grammaticam institutione et exemplo demonstravit, illud quidem omnes intelligebant, scripturae sacrae interpretationem ex iisdem legibus causisque pendere, quas bonum interpretem in quoque alio libro vetusto explicando observare oporteat; quod licet divinas res contineant libri sacri, scripti tamen fuerint ab hominibus, quorum vera sententia explicanda sit; neque in iis alias res quaerendas esse, quam quas ipsi in mente habuerint, et cum lectoribus suis communicare voluerint; denique interpretari nihil esse aliud, quam eas ipsas res, quas scriptor quisque verbis suis quoque loco exprimere et cognosci a lectoribus voluerit, certa ratione demonstrare atque efficere, ut nunc lectores intelligant, quod ipse scriptor cogitaverit. Sed quoniam veram vim grammaticae interpretationis non omnes assequerentur, eamque vix ab illa differre putarent, quae vel a pueris ope Lexicorum et Grammaticae fieri solet; tametsi nemo hanc interpretationem, nedum grammaticam, dixerit, neque veteres sensum grammaticum ita dixerunt; coeperunt interterpretationem historicam cum grammatica coniungere, quasi iam ante trecentos annos Erasmus non praecepisset, aut quis alius negasset, veram scriptoris alicuius sententiam intelligi explicarique non posse sine earum rerum omnium scientia et observatio-

ne, quibus observandis illi historicogrammaticam, quam vocabant, interpretationem constare docebant. Peperit autem haec res non leve illud malum, quo ad nostra usque tempora laboramus. Scilicet quod illi de sensu historico dicebant, erant qui cupidissime arriperent, ut scriptoris sententiam, quae in verbis inest, distinguerent a vera sententia, quam scriptor habiturus fuisse videretur, si aliis temporibus aliisque hominibus scripsisset, atque ipse veriora intellexisset, aut certe, quae sciret, alio tempore liberius docere potuisset; ex quo factum est ut proprium interpretis munus fere totum in iudicis officium mutaretur. Sed hanc perversissimam esse rationem, quam in nullo alio interprete ferant philologi, tam manifestum est, ut non necesse sit, Te indice eius vanitatem demonstrare. Nostra aetate in duas partes interpretes quidam abierunt; alii enim ex legibus grammaticis atque accuratiore illa scribendi ratione, quam elegantissimi quique scriptores graeci servarunt, libros N. T. interpretantur, ita ut non multum absit, quin ipsa verba ad regulas grammaticorum emendent; alii dogmaticam illam interpretationem dudum abiectam revocare cupiunt, scriptorumque sacrorum verba ex formulis theologorum explicant, ut non divini illi viri, sed seculi sexti et decimi Dogmatici loqui videantur. Sed salva res est. Sunt enim plurimi, qui vera linguarum scientia imbuti, veraeque doctrinae divinae cultores integerrimi, veri interpretis partes strenue agant, neque verendum est, ne aut inscitia literarum aut ignavae pietatis somniis evangelium dei denuo obscuretur. Quamquam enim, vera pietate theologos Germaniae carere, non sine summa iniuria dici potest, quod scis nuper ab Anglo quodam factum esse, manifestum est tamen satisque exploratum, ad impietatem pariter ac superstitionem a doctrina coelesti arcendam, studio examinandi omnia, quod in popularibus nostris temere reprehenditur, nihil praestantius atque utilius esse, ideoque nihil magis in votis habendum esse, quam ut omnia dogmata ad normam scripturae sacrae exigantur. Quod quum sedulo theologi nostri faciant, a nonnullorum erroribus quibusdam nihil metuendum est. Sed res haec me monet, ut insignia rei criticae incrementa commemorem, quae haec ipsa aetas Tua literis sacris attulit. Nam postquam ante hos ipsos quinquaginta annos Griesbachius certiora criticae sacrae principia docuerat, multi iique doctissimi viri tantum in ea studium collocarunt, ut, quum emendatioribus scripturae exem-

plis paucissimi olim uti potuissent, nunc factum esse videamus, ut in emendandis scriptorum sacrorum verbis leges criticas meliores observent plurimi, atque in hac quoque studii theologici parte Germani omnibus antecellant. Quamquam enim nondum confecta res est, in eum tamen locum deducta est, ut, nisi omittantur haec studia aut vanitate criticorum corrumpantur, ad laetum exitum aliquando perduci posse videatur. Hactenus quae de theologia scripsi laetiora omnia fuerunt, venerande Becki. Sed inciderunt etiam nonnulla, quae lubentius praetermitterem, nisi verendum esset, ne rem gravissimam et fere capitalem silentio callido me dissimulasse nonnulli opinarentur; tametsi, quid sentiam ea de re, nemini obscurum esse arbitror. Restat nimirum, ut tristia philosophorum et theologorum certamina commemorem, quae licet nullo fere tempore omissa fuerint, tamen his quinquaginta annis ita exarserunt tantaque animorum contentione moventur, ut perpetuum ipsius rationis et religionis christianae discidium metuant, qui ex atrocitate pugnarum belli exitum augurantur. Orta erant haec certamina eo ipso tempore, quo, ut antea dixi, de rebus omnibus liberius philosophari nostrates coeperant; et iam ante Kantium fuerunt haud pauci, qui theologorum dogmata cum rationis decretis vel contendere vel conciliare studerent; multi quoque summum rationi in religione imperium vindicabant, de quo nunc, tamquam de recenti malo, nonnulli queruntur. Sed quum Kantii sectatores nihil intactum relinquerent, omnemque veri scientiam in ipsius rationis legibus sitam esse docerent, nonnulli etiam divinae doctrinae decreta hactenus tantum vera videri posse contenderent, quatenus eorum causae necessariae in ipsa ratione reperirentur, factum est, ut modus diutius non servaretur, sed in universam theologiam omnes agmine facto irruerent, totamque doctrinam christianam non tantum ope philosophiae examinare, sed etiam philosophice, ut dicebant, constituere inciperent. Ab hoc inde tempore maxima discordia fuit; quae simultas antea fuerat, in manifestum bellum mutata; denique secessione facta in duas partes abierunt, quarum una venerabili rationis nomine superbit, altera, quae divinam doctrinae in scriptura traditae auctoritatem tuetur, summo rerum humanarum bono adversari, ipsique rationi, luci veritatis, officere dicitur. Atque hoc flebile bellum nostris temporibus tanta invidia geritur, ut non mirandum sit, esse haud paucos, qui de ipsa religione chri-

stiana conservanda dubitent, praesertim quod non in scholis tantum inter eruditos viros disputetur, sed, quum vernacula lingua omnes utantur, ipse populus christianus in utramque partem vicissim trahatur: quod quum a quibusdam fiat sedulo, utrum verae pietati an rectae rationi minus conveniat, nolim dicere. Illud autem certum mihi exploratumque est, hoc quoque malum eundem exitum esse habiturum, quem numinis sapientissimi providentia semper dedit vitiis hominum, ut divina veritas vincat extinguatque opiniones humanas, ut coelestis doctrina rectius cognoscatur colaturque sanctius, et verum evangelium Christi, domini nostri, ab opinionum commentis magis purgatum, perpetua luce illustret regatque ecclesiam dei. Nihil enim novi nunc agitur; eadem enim certamina inde ab initio ecclesiae saepissime repetita sunt; sed omni tempore, sedatis litibus, veluti post horridam tempestatem redeunte sole, res sacra ecclesiae non tantum conservata, sed aucta magis et confirmata est. Est enim, quod Tu ipse, venerande Becki, per longum vitae Tuae decursum saepissime expertus es, summa providentiae, qua omnia reguntur, sapientia in eo maxime conspicua, quod non solum iis, quae recta ratione ab hominibus peraguntur, sed etiam erroribus vitiisque, quibus nostra culpa laboramus, faustum eventum largitur. Quamobrem etsi nunc tota fere theologia disturbata videatur, nulla tamen causa est, quare metuendum sit ne illa res secus eveniat, quam optimus quisque velit; imo sperare licet, fore, ut, perversis vel praeteriti temporis vel nostrae aetatis opinionibus deletis, ipsam puriorem doctrinam evangelii e sola scriptura haustam atque ab omnibus commentis hominum magis purgatam in posterum habeamus. Interea ne latius serpat illud malum, non contentionibus et rixis, sed constantia et fide, inprimis vero forti integroque verum evangelium ad normam verbi divini sine ira tradendi studio providendum est. Nam qui veri scientiam et honorum conservare atque errores evellere cupiunt ex animis hominum, eos, quod Tu optime intelligis, id spectare oportet maxime, ut veri ignorantia tollatur; quod restat, ut suo tempore eveniat, sapientia dei curabit.

DE

SUMMIS PRINCIPIIS AUGUSTANAE CONFESSIONIS.

Quum in eo essem, Cives carissimi, ut laetissimam Panegyrin, in qua Ordo Theologorum inter ipsa secularia sacra, in aede Paulina ab h. XII. d. XXV. Iunii celebranda, summos honores suos in Viros, eruditione, muneribus sacris, vitaeque vera pietate praeclare meritos, collaturus est, Vobis indicerem, nihil me ab hac solemnitate alieni facturum esse putavi, si de ipsa Augustana Confessione, cuius ante hos CCC. annos exhibitae memoriam celebrabit ecclesia evangelica, brevi praefatione ita disputarem, ut quibus principiis ea nitatur, exponerem; quoniam manifestum est, esse haud paucos, qui in iudicio de ea ferendo in diversissimas partes abeant eamque aut pro fonte doctrinae coelestis habeant, aut, verbis potius quam rerum traditarum causis inhaerentes, gravius accusent et non multum absint, quin novam confessionem scribendam esse censeant. Neque mirandum est, tantam esse opinionum diversitatem in causa adeo manifesta, ut qui historiam confessionis accurate cognoverunt, et virorum quorum nomine scripta est, consilium satis perspectum habent, vix de ulla re dubitare posse videantur. Postea quam enim Evangelici omnem spem reconciliationis abiecerant et perpetuum discidium, ipsorum quidem adversariorum pertinacia, ortum erat, confessio autem, longe alio consilio scripta, tamquam ecclesiae nostrae symbolum recepta et legibus imperii agnita et confirmata est, factum est, ut tristissimis post mortem Lutheri controversiis ortis, et per formulam concordiae utcunque compositis, plurimi doctrinam evangelii ad normam librorum humanorum traderent, atque in ipsa confessione explicanda non scripturae sacrae auctoritatem, sed formularum theologicarum sententiam sequerentur, de doctrina divina autem ex mente Christi et Apostolorum constituenda per duo fere secula paucissimi cogitarent. Constat autem, Lutherum et Melanchthonem in tradenda doctrina evangelii hoc quidem unice spectasse, ut explosis superstitiosae dominationis fabulis, spretisque opinionum humanarum commentis, ad normam verbi divini fierent omnia

in ecclesia Christi, sed eos in singulis partibus doctrinae exponendis suorum temporum rationem, ut res postulabat, habuisse, neque novum systema ipsius Christi et Apostolorum disciplinae accommodatum condidisse, sed plerumque formulis τρόπῳ παιδείας, cui adsueti erant istius temporis theologi, usos esse, sive quod satis aptam tunc quidem hanc rationem esse putarent, seu quod verendum esset, ne per novam et insuetam disciplinam incerta redderentur omnia, animique discentium perturbarentur, adversarii autem, quum nova verba audirent, aut veram illorum mentem non assequerentur, aut certe facillimam, quam vel sic studiose captabant, cavillandi opportunitatem nanciscerentur. Quare in ipsa Confessione consuetas formulas verborum Melanchthon prudenter retinuit, licet bene sciret, earum ambiguitate doctrinam ipsam obscuriorem reddi, nihilque amplius agendum putavit, quam ut vera earum sententia secundum scripturam sacram explicaretur. Quod quanta sollertia fecerit, quum multis aliis locis, tum in loco de iustificatione, de poenitentia, de peccato originis, de libero arbitrio, theologi multi postea adeo non intellexerunt, ut virum doctissimum his de rebus minus recte docuisse putaverint, quia aliam istis formulis sententiam subiecisset, quam ipsi suo tempore cum iis coniungere consuevissent. Itaque neglecto saluberrimo illorum virorum consilio, non solum antiqua mansit forma dogmatica, a versione latina orta et ad scholasticorum subtilitatem composita, ad veram disciplinam divinam parum idonea; sed ab ipsius quoque confessionis ratione multi longissime aberrarunt. Interea confessionem retinendam esse quidem intelligebant, sed eam e suis formulis explicabant, umbrisque verborum decepti, dogmatica ista disciplina veram doctrinae evangelicae institutionem contineri arbitrabantur, dictisque scripturae sacrae formularum sententiam subiiciebant. Postea, quum ars interpretandi scripturam ad certas leges redigeretur et historia dogmatum examinaretur accuratius, factum est, ut, formularum auctoritate imminuta, totum systema dogmaticum, fundamentis suis destitutum, vacillaret, nihilque amplius relictum theologis videretur, quam quod dudum facere debuissent, ut universam disciplinam dogmaticam ad normam doctrinae evangelicae in libris sacris traditae et in Confessione descriptae componerent. Sed secus accidit: alii enim formulis cupidius inhaerebant, quasi verae fidei ratio verbis humanis contineretur; alii prisco systemati nova

inventa inserebant, aut commenta humana, ad regulam verbi divini examinanda, philosophiae luminibus vel exornabant vel explorabant; quidam etiam de novo systemate condendo ipsiusque rationis decretis superstruendo cogitabant; pauci, quum recte intelligerent, nullum doctrinae evangelicae fundamentum aliud esse, quam quod Christus et Apostoli posuissent, symbolorum vincula abiicienda putabant, ipsamque Confessionem, cuius vera ratio per theologorum studia corrupta aut certe obscurata esset, doctrinae evangelicae recte tradendae non satis aptam esse existimabant. Neque defuerunt, qui post tria secula, nostra scilicet aetate, plurimis inventis rerumque sacrarum rectius perspectarum progressu clarissima, Confessionem vix ferri diutius posse censerent, atque in communi ecclesiae nostrae laetitia et in his ipsis sacris secularibus praeparandis fructus eius dudum absumtos et iam nullos fere superstites esse opinarentur. Iuvat igitur universam Augustanae Confessionis rationem verasque causas in hac praefatione breviter, ut loci temporisque angustiae postulant, sed quantum fieri potest perspicue explicare.

Sed quoniam fuerunt, quibus Confessio Aug., defensionis potius causa scripta, singularia tantum doctrinae capita quaedam, de quibus tunc quidem maxime disceptaretur, deinceps enarrata continere, certa autem ratione, ad universam doctrinam constituendam necessaria, carere videretur, in principio huius disputationis minuenda est haec opinio. Nam hoc quidem concedendum est, systema, quod vocant, doctrinae, in Aug. Confessione non contineri, neque omnia ac singula doctrinae christianae capita recenseri aut subtilius explicari; hoc enim a consilio, quo scripta et edita est, alienissimum fuisset. Neque enim novum systema doctrinae condere, sed praecipuis fidei articulis enumerandis demonstrare voluerunt, veram in terris Evangelicorum tradi doctrinam evangelii, i. e. doctrinam de salute humana per Iesum Christum consequenda. Sed non caruit certa ratione haec disputatio, nec temere singula iuxta se posita sunt, neque omissum est aliquid, quod ad doctrinam evangelii recte cognoscendam pertineret; quod statim intelligetur ab omnibus, si modo nihil amplius requirant in evangelio, quam quod certa constet auctoritate et institutione Christi et Apostolorum. Nam si quis doctrinam evangelicam in Confessione Aug. traditam ex theologorum systemate, quod post Lutherum conditum est, atque ex istis verborum

spinis, quibus post formulam concordiae doctrina coelestis consita est, aestumare velit, eum quidem non dubitamus multa esse desideraturum, quibus doctrinam ecclesiae nostrae constare multi theologi ad hunc diem sibi persuaserunt, ut non multum absit, quin Melanchthon atque ipse Lutherus veram evangelii rationem ignorasse videantur. Et tamen Aug. Confessionis auctoritatem obtendunt, veramque ecclesiae sententiam se tueri gloriantur, tametsi doctrinam divinam, in scriptura sacra traditam, humanae subtilitatis artibus mutatam verborum formulis condientes, a consilio eorum, quorum virtute condita est ecclesia evangelica, longissime se abesse clare ostendunt. Sed ipsa Confessio suas causas habet, ad quas omnis doctrinae evangelicae ratio referenda est, quasve ignorare non potest, quicunque veram ecclesiae sententiam, in Confessione traditam, et recte intelligere et vere diiudicare voluerit. Nam illi quidem gravissime errant, qui, Augustanae Confessionis verba captantes, ecclesiae nostrae causam defendere sibi videntur; imo quum nihil aliud agant, quam quod ecclesia evangelica semper recusavit, humanisque commentis, non verbo dei libertatem christianam regere conentur, tamen se Evangelicos appellant, ut, si fides iis habenda esset, verendum sit, ne ipsum Dominum et Apostolos veram doctrinam evangelicam non satis recte tenuisse existimare debeamus. Sed illorum quidem perversa ratio, quum ecclesiae evangelicae sententiae, ipsiusque Aug. Confessionis consilio planissime repugnet, tanto magis etiam necessarium est, ut in hac communi Evangelicorum laetitia libri praestantissimi et perpetua memoria dignissimi veram rationem omnes recte intelligant.

Omnis autem institutio doctrinae, quae historico fundamento nititur, duas causas habet, quarum una in ipso fonte sita est, ex quo res, quibus ipsa constat, hauriendae sunt, altera summum principium continet, ad quod omnes doctrinae partes referendae et tamquam ad regulam regendae et definiendae sunt. Nam quum eiusmodi institutio ex monumentis literarum petenda sit, ante omnia hoc quidem constare debet, quibus fontibus utendum sit, ne res alienae in doctrinam inferantur; sed quoniam necesse est, ut singulae doctrinae partes certa ratione inter se cohaereant, summo principio seu decreto opus est, ex quo reliqua omnia pendeant, quam de constituenda doctrina christiana loquuti veteres theologi analogiam fidei dixerunt. Itaque in Augustana que-

que Confessione duplex principium quaerendum est. Quorum unum materiale, alterum formale, si linguae usus ferret, dici posset; illud monstrat, ex quo fonte doctrinam Evangelii, quam confiteri animus erat, hauriendam esse putaverint, qui Confessionem tradiderunt; alterum summam causam continet, in qua universam Evangelii rationem sitam esse putarunt. De singulis deinceps dicturo dent mihi hanc veniam lectores ut brevitatis causa ad ipsam Confessionem, quae in manibus omnium est, ablegare eos liceat.

Primum igitur satis quidem inter omnes constat, Evangelicos e sola scriptura sacra doctrinam Christi hauriendam cognoscendamque esse statim ab initio constanter docuisse: ideoque dubitari non posset, quin etiam in Aug. Confessione universae doctrinae ratio ad scripturam sacram relata fuerit, etiamsi nulla in ea exstarent clarissima dicta, e quibus appareret, ex illorum sententia omnia fidei christianae capita sola verbi divini in scripturis traditi auctoritate constare, neque ad religionem vitamque christianam, ipsamque salutem per Christum consequendam, quidquam referendum esse, nisi quod haberet certa testimonia et mandata in libris sacris. Atque haec verissima causa est, cur Evangelicos se et illi appellaverunt, et omnes iure appellari possint, qui ecclesiae evangelicae veri alumni esse cupiunt. Nam verum evangelium Christi amplectitur ecclesia, non illud ab hominibus inventum incertave traditione ad posteros propagatum, aut symbolorum formulis ecclesiae auctoritate constitutum, sed divinum, quod ipse Dominus de coelo deportavit, atque per Apostolos ὅλῳ τῷ κόσμῳ annunciari tradique curavit, de quo non aliunde certo constat, quam ex libris sacris. Quare eorum minime ferenda est ratio, qui Pontificios quoque evangelium verum habere putant, quia Christum auctorem salutis nobiscum colant et profiteantur: habent enim quidem evangelium de Christo; (fabulam de Christo dixisse fertur, qui primus nascente evangelii luce perturbatus est Pontifex Rom. Leo X.), non habent autem evangelium Christi, sed εὐαγγέλιον ἄλλο, non ab Apostolis mandato Domini traditum, sed ab hominibus contra doctrinam coelestem excogitatum et constitutum. Et quamquam Christum profitentur ab eoque salutis causam repetunt, (quod nisi facerent, ne Christiani quidem appellari possent,) verum tamen non habent evangelium; docent enim et amplectuntur aliam rationem salutis consequendae, quam ipse

Christus docuit suosque cultores sequi et tenere iussit secundum scripturam, ex qua sola, quid vere docuerit Dominus, quamve viam ad salutem veramque huius et futuri aevi incolumitatem monstraverit, muniverit, omnesque, qui per ipsum servari cupiant ingredi voluerit, certo cognosci potest. Sed eandem ob causam etiam hi evangelici appellari non possunt, qui humanis formulis et dogmatibus doctrinam evangelicam, quasi coeleste lumen opinionum tenebris umbrisque verborum obscurant, eosque, qui solam scripturam sacram diligentissime exploratam sequuntur, tanquam transfugas ecclesiae evangelicae invisos populo et Iesuitarum more ipsis principibus suspectos reddere conantur. Sed ab horum quidem hominum perversissimis studiis, a Confessionis Augustanae, quam frustra invocant, ratione alienissimis, ipse Dominus ecclesiam evangelicam, quae non humanis opinionibus, sed verbo dei, ab unoquoque religiosissime e scriptura sacra hauriendo, regi vult, benignissime defendet; nos ad propositum revertamur.

Est enim hoc quidem certissimum, principium cognoscendi doctrinam evangelicam, ex mente Confessionis esse solam scripturam sacram, illosque fortissimos principes, quorum nomine ea exhibita est, spectasse tantum hoc, ut ostenderent, doctrinam, quae apud ipsos traderetur, cum verbo dei convenire, neque dissensum a communi, quae tunc imperabat, ecclesiae sententia curasse, modo certum esset, nihil geri docerive contra institutionem et mandatum Christi. Quare dubitari non potest, quin ecclesia quoque, quae Augustanam Confessionem amplexa est, hanc unicam doctrinae cognoscendae tradendaeque causam et normam habeat, neque quidquam amplius vel ipsa agere vel ab magistris postulare debeat, quam ut doctrina coelestis de salute humana per Christum, quae vera est vox evangelii, petatur et tradatur e sola scriptura sacra. Sed docuit tamen horum trium seculorum, quae a tradita Confessione effluxerunt, experientia, hanc summam ecclesiae nostrae regulam, in Confessione manifesto praescriptam, non semper ab omnibus recte cognitam observatamque esse; fuerunt quoque, qui ne ipsos quidem auctores Confessionis eam constanter sequutos esse putarent; et habet sane aliquid ambiguitatis. Itaque accuratius de ea dicere necesse est.

Ac primum quidem, quum scriptura sacra in universum nominatur, dubium videri potest, utra pars scripturae, an utraque

pro evangelicae doctrinae fonte habeatur, ideoque ad religionem christianam referenda sit; quam dubitationem lites de lege et evangelio peperisse satis constat. Est autem distinguendum verbum dei, i. e. institutiones, promissiones, leges, divino numine in scriptura veteris et novi foederis traditae, a doctrina evangelii, i. e. doctrina de ratione salutis per Christum consequendae. Enimvero certum est, in utraque parte scripturae contineri verbum dei s. institutionem divinam; sed doctrina evangelii, quae ad christianos pertinet, tantum e scriptura novi foederis cognoscenda et haurienda est. Quamquam enim in Vet. Test. manifestae insunt *ἐπαγγελίαι* de Christo, genti Iudaicae factae per prophetas, (*Rom. IX. 4.*) tamen ipsum evangelium, per Christum demum traditum *ἐν ἐσχάταις ἡμέραις*, tantum in libris novi foederis continetur; nam ex his solum, quid Christus de se ipso, de opere suo salutari, atque de vera salutem consequendi ratione docuerit praeceperitque, cognosci potest. Nam modus consequendi gratiam dei, Iudaeis *ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ* praescriptus, ex ipsius Apostoli sententia habuit tantum *σκιὰν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν*, neque amplius observandus est ab his, qui non sunt sub lege, sed colunt ac sequuntur *τὸν τῆς κρείττονος διαθήκης μεσίτην, ἥτις ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίαις νενομοθέτηται.* Res haec ita est manifesta, ut nulli dubitationi locus relinquatur; neque unquam dubitassent theologi nostri, nisi haesissent in opinata legis Mosaicae, tamquam divinae, etiam a Christianis observandae necessitate; putabant enim, tantum *τὴν κατάραν τοῦ νόμου* et necessitatem expiandi peccata Christi merito sublatam esse; tametsi Apostoli manifestum est de universa lege dictum: *ἀθέτησις μὲν γὰρ γίνεται προαγούσης ἐντολῆς διὰ τὸ αὐτῆς ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελές· οὐδὲν γὰρ ἐτελείωσεν ὁ νόμος· ἐπεισαγωγὴ δὲ κρείττονος ἐλπίδος, δι' ἧς ἐγγίζομεν τῷ θεῷ.* (*Hebr. VII, 18. 19*). Et satis graviter monere eos Pontificiorum ratio potuisset, qui totum illud sacerdotium suum et perpetuam sacrificia (incruenta) pro populi peccatis offerendi necessitatem e sacris Iudaeorum transtulerunt in ecclesiam Christi. Sed auctoribus A. C. hanc sententiam fuisse, quam supra exposuimus, negari non potest. Quamquam enim passim Vet. Test. testimonia afferuntur, tamen id non propterea factum est, quod doctrinam evangelii ex libris sacris Iudaeorum hauriendam esse putaverint, sed quia adversarii plurimis V. T. dictis ad opiniones suas de-

fendendas male utebantur, ideoque necesse erat, ut veriora in illis tradi ostenderetur. Quod prudens ipsorum consilium magis etiam apparet ex Apologia, praecipue in subtilissima Melanchthonis de satisfactione et de sacrificio missae disputatione: nam in ipsa Confessione rarius tantum, ut par erat, ex Vet. Test. testimonia doctrinae afferuntur. Et in quaestione de sacramentis Melanchthon diserte exclusit res sacras antiqui foederis, distinxitque accurate gratiam, quae est propria Novi Testamenti (pag. 200). Ad quam gratiam, qua ipsum evangelium constat, omnia ac singula in Confessione referri, ita est manifestum, ut qui eam perlegerit cognitamque habeat, singula exempla desiderare non possit: tota enim Confessio superstructa est institutioni Christi et Apostolorum, quam tantum in libris N. T. contineri non opus erat tunc quidem ut moneretur; sed non oblivisci postea theologi debebant.

Ex his etiam hoc intelligitur, quo consilio in Augustana Confessione et testimonia patrum afferantur et laudetur consensus ecclesiae, quod verendum est, ne quis fieri non debuisse putet, quum tota doctrina ad scripturae sacrae auctoritatem referretur. Sed salva est eorum sententia. Nam patrum quidem quorundam, inprimis Augustini, dicta afferuntur, non autem tanquam testimonia veritatis, sed ut ostenderetur, praecipuos ecclesiae veteris magistros, quorum auctoritatem adversarii obtendere solebant, de capitibus controversis doctrinae eandem sententiam habuisse, quam illi quidem novam et haereticam esse criminarentur. Cuius rei clarissimum exemplum praebet ille vexatissimus locus de libero arbitrio. Nam adversarii semper in ore quidem gerebant nomen Augustini, ut Pelagianos damnarent, sed longe alia docebant et a vera illius viri sententia longissime recedebant; et tamen nostros accusabant, quasi ab genuina patrum sententia aberrassent et in errorem Manichaeorum incidissent. Non poterat igitur facilius, quam ipsis Augustini dictis afferendis, tolli ista criminatio. Interea Melanchthon in eiusmodi testimoniis proferendis magnam cautionem adhibuit, ne falsas patrum opiniones quasdam Evangelici amplecti viderentur. Quare quum Confessionem, antequam exhiberetur, diligenter retractaret, in Art. XX. prudenter exstinxit Augustini ex libro de spiritu et litera testimonium, quod in primo periculo posuerat, quia in hoc libro res multae traduntur, de quibus Evangelici cum Augustino non con-

sentirent. Quem locum a formulae concordiae auctoribus ex Moguntino exemplo temere revocatum esse multi iure conquesti sunt.

Eadem fere causa fuit, cur non tantum in universum dixerint, se non dissentire ab ecclesia, sed etiam in singulis locis antiquos canones ipsasque decretales provocaverint. Nam hoc maxime intererat, ut intelligeretur, Evangelicos non deseruisse ecclesiam aut nova et haeretica dogmata in eam intulisse; neque de perpetua secessione ab ecclesia catholica tunc quidem cogitabant: nondum enim spem omnem reconciliationis certe Principes abiecerant. Itaque diserte declararunt doctrinae suae nihil inesse, quod discrepet a scripturis, vel ab *Ecclesia Catholica*, vel ab ipsa *Ecclesia Romana*, quatenus ex scriptoribus nota sit, imo se diligentissime cavisse, ne qua nova et impia dogmata in ecclesias serperent. Non quaerebant enim consensum cum ecclesia qualis isto tempore catholica erat; ab hac enim longissime dissentiebant, neque eam curabant, quia doctrina eius scripturae sacrae manifesto repugnaret, sed consensum veteris ecclesiae apostolicae, quam pontificiae dominationis superbia, vi, arte, stultitia corruptam et fere dirutam instaurare vel maxime cupiebant. Quare non est, quod eos inconstantiae accusemus, aut suspicemur eos testimonia veritatis doctrinae suae in ecclesiae consensu quaesivisse: quin hoc tantum ostendere voluerunt, veterem ecclesiam eandem doctrinae et disciplinae christianae rationem tenuisse, quam adversarii tamquam novam et haereticam reiicerent et impugnarent. Hoc eorum consilium fuisse clarissime ex altera Confessionis parte cognoscitur. Nam in articulis fidei attulerunt quidem veteris ecclesiae testimonia, ut consensum demonstrarent, sed in articulis, in quibus abusus mutati recensentur, ita versati sunt, ut recentiores opiniones et institutiones Pontificiorum cum ipsis antiquis decretis et veteris ecclesiae more et consuetudine pugnare ostenderent, ceterum vero ad auctoritatem scripturae omnia referrent, ipsosque canones et decreta ecclesiae, contra scripturam facta, omniaque ecclesiae Rom. instituta, quae mandato Christi et institutioni divinae repugnarent, irrita et reiicienda esse diserte declararent. Nam in articulo de coniugio clericorum dictum est: *mandatum dei et ordinationem dei nulla lex humana, nullum votum tollere potest.* Eadem in articulo de votis monachorum repetuntur. Sed in postremo articulo de

auctoritate canonum et decretorum humanorum clarissime disputatur. De Episcopis dicitur; *Quum aliquid contra evangelium docent aut statuunt, tunc habent ecclesiae mandatum dei, quod obedientiam prohibet. — neque catholicis episcopis consentiendum est, sicubi forte falluntur, aut contra canonicas dei scripturas aliquid sentiunt.* Et statim post: *nostri sic docent, quod Episcopi non habeant potestatem statuendi aliquid contra evangelium.* Episcopi nominantur, sed ipsam ecclesiam intelligi manifestum est. Deinde omnes traditiones ecclesiasticae reiiciuntur, quae sint contra mandatum dei, de quibus praeclarissima exstat sententia: *necesse est, in ecclesiis retineri doctrinam de libertate christianâ, quod non sit necessaria servitus legis ad iustificationem.* Sunt quidem, qui Lutherum ipsum, de auctoritate ecclesiae saepe satis magnifice loquutum, aliam sententiam habuisse dicant, ut suam ipsorum symbolorum venerationem defendant. Sed hi quidem, dum formulas ab hominibus propositas institutioni divinae comparant, ab ratione vera, quae in Augustana Confessione observata est, longissime absunt. Lutherus enim non de ea ecclesia loquutus est, quam illi quidem, Pontificios imitati intelligunt, id est theologorum et episcoporum collegium, quod habeat potestatem praescribendi formam fidei et rationem docendi doctrinam evangelii, a qua συμβολολατρείᾳ constat eum alienissimum fuisse; sed eam in mente ecclesiam habuit, qualis verissime descripta est in art. VII. Aug. Confessionis. Huic ille ius vindicavit omnia dogmata ecclesiae examinandi secundum scripturam, quo iure ipse liberrime usus est. Hanc ille libertatem Christianis asseruit et fortissime defendit; noluit enim religioni christianorum ullam hominum auctoritatem imperare, noluit aliquem hominem christianis praescribere rationem credendi in Christum, aut perpetuas evangelium docendi formulas proponere, ideoque ne sibi ipsi fidem haberi voluit, sed nominis sui auctoritatem constanter recusavit et, quemadmodum ipse non curavit opiniones theologorum et decreta ecclesiae, quum de doctrina coelesti agebatur, ita etiam christianorum omnium religionem, non hominum, sed scripturae sacrae auctoritate constare voluit. Neque est, quod symbola obiiciant, quae in Confessione testimonii loco afferantur. Afferuntur enim non tamquam testimonia veritatis, etiamsi non haberent, cur de dogmatibus et formulis illis cupidius disputarent; sed quoniam cavendum erat, ne priscis erroribus, ut af-

versarii criminati fuerant, favere, litesque nullos unquam triumphos habituras in ecclesiam revocasse viderentur. Et verissime Melanchthon in eo libro, quem Lutherus aureum vocavit et post scripturam omnibus aliis theologorum libris antehabendum esse censuit, adversus scholasticos theologistas, qui tantum in mysteriis divinitatis vestigandis operam ponerent, quibus rebus vera Christi cognitio constaret, demonstraverat, (in *locis theolog.* ap. *Herm. van der Hardt in histor. liter. Reform.* P. IV, p. 31.). Quam viri immortalis, Luthero inprimis cari, rationem si imitati fuissent theologi nostri, nos dudum theologiam dogmaticam melius constitutam haberemus. Sed ipsi Luthero eandem fuisse sententiam, quum alia eius scripta, tum Articuli Smalcaldici luculenter ostendunt.

Quae quum ita sint, negari non potest, hoc esse summum decretum et δόγμα κύριον, quo universa ratio et causa Confessionis nitatur, divinam et certam evangelii institutionem tantum ex libris sacris Apostolorum hauriendam, cognoscendam et aestumandam esse, fidemque et vitam christianam sola verbi divini auctoritate constare. Est autem res maximi momenti, ut hoc ecclesiae evangelicae principium diligentissime conservetur. Nunquam defuerunt enim, qui symbolis et formulis quibusdam evangelicae doctrinae rationem constare putarent, ideoque dogmatum humanorum vinculis libertatem sentiendi de evangelio et decreta theologorum explorandi constringere studerent, et, quod in Pontificiis iure reprehenditur, idem ipsi agerent, ecclesiae tribuentes auctoritatem in constituenda doctrina divina et religione christianorum. Quod dum faciebant, eo turpius errarunt, quum ne ea quidem excusatione uti possent, qua Pontificii decretorum suorum necessitatem defendunt: nam hi quidem divino numine haec decreta fieri dicunt per institutionem spiritus sancti; sed illi humanis tantum verbis ac formulis uti se existimant aut certe existimare possunt, nisi ad Pontificiorum partes transiisse videri velint. Neque nostra aetate desunt, qui eadem consilia suadeant, et, dum formulas quasdam iactant verborumque pietatis speciem habentium simulacris, ut iam supra dictum est, perturbant populum ipsosque principes terrere student, a vera quidem ecclesiae evangelicae ratione longissime absunt, sed tamen nomine Evangelicorum superbius gloriantur, christianos autem, ipsosque theologos, istud humanarum opinionum iugum recusantes, et in decretis divinis ex ipsa scriptura sacra hauriendis pie acquiescen-

tes, ab evangelio defecisse vociferantur, atque ipsam ecclesiam, opinionum dissidio agitatam, nisi ad formularum unanimem consensum redigatur, in summum periculum adduci, brevi dissolutum iri, imo perituram esse, aut ipsi credunt, aut certe aliis persuadere cupiunt. Nimirum non intelligunt veram sententiam articuli VII. Confessionis, quod ad veram unitatem ecclesiae satis sit consentire de doctrina evangelii et administratione sacramentorum; veramque doctrinam evangelicam formulis dogmaticis contineri putant, de quibus salva unitate ecclesiae dissentire nemo possit: quamquam manifestum est, in Augustana Confessione hanc dici doctrinam evangelii, quae ex libris sacris hausta sit, neque constet formulis theologorum, sed spiritu et auctoritate verbi dei. Sed de vera unitate ecclesiae evangelicae alio tempore dixi. Illud autem nunquam demonstrare poterunt, quod piis quoque hominibus persuadere solent, ecclesiam ab evangelio Christi defecisse, licet a formulis dogmaticis, quarum causa ne in ipsa quidem Confessione reperitur, magna christianorum pars aliena sit, et sint fortasse etiam nonnulli, qui veram de gratia dei et de salute per Christum instaurata doctrinam in scriptura traditam humanae sapientiae decretis posthabeant; quorum ratio nec vi neque legibus humanis aut principum edictis cohibenda, sed sola veritatis coelestis ab omnibus magis indies cognoscendae virtute et potentia, corrigenda et reprimenda est.

Postremo etiam hoc intelligitur, ipsam doctrinam evangelii, in Augustana Confessione traditam, ex hac eadem regula aestumandam explicandamque esse. Nam illi ipsi viri vere pii et christiani, quorum nomine et auctoritate scripta atque exhibita est Confessio, perpetuam evangelicae doctrinae formulam tradere, posterisque suis praescribere noluerunt; quin septem annis post theologos suos Confessionem diligentissime retractare et si quid in ea reperirent, quod cum scriptura non satis convenire videretur, mutare iusserunt. Postea recepta est quidem Confessio, tamquam testimonium doctrinae, quae in ecclesiis evangelicis traderetur, non autem ut esset norma tradendi doctrinam divinam; haec enim tantum ad normam scripturae tradenda est. Symbolorum enim, ex ipsius Confessionis sententia, nulla alia est auctoritas in ecclesia evangelica, quam quod sint testimonia, ex quibus intelligatur doctrina, quam ecclesia amplexa est, quia eam cum evangelio Christi consentire intellexit, quasve opiniones,

tamquam scripturae repugnantes reiecerit. Quodsi eo loco symbola haberemus, ut ratio tradendi evangelium in iis quaerenda esset, formamque illam, qua olim ab hominibus tradita est, tamquam normam perpetuam sequendam et retinendam esse putaremus, a vera sententia ecclesiae evangelicae ipsiusque Confessionis longissime aberraremus. Nullae enim formulae, ab hominibus propositae, pro norma doctrinae evangelicae habendae sunt, imo tota forma doctrinae in ipsa Confessione traditae ad legem verbi divini exigenda est. Est enim quidem verissimum, summam veri evangelii in Confessione contineri, sed ratio tradendi eiusmodi est, qualem et illa tempora ferrent, et scholae usus postularet: humana est, non divina; haec e sola scriptura petenda est. Nihil igitur obstat, quo minus, salvo ipso evangelio in Confessione tradito, ipsam rationem tradendi mutemus atque in populo instituendo veram potius doctrinae divinae sententiam e scriptura petitam, quam theologorum formulas explicemus, quas multis falsis opinionibus, fanaticorum erroribus et obtrectationibus adversariorum locum dedisse et nunc quoque praebere satis constat. Quid enim, ut unum tantum e re illustrissima exemplum petamus, num de ratione consequendi salutem et de gratia dei tot controversias totque errores exstituros fuisse putemus, nisi theologi ambiguis illis de iustificatione, de satisfactione, de libero arbitrio formulis, tamquam ad doctrinam de salute humana recte explicandam necessariis uti consuevissent? Sciunt, verba scripturae sacrae, quas barbara versio latina verbis „iustificatio, iustitia, iustificare“ reddidit, nullo loco eo modo dici, quem schola recepit; sciunt, vocabulum satisfactionis nusquam reperiri in N. T., et quam inepta sit illa liberi arbitrii in hac causa appellatio, probe intelligunt. Et tamen non tantum in scholis dogmaticis istis formulis utuntur, sed etiam ipsam doctrinam evangelii sine iis non vere tradi posse, multi sunt qui opinentur. Nimirum quia in Confessione doctrina de salute humana his verbis ac formulis tradita est et illo quidem tempore tradi debuit: erant enim in ore omnium, iisque non solum theologi, sed laici quoque ita adsueti erant, ut, si Melanchthon aliis verbis usus fuisset, neutra pars, quid sibi vellet, recte intellexisset. Quamquam certissimum est, Melanchthonem hodie non aliud quidem evangelium traditurum, sed eandem doctrinam divinam alia ratione expositurum esse. An credamus, illum hominem religiosissimum variationis

tantum causa verbis istis ambiguis plerumque magis perspicua adiunxisse, ipsumque Lutherum, qui primus veram τῆς δικαιώσεως rationem, Pontificiorum de satisfactione et de meritis humanis doctrina prorsus obscuratam restituerat, verbum germanicum, quod vocabulis istis respondere credebatur, ex versione vernacula temere et inconsulte expunxisse? Nimirum reperiebat quidem in exemplis germanicis verba *„Rechtfertigung, gerechtfertigt werden,“* sed quia theologi pontificii, haec verba cum latinis permutantes, locis scripturae, in quibus reperiebantur, ad falsam de iustificatione doctrinam confirmandam utebantur, ea ne iis quidem locis retinenda putavit, ubi manifestum est disputari de ratione consequendi τὴν δικαιοσύνην παρὰ τῷ θεῷ. Quamobrem Confessione Augustana ita utendum est, ut non formulas illas captemus, aut verbis, quibus doctrina evangelica explicata est, perpetuam ecclesiae nostrae veram sententiam exponendi normam contineri putemus, sed omnia ad mentem Christi et Apostolorum examinemus, ipsam autem doctrinam evangelicam, quod in Confessione factum est, ex libris sacris hauriamus. Sed ad alterum, quod dixi, veniendum est.

Quamquam enim singulae partes doctrinae in Confessione non arte et studio, ut in systemate fieri solet, dispositae et coniunctae sunt, omnes tamen ex communi pendent principio, in quo summa totius evangelii, i. e. doctrinae de salute per Christum parta et vere consequenda, continetur; de quo tanto diligentius quaerendum est, quoniam ex iis, quae modo dicta sunt, facile coniici posset, rationem doctrinae evangelicae in Confessione traditae incertam dubiamque esse, ut satius esse videretur, eam seculis praeterlapsis relinquere, et aut novum symbolum condere, aut nulla in posterum confessione uti; a qua opinione alienissimum me esse profiteor. Si quis enim et doctrinam evangelii e scriptura sacra, id est, ex ipsius Christi et Apostolorum institutione satis cognitam perspectamque habeat, et causas doctrinae Pontificiorum de salute humana recte noverit, is quum Augustanam Confessionem legerit, statim intelliget quid illud sit, quo omnia nitantur, singulaeque partes conveniant, decretum divinum de ratione salutem per Christum consequendi. Etenim non de eo disceptabatur, an Christus salutem humanam, peccato in summum discrimen adactam nec nisi per liberationem a pernicie peccati recuperandam, instaurasset, sed de ratione et modo huius salutis,

id est immunitatis a miseria peccati et verae felicitatis futuro aevo consequendae. De hac enim in ecclesia tunc quidem longe alia tradebantur, quam in scriptura sacra: ad veniam peccatorum sacrificiis et satisfactionibus opus esse, homines pro peccatis propriis aliquid poenarum luere debere, Christum autem merito suo hoc tantum effecisse, ut deus hominum satisfactione, quamvis imperfecta, acquiescat et culpae naturalis peccato Adami contractae poenas remittat hominibusque integritatem naturae, qualis ante lapsum fuisset, restituat, ut suis operibus divinam gratiam et felicitatem aeternam promereri possint. Haec erat summa doctrinae, quam Lutherus, postquam vero evangelio et scripturae eam repugnare intellexerat, fortissime adgressus est et per totam vitam impugnavit; sed eidem etiam opposita est doctrina evangelica in Confessione, ut vera ratio salutis per Christum partae secundum scripturam explicaretur, ipsamque salutem non naturae virtute neque merito et satisfactione hominum, sed gratia dei et vera animi mentisque emendatione per solam fidem comparanda constare intelligeretur, quem liberationis a miseria peccati et verae vitae spiritualis modum Christum et Apostolos monstrasse et praecepisse nunc quidem satis constat. Hoc est igitur summum, quod diximus, Confessionis principium, ad quod referenda omnia et quasi formanda sunt, quemadmodum omnes ac singuli articuli paucis tantum exceptis (I. XIV. et XVI.) ex eo pendent partemque doctrinae de gratia dei et salute per Christum consequenda praeclare illustrant. Itaque ab initio quidem de naturae humanae conditione disputatur, ut beneficii divini gratiaeque necessitas intelligatur, deinde vero huius beneficii modus gratiaeque divinae ratio et auxilia deinceps explicantur, atque in ipsis articulis abusuum recensendis haec summa evangelii ratio observatur, quod nulla instituta aut opera hominum gratiam dei et salutem aeternam mereantur, sed quod in causa salutis omnia ad fidem veram animique et vitae perpetuam emendationem, per fidem ope divina efficiendam, referri debeant. Verum de his singulis nuper in observationibus ad Augustanam Confessionem exposui, neque opus est, ut hanc doctrinam cum scripturis N. T. convenire hoc loco demonstretur; satis est enim, quod universam doctrinam evangelii, in Confessione traditam, ei quod dictum est fundamento superstructam esse certo constat, ita, ut, quo omnes eius partes referendae et qua ratione explicandae sint, non possit dubitari.

Hoc enim spectandum est in Confessione, ut summam doctrinae evangelicae teneamus, neque vero in verbis ac formulis et modo tradendi inhaerendum est. Pendet autem summa evangelii ex istis gratiae divinae decretis in scriptura sacra promulgatis, non e verbis et formulis, quibus aliquo tempore *τὸ μυστήριον τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν* ab hominibus traditum est. Nam illa quidem immutabilia sunt, haec autem, ut humana omnia, tempore mutentur necesse est; neque eiusmodi formulis unitas ecclesiae nostrae constat, sed consensu fidei, quae nititur decretis scripturae sacrae. Sed quoniam summa ratio evangelii quibusdam formulis in Confessione monstrata est, quibus illo tempore omnes utebantur, necesse est, ut veram earum sententiam indagemus, ne perperam intellectae erroribus et obtrectationibus causam praebeant. Quas quum hoc loco singulas explicare non possimus, liceat uno exemplo uti, ex quo de reliquis facilis coniectura fieri possit. Scilicet ad summam rei, de qua quaerebatur, explicandam usus est Melanchthon vocabulo in scholis recepto *iustificationis*. Voluit enim eandem rem exprimere, de qua Paulus, de gratia et beneficiis dei, inprimis de salute per Christum consequenda ad Rom. Cap. III. loquutus usurpaverat voc. *δικαιοῦν*, quod in versione vulgata redditur *iustificare*, et plerumque in scholis exprimitur germanico verbo *rechtfertigen*. Et in ecclesia Rom. quidem iustificatio dicebatur sensu eo, quem analogia linguae monstrat, de actione quadam, qua homines ex iniustis iusti fierent, s. iustitiam peccato originali amissam consequerentur; actum physicum theologi dicebant. Docebant autem, Christum hoc quidem merito suo effecisse, ut deus istam iustitiam (habitum iustitiae) hominibus impertire eosque a culpa originis liberos habere *velit*, sed homines non solum per *praecedentia* opera hoc, ut iste habitus ipsis vere infundatur, sed etiam, postquam eum acceperint, eius incrementa et vitam aeternam suis operibus, dilectione et impletione legis mereri debere, quod meritum condigni scholastici appellabant. Sed quum in scriptura sacra, ubi de ratione, qua homines possint *δικαιοῦσθαι*, sermo est, operum humanorum meritum prorsus excludatur, imo tota causa *δικαιοσύνης παρὰ τῷ θεῷ* ad gratiam dei et fidem referatur, in Confessione docetur secundum scripturam, iustificationem contingere nullo hominis merito, sed tantum gratia dei per fidem, i. e. hominem gratum acceptumque reddi deo, et remissione peccatorum atque salute per

fidem potiri, non quod haec ipsa fides gratiam et salutem mereatur, sed quod per solam fidem beneficio dei efficiatur, ut homines a miseria peccati liberari, liberatique vere emendari, atque ad salutem veram contendere possint. Est igitur iustificatio beneficium dei, quo homines, miseriae peccati obnoxii (iniusti, τέκνα ὀργῆς), eum naturae statum consequuntur, ut a deo probari (pro iustis haberi) et gratiam dei aeternamque salutem merito Christi capessere possint. Atque haec est ista iustitia spiritualis, quae quia ex fide oritur, *iustitia fidei* appellatur. Quare quod Melanchthon scripsit Art. IV. fidem a deo pro iustitia coram ipso imputari, id non de permutatione aut compensatione quadam intelligendum est, quemadmodum in scholis dixerunt ipsam Christi iustitiam nobis imputari, quasi ista fides ex iudicio dei succedat in locum iustitiae, neque opus sit implere legem divinam, si modo fides adsit, quae opinio art. XX. et in Apologia constanter reiicitur. Sed ut Paulus de Abrahamo Cap. III. ad Rom. scripsit: ὅτι ἐλογίσθη αὐτῷ ἡ πίστις εἰς δικαιοσύνην, quod per fidem acceptus fuit deo et promissione potitus est, ita et in Art. fides pro iustitia imputari dicitur, quia accepti deo reddimur per fidem, quae efficit novum spiritum in cordibus, quo regenerati et remissione potiri et probari deo possimus. Sed vera sententia in Art. XX. Confessionis germanicae tam luculenter exposita est, ut non opus sit verbum addere. Scio quidem, posteu theologos docuisse, iustificationem dici ab ecclesia nostra tantum sensu *forensi*, de sententia dei, qua homines a poenis peccatorum absolverentur et iusti declararentur; quae vulgaris opinio e formula concordiae nata est, ita ut potissimum de remissione peccatorum cogitarent, ipsam autem naturae conversionem et sanctificationem ab iustificatione prorsus seiungerent.

Neque defuerunt, qui Melanchthonem non satis accurate de iustificatione loquutum esse quererentur, quasi eam, contra sententiam evangelicorum, cum regeneratione et conversione commiscuisset. (*Walch. Introd. in LL. SS. p. 438 sq.*) Scilicet quid esset iustificari ex ecclesiae sententia, ne Lutherus quidem recte intellexit, quum in Articulis Smalcaldicis P. III. Art. XIII. scripserit: *Quod de iustificatione hactenus semper docui, mutare nec in minimo possum, videlicet, nos per fidem, ut Petrus loquitur, aliud novum et mundum cor acquirere, et deum, propter Christum mediatorem nostrum, nos iustos et sanctos de-*

clarare. Sed eodem modo et de eadem re iustificationem dici in Confessione manifestum est. Primum enim quis credat, quum in Confessione dicatur, iustificationem per solam fidem contingere, id non de eadem re dici, quam Pontificii propriis naturae viribus meritis aut operibus comparari docerent? Quid enim? num Pontificii in confutatione de eadem iustificatione disputassent? Quis responsuri fuissent, se non de remissione peccatorum loqui, sed de impertitione iustitiae spiritualis. Deinde vero omnes articuli, in quibus iustificatio commemoratur, clarissime demonstrant, coniungi quidem remissionem peccatorum et iustificationem, sed utramque tamen accurate distingui. Et quod in Antithesi Art. II. dicitur, homines non posse propriis rationis viribus coram deo iustificari, id non de remissione et absolutione dictum esse, vel ipsa docent verba germanica: *damit sie die Natur fromm machen, durch natürliche Kräffte, zu Schmach dem Leiden und Verdienst Christi.* De ipsa remissione peccatorum sermo est Art. III.; sed ibi non nominatur iustificatio. In Art. IV. autem remissionem peccatorum, et iustificationem discerni, clarissimum est; docetur enim, iustificationem contingere per fidem, sed ipsa fides eo constare dicitur, quod credant homines se in gratiam recipi et peccata remitti propter Christum. Quodsi iustificatio ipsam remissionem et absolutionem denotaret, illud quid esset aliud, quam iustificari homines, quum crederent se iustificari? Eodem modo in Art. V. disputatur; et in Art. VI. diserte dicitur: *remissio peccatorum et iustificatio* fide apprehenditur. Pontificii enim docebant, *remissionem* (poenarum) homines consequi satisfactionibus suis, sacramenta autem *iustificare* ex opere operato (Art. XIII.). In toto denique Art. XX. remissio et iustificatio discernuntur, et clarissime in Apologia, v. c. (p. 82.) *ostendimus, quod sola fide consequamur remissionem peccatorum propter Christum, et quod sola fide iustificemur, hoc est, ex iniustis iusti efficiamur, seu regeneremur.* Ex his apparet, a vera Confessionis sententia eos theologos aberrasse, qui tantum in remissione peccatorum iustificationem posuerunt, quod inprimis a Stancaro factum esse novimus; sed hi quoque errasse videntur, qui remissionem peccatorum ab iustificatione prorsus seiunxerunt. Nam remissio peccatorum non solum eodem modo (i. e. per fidem,) apprehenditur, quo iustitiam impertit deus hominibus, sed etiam, nisi remissio locum haberet, neque iustificationi locus relinqueretur.

tur. Constat autem salus remissione peccatorum et iustificatione; utramque vero per fidem consequimur non opere aut merito nostro, quia novum spiritum creat in homine, efficitque ut reconciliemur deo, diligamus deum, legemque divinam, non metu legis, aut spe praemiorum ducti, sed sanctissimi numinis reverentia implere studeamus, ideoque probari deo eiusque gratiam consequi possimus. Hanc esse Confessionis de iustificatione sententiam eo magis persuasum habemus, quum eandem Pauli sententiam fuisse loci omnes demonstrent, in quibus ille de ratione consequendi τὴν δικαιοσύνην disputavit. Quod quum in hac brevi praefatione demonstrari non possit, liceat tantum monere lectores, ut cogitent, quem fructum fidei Abrahamum, τὸν πατέρα τῆς πίστεως, percepisse dicat Apostolus, reputentque, luculenter τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν s. condonationem peccatorum, et τὴν δικαίωσιν distingui Rom. IV, 24. ubi scriptum est de Christo: παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν. Atque eodem sensu Iacobum verbo δικαιοῦσθαι usum esse, ut non de remissione peccatorum, sed de gratia et beneficiis dei consequendis cogitaverit, certissimum mihi quidem esse videtur. Loquutus est enim de operibus, quae ex fide oriri nascique debent; scripsit enim de eadem Abrahami fide: ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίστις ἐτελειώθη. Et quemadmodum Paulus, de Abrahamo loquutus, eum non veniam peccatorum consequutum, sed gratum acceptumque deo factum atque τὴν ἐπαγγελίαν nactum esse dixit, ita nec Iacobus, quum scripsit ἐξ ἔργων δικαιοῦσθαι καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον, cogitavit, hominem ἐξ ἔργων consequi veniam; nam si ἔργοις gloriari posset, non indigeret venia; sed idem in mente habuit, quod Paulum Cap. II. ad Rom. v. 13. scripsisse multi obliti sunt, τοὺς ποιητὰς τοῦ νόμου δικαιοῦσθαι. Aliud est, bona opera facere, ita ut confidamus per ea gratiam mereri, aliud vero, per fidem accipere spiritum sanctum, ut corda renoventur, et induant novos affectus, ut parere bona opera possint (Art. XX.). Atque haec est manifesta Confessionis sententia, neque de ea dubitaturi fuissent theologi, nisi ambiguis formulis decepti, doctrinam in Confessione traditam ex usu scholae potius quam ex mente scripturae sacrae aestumassent. Nos autem haec non eo consilio disputavimus, ut viris doctissimis, quibus alia est sententia, cupidius repugnaremus, sed ut veram doctrinae, ab aliis

spretae, ab aliis invidiose lacessitae rationem, quantum possemus, explicaremus. Est enim res gravissimi momenti, ut de iustificatione recte sentiamus, quamvis in populo christiano instituendo satius foret eiusmodi verbis ac formulis prorsus abstinere; quod ipse Melanchthon fecit in Confessione germanica, in qua, de eadem re loquutus, alia verba posuit, quae magis perspicue exprimerent veram ecclesiae ipsiusque scripturae sacrae de ratione gratiae sententiam. Constat autem, ex istis formulis non tantum plurimas in scholis controversias vanasque disputationes natas esse, sed etiam falsas de iustificatione opiniones obscuri[illegible] mysticorum somniis occasionem praebuisse, quibus ad hunc diem multi sunt qui delectentur. Hi certe Augustanae Confessionis auctoritate defendere se non possunt; haec enim de ratione consequendi salutem ita docet, ut licet omnia ad gratiam dei et fidem referat, tamen eiusmodi commentis minime faveat, sed scripturae sacrae doctrinam sequuta, non mystica aliqua unione aut personarum permutatione iustum aut acceptum deo reddi hominem, sed quod per fidem apprehendat remissionem et gratiam, fide autem accipiat novum spiritum, ut, sicut Paulus, genuinus gratiae per Christum consequendae interpres, scripsit, nullum sit κατάκριμα τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, imo τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν, τοῖς μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα. (Rom. VIII, 1. 4.). Hanc rationem salutem per Christum consequendi si perpetuo sequatur ecclesia evangelica, atque in hac fide evangelii, quam facit solum verbum dei, constanter perseveraverit, non tantum veram unitatem spiritus conservabit, sed ipsa quoque, quidvis vel adversariorum super[illegible] malignitas moliatur, vel opinionum dissidia domestica minari videantur, futuris quoque seculis divina gratia felicissime conservabitur. Quo nihil habemus, quod in laetissimis, quae proxime instant, sacris secularibus a Deo, patre domini nostri Iesu Christi, qui solus est via, veritas et vita, idemque caput ecclesiae, ardentioribus votis et precibus expetamus.

QUAESTIONES DE ARTICULO XVI. FOEDERIS GERMANICI.

Quae ante hos tres menses secularia Augustanae Confessionis sacra celebravimus, Cives Carissimi, quum multas alias ob causas iusta hilaritate caruerint, tum hanc ob causam maxime, quod qui ecclesiae evangelicae hodiernam conditionem intuerentur, hi querelarum potius metusque, quam laetitiae exsultationisque materiam se habere intelligerent. Est enim ita comparatus animus humanus, ut, quum reliqua animalia praesentium tantum sensu bonorum delectentur, nos futuri praesensione praediti, rerumque humanarum inconstantia moniti, in summa laetitia maximaque securitate metu quodam tacito et sollicitudine commoveamur; praesertim si praeteriti temporis memoria recurrat, multaque nobis maiorum bona nunc dudum amissa, aut imminentia nostris rebus pericula ostendat. Quis enim tam vecors est, ut suae felicitatis sensu acquiescat suisque bonis superbiat, sed posterorum nullam rationem habeat? An quis veris vitae humanae bonis secure fruatur, quum metuendum fuerit, ne eorum iacturam posteritas factura sit? Est autem ea ecclesiae evangelicae conditio, ut quoties ille dies, a quo instauratio evangelii initium cepit, redierit, magis etiam metuendum de rebus nostris, quam sperandum esse videatur. Sunt enim multa, quibus laboramus mala: exagitant animos dissidia interna et pugnantia studia, foris arma parantur, undique lacessitur ecclesia principum suorum auxilio destituta, rediit in Germaniam impura illa romana cohors, sanctum domini nostri nomen mentita, et iam tacita illa odia, calamitate temporum longaque iniuria diu nutrita, in manifestos tumultus eruperunt. Et tamen pacem suadent, pacem postulant, pacem imperant callidi quidam homines, nosque, foederibus scilicet publicis satis tutos magnoque ipsius seculi genio confisos, in utramvis aurem iubent dormire solutos curis omnibus; quin si quem cunctari vident, eum ignaviae accusant, vanisque periculorum spectris terrere invidiaeque et discordiae semina spargere criminantur. Mihi vero haec mens est, Cives Carissimi, ut, licet neque diffidendum nimis rebus nostris putem; scio enim, in quo spes ecclesiae tuto acquiescere possit; neque hoc tempore atque

in tanta animorum dissensione irarum causas augendas esse intelligam, tamen ad vera, quae nobis imminent, pericula vel ostendenda vel amolienda summam curam et providentiam adhibendam esse censeam.

Quamobrem ab ea sollemnitate, ad quam vos more maiorum publice celebrandam hoc libello invitandi estis, haud alienum esse puto, si quam parum certa sint omnia vel uno exemplo demonstravero. Petam autem hoc ex articulo XVI. pacti foederis Germanici, quod in celeberrimo conventu Vindobonensi ante hos XV. annos conditum est. In hoc enim articulo, cuius verba infra scripta sunt*), tantum abest, ut iura omnia accurate definita sint,

*) Verba art. XVI. legis foederis Germanici haec sunt: *Die Verschiedenheit der christlichen Religions-Partheien kann in den Ländern des teutschen Bundes keinen Unterschied in dem Genusse der bürgerlichen und politischen Rechte begründen.* vid. KLUEBERS *Staatsarchiv des teutschen Bundes 1. Heft*, pag. 33. Reliqua verba articuli ad Iudaeos pertinent. Sed iuvat varias formulas comparare. Constat enim decies mutatam esse formulam. Prima religionis mentio facta est in formula sexta, ab legatis Borussiae proposita ineunte m. April. (vid. KLUEBER *Acten des Wiener Congresses* Vol. I. fasc. IV. p. 104). Sed in ea tantum de religione catholica in Germania melius constituenda provisum erat (art. 21.). Evangelici non commemorantur. Sed iidem legati m. Maio aliam formulam proposuerunt, in qua scriptum erat (art. IX.): *Die drey christlichen Religionspartheien geniessen in allen teutschen Staaten gleiche Rechte.* KLUEBER l. c. Vol. II. fasc. VII. pag. 298). Displicuit, quod *tres* partes distinctae essent; in *legibus* enim *Imperii* duas tantum commemorari. Itaque postea numerus omissus est. KLUEBER l. c. Vol. II. p. 365. 387. 440. *Eiusd. Staatsrecht des teutschen Bundes* p. 432. Sed ne ea quidem formula placuit omnibus, quam legati Austriae paulo post tradiderunt, in qua distincte scriptum erat (art. XVII). *Die Religionsverschiedenheit der christlichen Glaubensbekenntnisse soll keinen Unterschied im Genusse bürgerlicher und politischer Rechte begründen. Jeder Confession soll die ausschliessliche Verwaltung der Gegenstände ihres Cultus und ihrer Kirchengüter zustehn. Die Angelegenheiten der katholischen Kirche sollen mit dem römischen Hofe auf der (Bundes) Versammlung verhandelt werden.* (KLUEBER *Acten d. W. C.* Vol. II. pag. 313). Convenit igitur inter Austriae et Borussiae legatos, ut in formula nona post art. XIV. (art. XVII. formulae prioris) adderentur haec: (art. XV.) *Die kathol. Kirche in Teutschland wird, unter der Garantie des Bundes, eine ihre Rechte und die zu Bestreitung ihrer Bedürfnisse nöthigen Mittel sichernde Verfassung erhalten. Die Rechte der Evangelischen gehören in jedem Staate zur Landes-Verfassung, und ihre, auf Friedensschlüssen, Grundgesetzen, oder andern gültigen Verträgen beruhenden Rechte werden ausdrücklich vorbehalten.* Haec est quam supra commemoravi. (KLUEBER l. c. pag. 321). Sed paucis diebus post decretum est, (d. XXXI. Maii), ut omitteretur hic articulus. Placuit quidem in consultatione septima (d. II. Iun.). ut ante articulum XIV. poneretur hic: *die katholische Kirche in den teutschen Bundesstaaten wird eine ihre Rechte und Dotation sichernde Verfassung erhalten. Eben so werden die Rechte der Evangeli-*

ut ne certam quidem rationem monstret ista iura constituendi, sed multas res gravissimas dubias reliquerit, quod non temere aut ob temporis brevitatem, sed consulto factum esse satis constat. Nam illud quidem postulari non poterat, ut in eiusmodi formula res singulae enumerarentur, quemadmodum in pace Osnabrugensi factum est; urgebat enim tempus et cavendum erat, ne in tam manifesta animorum dissensione nova simultatis causa praeberetur. Sed malo tamen fato factum est, quod quum praevideri posset, ambiguitate illa, ultro quaesita, adversarios ecclesiae evangelicae insolentius esse abusuros, (nam Pontifex Rom. vel sic dissensum suum protestatus fuerat), ne verbum quidem adiecerunt, quo vera iurium ratio modusque statim intelligeretur. Quod non ita difficile fuisse, formula, quam d. XXIII. Maii legatus Austriae consentiente rege Borussiae proposuit, clare ostendit. Parum enim aberat, quin is omnes litium et cavillationum causas praecideret. Sed quum ad exitum perveniendum esset; redierat enim illa pestis Germaniae; placuit formulam imperfectiorem et ambiguam recipi, extincto, Bavariae legato suadente, articulo, in quo mutua ecclesiae romanae et evangelicae iura satis erant distincta: impeditum enim videbatur, omnia ac singula accuratius definire*). Ita factum est, ut, si verba art. XVI., non legislatorum sententiam spectemus, multae quaestiones dubiae oriantur, quae dudum ipsorum auctorum interpretatione decerni debuissent. Quod etsi illos pro sua sapientia facturos esse certissime speramus, tamen, quia res nostra agitur, et recentissima tempora periculum habent, liceat nobis de quibusdam sententiam nostram ingenue profiteri.

stehen in jedem Bundesstaate in Gemässheit der Friedensschlüsse, Grundgesetze, oder anderer gültiger Verträge aufrecht erhalten. Kluebeb l. c. pag. 471. 476. col. p. 490). Sed quamquam in eo esse videbatur, ut omnes subscriberent formulae, de qua in hac consultatione convenerat, et iam Imperator Austriae consensum suum declaraverat (d. V. Iun.), tamen in postrema consultatione (d. VIII. Iun.) mutarunt sententiam, atque ille articulus denuo extinctus est. Quod legatorum Romanae curiae consiliis acceptum referendum esse, minime a vero abhorrere videtur.

*) Bavariae legatus auctor fuit, *weil dieser Artikel, so wie er darliege, schwer zu fassen sey, in nähere Bestimmungen aber einzugehn, manche Bedenklichkeiten habe:* (Kluebeb l. c. p. 535). Concedimus tamen, has dubitationes non ad iura Evangelicorum sed ad ecclesiae Romanae dotationem et institutionem pertinuisse, de qua verendum erat, ne longissimae disputationes orirentur.

Ac primum quidem quaeri potest, quae sint illa iura, quae omnibus, in foederatis Germaniae civitatibus, nullo confessionis discrimine aequalia esse legislatores voluerunt. Possunt enim satis clara videri illa verba quibus usi sunt; erant enim in re eadem dudum usitata. Rem ipsam cum verbis Germaniae attulit auctor ille ac protector foederis Rhenani; hac enim lege hoc foedus conditum erat, ut iisdem *civilibus* et *politicis* iuribus cives nulla religionis ratione habita uterentur*). Saxonia eandem conditionem recepit, quum pace Posoniensi illud iugum subire cogeretur**). Neque vero obscurum est, qua ratione Galli iura civilia et politica (droits *civiles* et *politiques*) distinguant. Nam civilia quidem sunt iura privata, quibus civis quisque in civitate utitur, v. c. ius familiae, dominii, emtionis, venditionis, et ius hereditarium; nam qui his iuribus non fruitur, is ne civitate quidem frui videtur. Ab his civilibus iuribus non nomine quidem politica differunt; nam quae Romanis civilia, ea Graecis πολιτικά dicta sunt, neque apud Romanos civilia iura a politicis differebant. Sed postquam civitates christianas feudalis iniuria et ecclesiastica invidia invasit, magna iurium civilium perturbatio orta est. Alii enim aliis iuribus in eadem civitate fruebantur; nam ius muneribus publicis fungendi non omnibus aequale mansit, ordinum discrimen atrox aliis hoc ius hereditarium fecit, aliis veluti ob originis culpam ademit; neque virtute, ingenio, scientia, ad rempublicam administrandam aditus parabatur, sed gentis nobilitate ultro patebat. Et, quod summum erat, postquam superba ecclesiae imperantis opinio clericorum artibus confirmata, principum animos occupavit, maxima iurium pars confessionis orthodoxae arbitrio subiecta est. Haec rerum conditio per pacem Augustanam et Osnabrugensem parum emendata est. Nam in illa quidem principum tantum, s. ordinum imperii A. C. addictorum iura publica constituta sunt, de civium iuribus nihil provisum est. Sed pax Osnabrugensis civium iuribus non melius consuluit, imo vetustam iniuriam confirmavit. Nam quae in formula

*) In ipsa quidem formula foederis Rhenani haec conditio non exstat. vid. Martens *Supplem. aux principaux traités:* Tom. IV. pag. 313. Sed omnibus, qui post accesserunt, Imperator hanc legem scripsit, utpote quae cum principiis foederis sola conveniret.

**) D. XI. Dec. 1806. Art. V. vid. Martens l. c. pag. 384. Articulum infra ponemus. Insunt enim ei nonnulla, quae suspicionibus locum dederunt.

Osnabrugensi (5, 1.) *aequalitas exacta mutuaque constituta est, ut quod uni parti iustum est, alteri quoque sit iustum*, eam ad status tantum ipsos referendam esse, verba ipsa clarissime ostendunt*). De civium iuribus nihil mutatum est, nisi quod Evangelici lege Imperii neque pro haereticis haberentur amplius, neque iurisdictioni Pontificis Romani ipsiusve Imperatoris essent subiecti. Ipsa etiam opinio de sola ecclesia Romana in Germania imperante repressa est, tametsi evelli non potuerit ex animis Pontificiorum. Sed singulis civibus quam male consultum fuerit, iniusta conditio, quae Evangelicis in regno Austriaco concessa est, luculenter docet**). Hinc etiam factum est, ut civibus alterutrius confessionis, in iis civitatibus, quarum principes cum maxima civium parte alteri confessioni addicti essent, non solum non iura illa civilia omnia concederentur, sed etiam ius ad honores et munera publica adspirandi negaretur. Quin conditio eorum eiusmodi erat, ut licet cultus sacri aut publici aut certe privati ius haberent (exercitium religionis dicebatur) tamen pro inquilinis tantum haberentur, quibus ex mera gratia summi magistratus in civitate degere liceret. Itaque iure civitatis publico s. politico destituebantur, veluti peregrini, qui licet tutela civitatis fruantur, pro veris tamen eiusdem *πολιτείας* membris haberi non possunt. Haec rerum in Germania conditio fuit, dum staret imperium Romanum, quamquam, mitigatis moribus ipsorumque principum humanitate, ipsa quoque tolerabilior facta est. Ac si Iosephi II. exemplum omnes essent imitati, dubitari non potest, quin dudum deleta fuisset haec iniustitia. Imperator autem Gallorum, quum foedus Rhenanum conderet a MDCCCVI, principibus omnibus hanc legem scripsit, ut omnibus subditis, nullo confessionis discrimine, in quaque civitate foederata praeter cultum religionis eadem iura civilia et politica concederentur. Eadem conditio Friderico Augusto in pace Posoniensi imposita est. Ex his iam clare intelligitur, quae sint illa iura politica, quae in art. XVI. formulae foederis Germanici a iuribus civilibus dis-

*) I. P. O. Art. V. §. 1. „In reliquis omnibus autem *inter ipsos utriusque religionis electores, principes, status omnes et singulos* sit aequalitas exacta mutuaque, quatenus formae reipublicae, constitutionibus imperii et praesenti conventioni conformis est; ita ut quod uni parti iustum est, alteri quoque sit iustum, violentia omni et via facti, ut alias, ita et hic *inter utramque partem* perpetuo prohibita.“

**) Vid. Puetter *Geist des Westph. Fried.* pag. 118 et 318.

cernuntur. Sunt enim haec ipsa iura τῆς πολιτείας, id est ea, quae habet is, qui verum est membrum civitatis, inter quae ius societatis in republica administranda primum locum obtinere negari non potest. Nam qui hoc iure destitutus est, is non in numero civium habendus est, etsi civilibus (privatis) illis iuribus fruitur, dum in ea civitate commoratur*). Neque mirandum est, in articulo eadem verba, quibus Gallorum Imperator usus fuerat, iuxta posita esse: erant enim ad rem ipsam declarandam aptissima et usu recentiori recepta. Si civilia (*bürgerliche*) tantum commemorata essent, dubium fuisset, an haec quoque concederentur iura, quibus plenum ius civitatis continetur; nam civilia quidem iura privata tantum sunt, quae supra diximus, (*Bürgerrechte*), sed politica sunt publica civium iura ex pleno iure civitatis oriunda (*Staatsbürgerrechte*). Itaque utrumque vocabulum positum est, ut iura omnia, quae aequalia esse socii foederis vellent, una comprehenderentur.

Quamquam autem, hanc veram principum sententiam fuisse, dubitari vix potest, Pontificii tamen, ut res suas augeant, iurium politicorum notionem ita definire solent, ut *ecclesiastica* quoque iura comprehendant, unde concludunt, ipsam *ecclesiam Romanam* in omnibus civitatibus foederatis eadem iura habere. Quo factum est, ut terras evangelicas invadere, aedes sacras in iis exstruere, scholas condere, ius suum canonicum exercere, et alimenta publica poscere iure suo videantur. Sunt etiam inter Evangelicos haud pauci, qui hanc ecclesiae Romanae iurium aequalitatem illa lege concessam esse opinentur. Sed mihi quidem omnia reputanti longe alia stat sententia, quam sine invidia iuvat nunc accuratius explicare. Etenim non ecclesiarum, sed civium tantum iura varia in illo articulo constituta sunt, ita, ut, etsi civilibus et politicis iuribus omnibus eiusdem civitatis subditi, nulla confessionis ratione habita, fruantur, ipsae tamen ecclesiae eo tantum iure uti possint, quod in quaque civitate ante foedus illud initum, secundum leges publicas habuerunt. Itaque cultum quidem sacrum (exercitium religionis) omnes cives liberum habere concedimus, sed statum publicum ipsarum ecclesiarum mutatum esse negamus. Haec vero cultus sacri libertas civilium et politicorum iurium notione comprehenditur. Sed

*) Nos diceremus: *er sey kein Staatsbürger*. Romani verbum illud non habent: nam ius civitatis iura omnia complectebatur.

alia sunt haec singulorum iura, alia *ecclesiastica* omnium, seu ipsius societatis, quae ecclesia vocatur; illa paria constituta sunt, sed de his ne verbum quidem legitur. Et quis unquam iura ecclesiarum civilia aut politica dici meminit? Quin ut natura sua diversa sunt, ita etiam verbis semper distinguuntur; et in ipso articulo *partes* diversae a singulis singulorum iuribus discernuntur. Sed quamquam manifesto in verbis nihil inest, quod in suam de ipsarum ecclesiarum paritate sententiam trahere illi possint, et nota est regula, in eiusmodi concessionibus verba legis, ut dicunt, strictissimae interpretationis esse, sunt tamen etiam alia argumenta, quibus falsam esse illam interpretationem clarissime intelligatur.

Primum igitur si originem illius formulae, de qua modo dictum est, respicimus, manifestum est, auctorem de ecclesiarum statu publico mutando non cogitasse. Patet hoc ex ipsa pace Posoniensi, in qua licet magis ambigua videri possit, tamen non nisi cultus sacri mentio facta est*), neque Rex Fridericus Augustus, immortalis memoriae, quum subditos suos de ista pace certiores faceret, ecclesiam Romanam paria Evangelicae iura adeptam, sed pari tantum cultus publici libertate in posterum usuram esse edixit. Ac ne potuisset quidem, salva iustitia et sacramenti religione, inconsultis ordinibus imperii, statum publicum ecclesiae evangelicae mutare: quod, si Romanae ecclesiae eadem iura publica tribuisset, facturum fuisse Regem iustissimum, non potest negari. Nam et pars est iuris publici, quo sola ecclesia evangelica in Saxonia utitur, neque si commune hoc ius cum romana ecclesia habeat, salvus esse status publicus potest. Etenim quum status publicus ecclesiae romanae, ex pontificiorum quidem sententia, ab imperio civitatis prorsus immunis sit, evangelica autem ecclesia hanc immunitatem non ambitiose affectet, intelligitur, deteriori nos conditione usuros esse, si ecclesiae, quae respuit potestatem civilem et tantum a Pontifice iura sua accipit, in terra

*) Verba art. V. pacis Posoniensis haec sunt: „Les droits et actes, qui determinaient les droits reciproques de *divers cultes* en Allemagne ayant été abolis par le fait de la dissolution de l'ancien corps germanique, et n'etant pas d'ailleurs compatible avec les principes sur lesquels la confédération a été formée, *l' exercice du culte catholique* sera, dans la totalité du Royaume de Saxe, pleinement assimilé à l' exercice du culte lutherien, et *les sujets* des deux religions jouiront, sans restriction, des mèmes *droits civils et politiques*, S. M. l' Empereur et Roi faisant une condition particulière de cet objet.“

evangelica hierarchiam condere liceat. Sed de his infra dicetur. Iam vero hoc certe cognoscitur, a verbis simpliciter positis in formula foederis Germanici (iura civilia et politica) iurium ecclesiasticorum notionem abesse; alioqui non opus fuisset cultus libertatem in istis formulis, ex quibus illa verba transsumta sunt, nominatim commemorari, quod in reliquis quoque pactis, quibus alii principes foederi Rhenano accesserunt, factum esse constat*). Itaque qui iuribus civilibus et politicis, quae in illo foederis Germanici articulo constituta sunt, etiam publica ecclesiastica iura (*Kirchenstaatsrechte*) inesse putant, hi verba illa contra omnem usum loquendi interpretantur. Nam in causa religionis quum ecclesiarum iura neque civilia neque politica dicta fuerint, tum vero etiam in formulis omnibus, in quibus illa civilium et politicorum iurium distinctio occurrit, a iure privato cultus sacri semper discernuntur. Sunt autem eiusmodi verba strictae interpretationis, ut iam supra dictum est. Sed ad alterum argumentum veniamus.

Constat enim, principes, qui foedus Germanicum inierunt, ipsarum ecclesiarum iura et statum publicum definire tunc quidem *noluisse*, ex quo sequitur, articulum XVI. contra ipsorum auctorum sententiam, i. e. falso interpretari, qui ipsis ecclesiis in omnibus civitatibus foederatis paria iura data esse opinantur. Nam si totum deliberationum cursum ab initio repetimus, manifestum fit, eos primum quidem rationem mutuam ecclesiarum definire voluisse, sed deinde hoc consilium abiecisse. Convenerat enim quidem inter eos d. II. Iunii, ut duo de religione articuli deinceps ponerentur, quorum prior (XIII.) statum ecclesiarum publicum definiret, posterior (noster XVI.) paria iura civilia et politica constitueret. (Vid. supra pag. 366.) In quo decreto quum summa iustitia appareret, magis etiam dolendum est, quod mutaverint sententiam. Nam prior ille articulus nullum amplius cavillationibus locum reliquisset. Erat enim in eo constitutum, ut

*) V. c. Pact. c. Ducibus Saxonicis art. IV. „L'exercice du culte catholique sera, dans toutes les possessions de LL. AA. SS. pleinement assimilé a l' exercice du culte lutherien, et les sujets des deux religions jouiront, sans restriction, des mêmes droits civils et politiques, *sans cependant deroger à la possession et jouissance actuelle des biens de l' Eglise.*" Martens l. c. p. 389. Haec verba postrema tantum in pace Posoniensi omissa sunt. Ceterum Imperator Evangelicis, qui principibus catholicis subiecti erant, non prospexit.

iura Evangelicorum (i. e. hoc quidem loco, ecclesiae evangelicae*) in quaque civitate foederata, secundum *paces compositas, leges fundamentales et alia pacta conventa* salva conservarentur. Quamquam autem, quum deliberationis finis faciendus esset, hunc articulum extinxerunt, vera tamen eorum sententia vel sic cognoscitur. Intelligitur enim, in articulo, qui receptus est, (XVI.) nihil inesse eorum, quae in articulo omisso fuerant, i. e. de statu publico et iuribus ecclesiarum, sed in eo singulorum tantum civium iura definiri. Neque omiserunt articulum, quod quae in eo inessent, iam in articulo sequente contineri putarent, sed quia rem totam, de qua in illo agebatur, silentio praetermittere voluerunt; nam illum articulum ambiguum quidem (*schwer zu fassen*) sed tamen impeditum esse, eum accuratius explicare (*in nähere Bestimmungen einzugehn*). Nolebant enim principes ambiguis stipulationibus ecclesiae se obligare, et verebantur, ut brevi, quod supererat, tempore legatorum Pontificiorum importunitati satisfacere possent. Satius igitur videbatur, totam ecclesiarum causam integram nunc quidem deponere, quam ea explicanda novis simultatibus causam praebere. Ex quo intelligitur, eos in Art. XVI. quem retinuerunt, non de ipsis ecclesiis cogitasse, imo de statu publico ecclesiarum aliquid constituere noluisse. Itaque mentem eorum consiliumque pervertunt, qui hoc articulo utramque ecclesiam in omnibus Germaniae civitatibus eadem publica iura accepisse opinantur.

Sed mihi quidem haec animo insidet sententia, principes non solum noluisse, sed ne *potuisse* quidem utrique ecclesiae idem ius publicum concedere, quia, ne id facerent, ipsorum iustitia et dignitas impediebat. Scio quidem, multis placere istam iurium omnium communionem (confusionem rectius dixeris), quippe quam ipse cultus humanitatis nostra aetate flagitet, neque rem periculosam arduamque iis videri, paria ecclesiae Pontificiae iura concedere in terris evangelicis, si modo curent principes, ut sua sibi iura salva conservent. Itaque verendum est, ne apud multos in crimen invidiae aut inhumanitatis incurram, quum negem, principes, salva iustitia et dignitate sua, aequalitatem ecclesia-

*) Dubitari non potest, quin *Evangelici* opponantur *ecclesiae* Romanae. Neque mirabitur aliquis, non appellari *ecclesiam* evangelicam: ita enim ferebat *stylus curiae;* nam in nulla lege imperii nomen ecclesiae nobis tribuitur.

rum, quam Pontificii quidem affectant, constituere potuisse. Sed dabunt mihi hanc veniam, ut, quibus causis permotus a vulgari sententia recedendum putem, breviter explicare mihi liceat. Quod priusquam faciam, rem ipsam, de qua quaeritur, accuratius definire necesse est. Etenim non de privato iure hominum, qui ecclesiae addicti sunt, sed de ipsa ecclesia agitur, tamquam societate publica, in civitate certis legibus et conditionibus recepta. Sunt enim rationes ecclesiae ex iisdem principiis aestumandae, quibus quaeque societas in civitatem recepta ius collegii nacta est. Omnis autem societas hominum, quae iure collegii in civitate fruatur, ex fine, quem petit, aestumanda est: non potest enim salva iustitia recipi, si ea res, cuius causa coiit, aut singulis civibus, aut ipsi civitati aliive collegio, quod iam in civitatem iure certo legibusque receptum est, manifestum damnum afferat. Quod quum duplici modo fieri possit, vel quod *res suas* curare atque augere sine civium aut ipsius collegii, quod iure publico fruitur, detrimento non possit, vel quod finis, quem sibi illa societas proposuit, civitatis ipsorumque civium iuribus repugnat; intelligitur, ecclesiae cuidam paria collegii iura in civitate concedi non posse, nisi certum sit, neque civibus eius civitatis, atque eius ecclesiae, quae iam publico iure fruitur, damnum afferri, neque in fine eius inesse aliquid, quod legibus et institutis civitatis ipsiusque principis iuri summo fraudem faciat. Quodsi finis ecclesiae necessarius eiusmodi est, ut contrarius sit legibus civitatis aut iuribus alterius ecclesiae, recipi illa ecclesia salva iustitia, paribus quidem iuribus, non potest. Nam paritas iurium inprimis in eo cernitur, quod utraque pars ad summum finem rerum suarum eodem iure contendere, ideoque omnia, quae is postulat, agere et perficere possit. Nam qui societati ius collegii concessit, is eidem etiam ius res suas ad finem suum summum dirigendi concedat necesse est; alioqui ipsa societas veram naturam suam exuere cogeretur; quod quum fieri non possit, aut prorsus non donanda civitate, aut hac lege recipienda est, ut, quae ob summum eius finem necessaria sunt, ea suo iure facere possit. Iam vero si quis hanc aequalitatem, de qua in hac causa agitur, in animo cogitet, et quae ecclesiae Romanae ratio, quis finis sit, apud se perpendat, is sponte intelliget, fieri non posse, ut salva iustitia in terras evangelicas hoc iure recipiatur. Primum enim natura ecclesiae Romanae ita comparata est, ut Evan-

gelicis iura aequa concedere non possit, imo perpetuum cum haereticis bellum gerere, eosque aut exstirpare aut ad partes suas trahere ipsa religione cogatur. Romam nunquam retro cedere, proverbio dicitur; verum est; sed aequum est hoc non postulare; non potest enim, dum imperium universae ecclesiae retinere velit. Quodsi quis speret, fore, ut vetustum illud odium Roma deponat, ut illud imperium divinum affectare desinat, ut nos pro vera Christi ecclesia habeat, ut principes evangelicos suo iure res ecclesiae curare concedat, neque amplius iis, qui interitum ecclesiae nostrae a numine sanctissimo precati fuerint, indulgentias largiatur, exsecret nos et, tamquam haereticos et transfugas, qui per baptismum in ditionem ecclesiae catholicae venerint, huius et futuri aevi supplicio dignos esse censeat, ei quidem, si vere sentit, hanc spem minime invidemus. Interea vero societatem, quae hostilem erga nos animum nondum mutavit, a finibus nostris, quantum fieri potest, arcendam esse censemus. Quod quo tandem pacto temere postulare putemus cives, quos ipsae leges civitatis ab eiusmodi incursionibus per aliquot secula defenderint? An salva iustitia fieri posse dicamus, ut, spretis legibus, ecclesia, cui illi addicti sunt, perpetuae iniuriae pateat? Neque veremur, ne quis inhumanum esse dicat, ecclesiam aliquam a civitate christiana arcere, partemque civium ob religionis diversitatem iis privare iuribus, quae a nobis ipsis pro summis habeantur. Etenim non de civilibus singulorum iuribus contendimus, sed de ecclesia tantum quaestio est, quae iuxta se nullam aliam agnoscit ecclesiam, neque de ipsa religione civium lis est, quam liberam cuique relinquendam esse ecclesia nostra semper iudicavit. Sed prima lex humanitatis iustitia est, quae vetat aliquem alterius damno locupletiorem facere. Accedit, quod ecclesia publice alenda est; quod quum in terris evangelicis maxima ex parte evangelicorum civium pecunia fieri debeat, nova iniuria nascatur necesse est. Fridericum II., magnum illum Borussiae regem, quum pecunia publica parcius, quam nonnulli vellent, uti videretur, dixisse constat, civium hanc pecuniam, non suam esse, eamque tantum ad commodum eorum, a quibus eam accepisset, convertere sibi licere. Sed haec res tam manifesta est, ut pluribus verbis non opus sit. Neque illud denique praetermittendum est, quod illud ius, quod ecclesia Romana sibi arrogat, supremae civilis imperii potestati multis modis repugnet; ideoque hoc pleno

iure recepi salva maiestate principum evangelicorum non possit. Non me fugit quidem, fieri posse, ut hoc ius legibus civitatis ita circumscribatur, ut nihil inde damni respublica capiat. Sed illud quoque scio, hanc non esse aequalitatem iurium, quam sibi art. XVI. concessam Pontificii contendunt. Hoc enim volunt, hoc postulant, ut summo iure suo divino, tanquam monarchia sacra (cautiores hierarchiam dicunt) in omnes Germaniae foederatas civitates recipiantur. Itaque quum nec vi neque artibus suis se quidquam proficere sentiunt, tacent quidem et iuribus concessis satis se beatos esse simulant, sed clam subducere se legibus principumque voluntatem irritam reddere student, nonnunquam, ius divinum suum obtendentes, superbam contumaciam suam palam ostendunt. Quid enim vicariatus Fuldensis arrogantia haec aetas nostra vidit insolentius *)? Sed quum aut principis voluntatem aut magistratuum facilitatem commodam opportunamque invenerint, quid audeant, quid moliantur, quid postulent, *quid iam* consequuti fuerint, vident omnes, intelligunt, queruntur, accusant, neque opus est multis exemplis demonstrare. Quae quum ita sint, quis tandem credat, iustissimos principes, eosque evangelicos, adeo iustitiae et dignitatis suae oblitos fuisse, ut, spretis civium suorum iuribus neglectisque pactis publicis, tacite concesserint, quod nulla causa erat cur sponte facerent, vi autem extorqueri nullo modo potuisset? Fieri enim quidem nonnunquam solet, ut, qui regunt civitates, necessitate dira urgente, quae maxime nolint, inviti facere cogantur. Sed illa tempora eiusmodi erant, quae tantam iniuriam ne suaderent quidem, nedum imperarent. Quamobrem nunquam mihi persuadebo, ut sapientissimos et iustissimos principes Germaniae isto articulo constituendo credam de iis iuribus cogitasse, quae Pontificii solent affectare.

Postremo *tempus* docuit, in plerisque civitatibus foederatis, paria iura ipsis ecclesiis non esse concessa, quod non dubitamus, quin pro sua fide facturi fuissent principes, si lege illa se obstrictos teneri putassent. Quamquam enim et alia quaedam, di-

*) Quamquam parum differt epistola encyclica VICARII PATERBORNENSIS d. d. 22. Dec. 1825. vid. ALEX. MUELLER *über den Indifferentismus in Cultusangelegenheiten.* Lips. 1830. pag. 34. Nimirum non obtemperandum putant legibus civilibus, quae Pontificum decretis et Iuri Canonico suo repugnant, sed eas, si vi resistere non possunt, artibus spiritualibus deludunt. Haec est scilicet illa aequalitas iurium, quam exponunt.

serte promissa, nondum absoluta sunt, (*art. XIII.* et *art. XVIII. d.*) hoc quidem quo minus facerent tempus impedivisse videtur, sed in re nostra iniuriae, irae, querelae, expostulationes, ex incerto statu oriundae dudum monuissent eos, ut secundum art. XVI. ecclesiarum mutua iura declararent; quod quum non fecerint, intelligitur, eos isti articulo hanc vim non tribuisse. Quis enim in re tam gravi atque hoc tempore plenissimo simultatum et querelarum, prudentissimos et iustissimos principes fidem non servaturos fuisse opinetur? Enimvero neque in regno Würtembergico ecclesiam Romanam ampliora post foedus Germanicum iura accepisse audivimus, quam ei per edictum regium (d. 15. Oct. 1806) concessa fuerant, quum Fridericus rex foederi Rhenano accessisset*), et in Austria**) sub mitissimo Francisci imperio ecclesia Evangelica ad hunc diem iisdem finibus continetur, quos Iosephi II. humanitas constituerat. Sed non opus est exemplis. Ipsi civitates catholicas Germaniae nominent, in quibus post foedus germanicum initum, ipsi ecclesiae evangelicae concessum fuerit, ut suo iure publico uteretur, nisi ubi hoc ius ex legibus Pacis Osnabrugensis iam antea habuisset. Et tamen in terris evangelicis hoc sibi ius datum esse contendunt, nobisque fines nostros defendentibus invidiam odiumque exprobrant. Si aequum est, quamque ecclesiam iisdem iuribus uti, cur eadem iura in suis terris non concedunt evangelicis? cur ipsum nomen ecclesiae nobis negant, cur aedes sacras nostras, aedium privatarum forma exstructas, exituque in plateam publicam carentes, *oratoria* tantum, non templa christiana (*Kirchen*) appellant, cur liberos ex matre evangelica natos omnes ecclesiae evangelicae addici, solos sacerdotes suos vice ministrorum evangelicorum fungi, baptismo liberorum evangelicorum catholicos, non autem catholicorum baptismo evangelicos testes nisi iam invitatos admitti, evangelicorum baptismos, matrimonia, funera tantum a parochis catholicis consignari, evangelicos diebus festis catholicorum ferias agere, parochisque catholicis, etiamsi ex lege proprium parochum suum habeant, iura stolae, census parochiales et decimas solvere ae-

*) Vid. Winkop, *der Rhein. Bund* fasc. III. p. 377. sq. inprimis art. II. a IV. edicti regii.

**) Vid. Helfert *Rechte und Verfassung der Akatholiken im Oesterr. Kaiserstaate.* Vindobon., 1827. pag. 41. 125. 200 sq., Conf. *Ord. Iur. Civ. Austr.* §. 39.

quum censent, (Helfert l. c. p. 200 sq.) ipsiusque sacri cultus privati libertatem etiam nunc pro mera gratia haberi volunt! Scilicet quod ista lege foederis germanici de *publicis ecclesiarum iuribus* nihil constituere principes voluerunt, sed de hac gravissima causa alio tempore ulterius deliberandum esse censuerunt*). Quod quum nondum factum sit, rem nobis adhuc integram esse, illos autem vi tantum non iure agere recte existimamus.

Quae quum ita sint, male articulum XVI. interpretantur, qui eadem iura publica utrique ecclesiae in omnibus civitatibus foederatis Germaniae concessa esse opinantur. De statu ecclesiarum publico neque in isto articulo neque postea ad hunc diem a sociis foederis quidquam definitum est, tantum de *singulis civibus* provisum est, ut nullo confessionis discrimine iisdem iuribus civilibus et politicis fruerentur: ne de exercitio quidem religionis constitutum est; unde si quis colligat, neque huius *fines isto* articulo mutatos aut propagatos esse, eum nescio quo pacto verba legis cavillari dicamus. Quod si ipsarum ecclesiarum iura constituere aliquando tandem placuerit principibus, eos in singulis civitatibus iura, leges et pacta conventa pro sua iustitia sancte servaturos esse, certissime confidimus.

Oritur autem nova quaestio, an haec ipsa iura legesque, praesertim quae pace Osnabrugensi constituta fuerunt, foedere Germanico sublata et exstincta sint. Quod nos quidem factum esse negamus. Sed quoniam haec disputatio aliquanto longior est, quam huius libelli angustiae capere possint, eam alio tempore instituemus**).

*) Pactum d. 15. Maii 1820. *Vindobonae* factum art. 66. sic habet: *Die in den besondern Bestimmungen der Bundesacte, Art. XVI. XVIII. XIX. zur Berathung der Bundesversammlung gestellten Gegenstände bleiben derselben, um durch gemeinschaftliche Uebereinkunft zu möglichst gleichförmigen Verfügungen darüber zu gelangen, zur fernern Bearbeitung vorbehalten.* Vid. Archives diplomatiques. Tübing. 1824. Vol. IV. pag. 63.

**) Quod fieri fata noluerunt. *Adn. editor.*

